Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

1762

Visual Library

Brem.c.66
Brem
c.
66

Bremens.

c.

66.

P. Casselij

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS SECUNDÆ
FASCICVLVS PRIMVS

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXII.

BIBLIOTH. BREMENSIS

VIRO

PERQUAM MAGNIFICO

HENR. GERARDO SCHUMACHERO

JCTO EXCELLENTISSIMO,
JUDICI HÆREDITARIO IN BORGFELD,
ILLUSTRIS QUONDAM SCHOLÆ

PROFESSORI,

POST
REIPUBLICÆ PATRIÆ
SENATORI,
ET DEMUM
ULTRA JAM DUO LUSTRA
CONSULI,

BIBLIOTHECÆ
HUJUS
BREM. NOVÆ

FASCICULUM QUARTUM
SACRUM FACIT,
ET
PRO RECUPERATIONE VIRIUM
ANIMI CORPORISQUE

UT,
DEO O. M. VOLENTE,
DIES ANNORUM VITÆ SUÆ
ADTINGANT
ÆTATEM PARENTIS SUI
S. V. ALBERTI SCHUMACHERI
THEOLOGI OLIM BREMENSIUM
EXIMII
OCTOGENARIO MAJORIS,
ET
FELICISSIME SUO TEMPORE
PRÆSIDIALI MAGISTRATUS OFFICIO
FUNGATUR,
SÆPIUSQUE
REPETITIS VICIBUS
REIPUBLICÆ PATRIÆ
PRÆSIDIUM SIT
GRANDEQUE DECUS,
PIA VOTA FUNDIT
EDITOR.

ELENCHVS
OPVSCVLORVM
FASCICVLI PRIMI
CLASSIS SECUNDÆ.

I. HENRICI HEISEN, *Professoris, Bibliothecarii & Pædagogiarchæ Bremensis*, Dissertatio *de cognomine* SUPERBUS, *quod viventi* TARQUINIO, *ultimo Regi suo, Romani indiderunt* pag. 1.

II. M. JOH. J. AMNELL, *Gr. Lit. Professoris Regii Ordin. in Academia Upsaliensi*, Τα της Ναυτικης παλαια, *seu Antiquitatum* REI NAUTICÆ *e Fabulis erutarum Specimen.* pag. 27.

III. JOHANNIS HENRICI VERSCHUIR, *S. S. Doctoris & Ecclesiastis Bolsvardiensis*, Dissertatio Historica *de Æmulatione Israelitarum mutua, tanquam vera causa scissæ ac debilitatæ Judæorum reipublicæ.* pag. 68.

IV. JOHANNIS PHILIPPI CASSEL, P. P. Observationes Philologico Antiquariæ *de sue in Divinationibus & Mysteriis Magicis* ad JES. LXV, 4. & LXVI, 17. pag. 113.

V.

V. THOMÆ VIEROOT, *V. D. M. Wormerienſis*, Diſquiſitio *in locum ubi Gehaſi dona dolo malo a Naamane accepta repoſuit, ad* 2. REG. *V*, 24. pag. 137.

VI. EJUSDEM, Diſſertatio Theologica, *de Vanitate conaminis Gehaſii ad fallendum mendacio Prophetam, in* 2. REG. *V*, 26. pag. 150.

VII. CHRISTIANI LUDOVICI SCHLICHTERI, *Theologi Cothenenſis*, Apologia, *in qua Vir Illuſtris* SAMUEL BOCHARTUS *ab eruditorum quorundam ſiniſtris criminationibus modeſte vindicatur.* Pars prima pag. 170.

VIII. NICOLAI BARKEY *Codicum duorum Biblicorum Manuſcriptorum Hebraicorum, & Americani varioris, typis impreſſi, Notatio* pag. 196.

I.

HENRICI HEISEN,

PROFESSORIS, BIBLIOTHECARII

ET

PAEDAGOGIARCHAE BREMENSIS

DISSERTATIO

DE COGNOMINE SUPERBUS QUOD VIVENTI TARQUINIO, ULTIMO REGI SUO ROMANI INDIDERUNT.

§. 1.

Quanto pluris facio eruditissimi G. H. NIEUPOORTI *succinctam, qui olim apud Romanos obtinuerunt, rituum explicationem;* tanto vehementius doleo, & propemodum angor, pulcherrimum hoc corpus pudendis quibusdam nævis deforma-

tum eſſe. Eminet in his ſubjecta cognomento ultimi Romanorum regis, Tarquinii, SUPERBUS, parentheſis, quam una cum proxime antecedentibus in majoris perſpicuitatis gratiam haud pigebit exſcribere. „Regnatum eſt Romæ, inquit Vir Clariſs. „- - - a ſeptem regibus, quorum ultimus „fuit Tarquinius, qui, diſtinguendi a ſu„periore Tarquinio cauſa, a ſcriptoribus „Superbus eſt dictus: (non enim ei viventi „hoc nomen adhæſit, non magis quam „*Brevibus, Calvis, Balbis &c.* Franciæ re„gibus, vel ei, qui patriam noſtram olim „injuria oppreſſit, Godefrido, Lotharingiæ „duci, *Gibboſo* vulgo dicto.) (a)

§. 2.

Perſuaſiſſimum habeo, minime gentium hæc virum perſpicaciſſimum, famæque ſuæ nullatenus prodigum in literas relaturum fuiſſe, ſi, quod hiſtoriæ Romanæ princeps conditor, LIVIUS de tempore impoſiti Tarquinio probroſi hujus cognomenti diſertiſſimis vocibus memoriæ prodidit, & repetens iterum atque iterum inculcavit, memori tenuiſſet pectore. Narrat locupletiſſimus auctor, (b) indictum aliquando con-

(a) Sect. II. cap. II. §. 1. pag. 54. fin. ed. Badiſſ. 1723. & p. 96. & 97. edit. Argentorat. 1738.
(b) Lib. I. cap. 50. p. 201. fin. edit. Drakenb.

concilium gentis Latinorum a Tarquinio esse, cumque Proceres hujus gentis prima luce convenissent, ipsum Tarquinium post occasum Solis demum accessisse; multa tum per totum diem in concilio variis jactata sermonibus fuisse, præ cæteris vero *Turnum Herdonium* in absentem Tarquinium ferociter invectum dixisse; „Haud „mirum esse, *Superbo* ei inditum Romæ „cognomen. An quicquam Superbius „esse, quam ludificari sic omne nomen „Latinum, Principibus longe ab domo ac„citis, ipsum, qui concilium indixerit, „non adesse?„ In quibus notandum, quod ad *Superbi cognomen* hæc per parenthesin LIVIUS inserat: *Jam enim ita, clam quidem musitantes, vulgo tamen eum appellabant.* Quid, quæso, evidentius refellere & coarguere NIEUPOORTI sententiam potest? An ille Tarquinius non amplius in vivis fuit, qui vita *Turnum Herdonium*, quoniam hæc, hisque gemina alia in ipsum dixerat, per insidias privavit, ut statim idem subjungit LIVIUS? (c) An quid præsidii in eo est invenire, quod parenthesis Liviana perhibet, a *clam musitantibus* Romanis Tarquinium Superbi cognomine insignitum fuisse? Nonne parenthesis eadem extemplo adjicit: *Vulgo tamen*

(c) Cap. 51. princip.

eum ita appellabant? Sufficit, quod *vulgo appellaverint: clam*, an *palam* appellaverint, nihil refert, facitque nihil ad ſtatum controverſiæ. Et quis tam hebes ac ſtupidus eſt, qui non videat, aperte Romanos absque ſummo periculo Tarquinium nuncupare *Superbum* nequiviſſe? Num laturi impune fuiſſent, ſi reſciviſſet tyrannus? Quo autem pacto reſciſcere facilius potuit, quam ſi palam nec diſſimulanter ſibi, qui Rex ipſorum erat, ejusmodi inurerent maculam? Qui, ut paulo ante percepimus, *Turnum Herdonium*, nullo ſibi devinctum obſequio, ſed extraneum & Latinorum gentis principem virum hac ſolummodo ex cauſa, quod liberius in ſe locutum, auſumque eundem ſe vocare *Superbum*, audiverat, poſtero ſtatim die per excogitatiſſimam fraudem, veluti Procerum collegarum proditorem, cum innocentiſſimus eſſet, capitali ſupplicio afficiendum curavit; num parſurus vitæ ſubjectorum ſibi civium erat, qui ne celare quidem ipſum eandem linguæ ſuæ inconſultam temeritatem ſtuduerant? Saniora eos atque tutiora docere vel ipſum *Superbi* cognomen potuerat. Crudelior enim nemo, & ad ſanguinariam vindictam pronior Superbo eſt Principe: idquod rationibus & exemplis demonſtrare in proclivi eſſet, niſi obſtaret prolixitas. §. 3.

§. 3.

Denuo auctor laudatus est LIVIUS, (d) quod *Brutus*, cultrum ex vulnere Lucretiæ extractum, manantem cruore præ se ferens dixerit: „Per hunc castissimum ante re„giam injuriam sanguinem juro, vosque, „Dii, testes facio, me Tarquinium SU„PERBUM - - ferro, igni, quacunque de„mum vi possim, exacturum.„ Num hæc loquente Bruto, & Tarquinium cognominante *Superbum*, fato jam functus idem erat Tarquinius? *Exacturum* in futuro tempore se illum, jurat. Ergo adhucdum non modo vitales auras carpebat, sed & Romanorum tenebat regnum, utque illo ejiceretur, opus etiamnum erat ferro ignique tyrannum adgredi. Qua igitur veri specie negat Clariss. NIEUPOORTUS, vivente Tarquinio nomen *Superbi* adhæsisse? Mirari subit, multæ lectionis Viro non in mentem venisse, Tarquinium perdiu vixisse exulem, adjutumque validissimis Latinorum, Vejentium atque Hetruscorum, duce imprimis rege Porsena, copiis multa magnaque cum Romanis bella pro recuperanda dignitate sua regia gessisse, donec, rebus ad sociorum suorum expectationem minus fluentibus, ab iis desertus, in

(d) Lib. I. cap. 59. init.

exilio depontanus ſenex vitam cum morte commutaret. Audiamus CICERONEM. (e) „Tarquinio, ait, quid impudentius, „qui bellum gereret cum iis, qui ejus non „tulerunt ſuperbiam? Is cum reſtitui in „regnum nec Vejentium, nec Latino„rum armis potuiſſet, Cumas ſe contuliſ„ſe dicitur, inque ea urbe ſenio & ægritu„dine eſſe confectus.„ Dignus etiam, qui hic legatur, a Cicerone in diverſum abiens, eſt EUTROPIUS, licet non ita, ut Clariſs. NIEUPOORTIUM quicquam juvet. „Ter„tio, inquit, (f) anno poſt reges exactos „Tarquinius, cum ſuscipi in regnum non „poſſet, neque ei Porſenna, qui pacem „cum Romanis fecerat, auxilium præſtaret, „Tuſculum ſe contulit, quæ civitas non „longe ab Urbe eſt: atque ibi per quattu„ordecim annos privatus conſenuit cum „uxore.„ Toto illo exilii tempore, quod ſedecim annorum, adeoque longiſſimum fuit, quoties injecta Tarquinii mentio a Romanis fuit, (injecta autem frequentiſſima omni procul eſt dubio) an credibile eſt, vel ſemel eum non ſimul, majoris infamiæ cauſa, nominatum *Superbum* eſſe?

§. 4.

(e) Tuſc. Quæſt. lib. III. p. 197. col. 4. 5. fin. edit. Manuc.

(f) pag. 66. lin. 34. ſqq. edit. Francof. 1590. Fol.

§. 4.

Opinatur doctiſs. NIEUPOORTUS, a *Scriptoribus* primum fuiſſe Tarquinium *Superbum* vocitatum. Sed ubi tandem inter tot Romanarum rerum ſcriptores ille vel unus eſt, qui de ſe teſtetur, quod inventor hujus ſit cognominis, idque Tarquinio poſt ipſius demum fata primus indiderit? Contrarium nos DIONYSIUS HALIC. (g) his docet vocibus: Δια ταυτα ἐπωνυμιαν τιθενται αὐτῳ. Ρωμαιοι, τον Σκπερβον. Τκτο δε δηλον βκλεται κατα την ἡμετεραν γλωτταν τον Ὑπερηφανον. *Propter hæc cognomen ei imponunt Romani, Superbum. Hoc vero noſtra* (Græcorum) *lingua notat* Ὑπερηφανον. Cognominis auctores generatim DIONYSIUS ac indefinite *Romanos* appellat. Quare non reſtrictius Romanorum ſcriptores, hiſtoricos, συγγραφεις, ἱστορικκς, ἱστοριογραφκς, λογογράφκς, λογοποικς, κ. λ. ſi eos intelligit ſolos? *Romanorum* vocabulo deſignantur omnes, quibus id nomen competit, univerſus indiſcriminatim populus Romanus; & abhorret a Veterum diligentia ac diſtincte ſcribentium conſuetudine hiſtoricos Romanæ gentis vocare ſimpliciter Romanos. Cæteri omnes, qui ætatem tulerunt, Romanarum rerum Latini Græcique

(g) Ant. Rom. lib. IV. p. 244. lin. 35. ſqq. edit. Sylb.

eique Scriptores cognomen *Superbus* de Tarquinio ita uſurpant, ut eorum ſit nemo, qui vel leviſſimam ſuſpicionem lectoribus moveat, ſua ſe dædala manu invidioſam appellationem eſſe architectatum.

§. 5.

Colorem addit ſententiæ ſuæ clariſſ. NIEUPOORTUS, ſed apud imperitiores tantummodo, dum, ſaltu facto pæne immenſo, ex longe recentiori, eaque Chriſtiana hiſtoria, nobis propinat Franciæ reges, non prius *Breves*, *Calvos*, *Balbos* cognominatos, quam vita ſinguli exceſſerint; ac denique Godofredum, Lotharingiæ Ducem; quem patriam olim ſuam injuria oppreſſiſſe dictitat, *Gibboſum* pariter non ante nuncupatum, quam mortalitatem explerit. Sed vero annon diſtinguenda tempora ſunt? Annon ſuccurrit viro eximio vulgatiſſimus, & vel tenellæ ætati notiſſimus verſus: *Tempora mutantur, nos & mutamur in illis?* Diverſiſſima veterum Romanorum, & Francorum Chriſti jam ſacris initiatorum, quos magna locorum, temporum major disjunxit intercapedo, fuerunt ingenia, ſtudia, inſtituta, colloquia familiaria, regiminis forma, & tota vivendi ratio. Nulla vero priſca gens in univerſo, qua patuit, terrarum orbe tam luſit, & prodiga cogno-

gnominibus, iisque propudiosis, imponendis fuit, quam populus Romanus. Minutissima corporum vitia, naturæ debita, non hominum culpæ; fortuiti casus, sive sinistri essent, sive tantum rariores, & singulare aliquid, nec quotidie obvium præ se ferre viderentur, confestim avide arripiebantur ad ingerendum iis, quorum erant, cognomina, quæ non possunt non delicatulo nostro & politulo ævo absona & ridicula, abjecta & sordida, nauseabunda denique & aspernabilia judicari. Neque vero diffiteri ausim, perquam sapienti atque utili ratione motos plerumque cognomentorum horum fuisse auctores: videlicet ne, qui naturam in formandis corporibus suis, fortunamve in iisdem tuendis experti erant novercam, frangerentur animis, neu ad objectam sibi artuum suorum pravitatem atque distortionem indolescerent & pudore suffunderentur, utpote adsueti patienter ferendis ejusmodi opprobiis per dicta modo, quibus quotidie compellabantur, cognomina.

§. 6.

Utrumque nobis exponat PLUTARCHUS. „Cavillationum, ait, hoc genere largius „usi sunt Romani, ac quendam ex Me„tellis, quod diu in publico versaretur

„fronte, qua ulcus habebat, obligata, appel-
„larunt *Diadematum*; (Obligatum, Cir-
„cumvinctum) alium *Celerem*, quod pau-
„cis ab obitu patris diebus munus funebre
„gladiatorium mira celeritate maturaviſſet
„exhibere. Aliquos ex nativitatis caſu,
„nunc quoque vocant *Proculum*, ſi abſente
„editus patre ſit, *Poſthumium* ſi defuncto;
„geminis editis ſi mortuus alter ſit, ſuper-
„ſtitem *Vopiſcum*. Ex corporis nota non
„Syllas modo & *Rufos*, ſed & *Coecos* &
„*Claudios* cognomina imponunt, probe
„aſſuefacientes cives, ne coecitatem, vel
„aliud corporis vitium probroſum ducant,
„aut contumelioſum, ſed aures his, ut
„propriis nominibus, accommodent.„
(h) *De Fabio Maximo* idem PLUTARCHUS:
(i) „Fabio, inquit, nota corporis nomen
„*Verrucoſo* dedit, quod verruca parva ei
„ex ſummo exuberaviſſet labio. *Ovicula*
„puer etiamnum dictus eſt ex manſuetis
„& gravibus moribus. Quippe ſedatum
„ingenium ejus & taciturnitas, magnaque
„in puerilibus oblectamentis cautio, tar-
„ditas ac labor in percipiendis literis, faci-
„litas & obſequium erga ſodales, ſtultitiæ
„illi

(h) Coriolano Plutarch. Tom. I. Opp. pag. 218. fin. edit. Francof. 1620.
(i) Ibid. pag. 174. C.

„illi opinionem ac ignaviæ apud ignotos „præbuit. Stabilem vero altamque ejus „indolem & animi magnitudinem atque „celsitudinem, pauci fuerunt, qui perspice„rent. At brevi inde cum ætate republica „gerenda excitatus, quam securitatem alii „opinabantur, eam ostendit cuilibet immo„tum esse animum; cautionem, pruden„tiam; tarditatem vero & cunctationem, „unde Cunctator, constantiam & mentis „firmitudinem.„

§. 7.

Rebus fortissime fortunatissimeque ad miraculum usque gestis optime de universa in præsentissimum discrimen adducta patria meritus Horatius *Coclitis*, id est Unoculi sortitus denominationem fuit. Misso LIVIO, FLORO, cæterisque Latinis historicis, ad quos facilior Lectoribus datur aditus, unius tantum Græci, DIONYSII HAL. (k) de invictissimo viro in Romanum sermonem translata referam verba. „Tres „solummodo viri, ait, servaverunt totum „exercitum, - - e junioribus P. Horatius, „*Cocles* cognomine, quod illi ex oculi vi„tio in pugna effossi, est inditum; vir „egregia forma & singulari animi virtute „præ-

(k) *Ant. Rom. lib. IV. pag. 295. lin. 11.*

„prædictus.„ Libera necdum republica, & ante *Superbi* regnum liberrima iſthæc ὀνοματοποιία obtinuit jam atque invaluit; quin dixerim, cum ipſa Urbe natam eſſe. Conditori ſtatim, & regi primo cognomen *Altello*, ut docet nos FESTUS; (1) & nomen pro Romulo denique *Quirino* dederunt. Iudice SCALIGERO „ab „*alendo* dictus *altus*, *altulus* & *altellus* de„nique, notat eum, qui expoſitus inven„tusque ab aliis, quam a parentibus fuit „. altus atque educatus.„ Competere hoc cognomen in Romulum & Remum, utpote expoſitos infantes, & a Fauſtulo paſtore inventos ac enutritos, nemo neſcit. Magis tamen placet DACERIUS, qui ſic: „Ab *alter* derivatur *alterulus*, & ab hoc „*altellus*, id eſt *geminus*, quod fratrum „*geminorum* uterque videtur *alter* eſſe.„ Forſan igitur Romulo cædem fratris gemini, ipſius juſſu factam, cognominando eum *Altellum*, exprobrarunt. Ipſum tandem Romulum, ubi rumor inter cives increbuit, occiſum clam a Patribus eſſe, resque ſpectavit ad ſeditionem; optime Optimates ita demum ſaluti ſe ſuæ conſulturos fore exiſtimarunt, ſi Divum facerent, quem reddere vivum nequirent; atque, ut Quiritium

(1) pag. 20. edit. Paris. 1681.

tium ira & ultione æſtuantes animi blandius mulcerentur, novo deo novum nomen *Quirino*, ab ipſis his deſumto Quiritibus, ingererent. Romuleæ gentis penultimum regem vel ipſa mater ſerva *Servium* nominavit, ut ſervilis ſuæ ab origine conditionis nec ipſa, nec recens natus filiolus unquam obliti, modeſtiæ ſequutura omni vita litarent; (m) vel Tarquinii Priſci regia conjux, *Tanaquil* cum Romanis celſioribus aliis hoc impertiendum prænomine cenſuit, ſolatio impenſe charam ſibi genitricem affectura, quæ, quod in ſervitutem cum ipſa redacta tum maſculam prolem enixa eſſet, ægerrimo tuliſſe animo videtur. Nihil æque aptum natum erat impedire, quo minus parentem ſuæ filiique ſervitutis puderet, aut, ſi quem pudorem facta calamitoſæ ſortis mentio fronti ejus adſperſiſſet, eum confeſtim abſtergere, ac proprium hoc ſoboli inditum nomen. Quo frequentius auditura illud mater erat, eo minus quoque erat futurum, ut ejusdem ſignificatione, qualiscunque demum eſſet, afficeretur. Denominatus igitur a ſervo *Servius* ſervitii & jugum, ſi quod fuit, levius,

(m) Dionyſ. Halic. *A.* R. lib. IV. p. 207. lin. 7. ſqq.
(n) conf. Livius lib. I. cap. 39. & Dion. Hal. *A.* R. lib. III. p. 206. fin. & p. 207. princip.

vius, & contumeliam effecit minus erubeſcendam. Cæterum de ſervili Servii ejusque matris conditione diſſiliunt in partes antiqui hiſtoriographi, aliique ſcriptores, quos ingenti numero ad FLORUM a FREINSHEMIO excitatos, locupletatosque a cel. DUKERO (o) adeat, qui plenius inſtrui discupit. Mihi enim, qui brevitatis fidem dedi, non eſt integrum hac in re immorari.

§. 8.

Ex recentiori etiam hiſtoria ad clariſſ. NIEUPOORTI *Franciæ reges* obſervarem multa, niſi prævíderem, longius me ab inſtituto dimotum iri. Tantummodo libet quærere, cur, qui *Breves*, *Calvos* & *Balbos* largitus eſt, inviderit nobis *Simplices* & *Ignavos?* Aeque ac *Carolus II. Calvus*, ejusque filius & proximus ſucceſſor *Ludovicus II. Balbus*, Franciæ reges fuerunt *Carolus III. Simplex*, Balbi ſimiliter filius & regni hæres; atque, in quo progenies Carolovingicorum Galliæ Monarcharum defecit, *Ludovicus V. Ignavus.* Quorum alter in rebus regni gerendis tam ſimplici ac ſtupido fuit ingenio, ut in dies Galliæ Proceribus evileſceret magis, & juxta mecum

(o) Notis ad Flori lib. I, cap. 6. init. p. 55.

cum nemo, qui in hiſtoria medii ævi vel mediocriter verſatus eſt, dubitet, quin *ſuperſtes adhuc*, & cumprimis *ultimo*, quod ſolio deturbatus in captivitate exegit, *ſexennio* paſim ac propalam *Simplex* appellatus fuerit. *Ignavus* vero alter cognomine (Gallice *Fait Neant*, quod etiam reddideris *Nequam*, *Vappa*, mollius autem interpretantur alii: *Juvenis qui nihil fecit:*) & cum matre Emma, & cum Blanca conjuge inimicitias exercuit, huicque, licet formoſiſſimæ Principi, tam ſe inamabilem exhibuiſſe fertur, ut veneno eum in ætatis flore perimeret. Quocirca hunc quoque *vivum adhuc* ex impotenti ira atque indignatione a duabus foeminis, omnibusque earum tuentibus partes quam ſæpiſſime vocitatum *Ignavum*, ſeu *Nequam* fuiſſe, & uſu frequentiſſimo commune nomen in ejus quaſi proprium abiiſſe, nulli ambigimus. Cum Galliæ reges *Calvus* & *Balbus*, de quibus modo dicebamus, Romani etiam fuerint Imperatores, cæterorum Imperatorum potiora ſequioris commatis adjiciam cognomina. Inter orientales prominent *Apoſtatæ*, *Dicori*, Ἀναλφαβητοι, *Pogonati*, *Rhinotmeti*, *Copronymi* & *Caballini*, *Balbi*: in occidentalibus *Aucupes*, *Rufi*, *Claudi*, *Nigri*, *Barbaroſſæ* vel *Aenobarbi*, *Unoculi*, *Inſani*. Quis probaverit, omnia & ſingula iſthæc cogno-

cognomenta omnibus & singulis, qui dehonestati illis fuerunt, Cæsaribus post mortes demum suas ingesta esse? Quid quod nec *Ignavi*, nec *Superbi* (ipsum illud, quo Tarquinius Minor diffamatus est, cognomen) inter alios desunt Principes. *Ignavus* cognominatus est Rudolphus III. postremus Burgundiæ rex; & Lotharii Imperatoris gener Henricus, potentissimus ævi sui in Germania Princeps, hincque fastu turgidus suo sibi jumento invidiosum *Superbi* titulum advexit.

§. 9.

Interrogaverit heic quispiam; cur sceleratissimum Principem, qui & immani sævitia infamem se reddiderit, Romani potius *Superbum*, quam *Tyrannum* aut *Crudelem* cognominaverint? Sed vero, FLORUM si audimus, crudelitate bonis viris gravior est superbia; sique LATINUM PACATUM, graviorem semper Romani veteres putarunt servitute contemptum. Uterque de Tarquinio nostro verba facit, dicitque ille: (p) „In s natum cædibus, in omnes super„bia, quæ crudelitate gravior est bonis, „grassatus; hic vero: (q) „Cum indiscreta „feli-

(p) Lib. I. cap. VII. p. 60. l. 2. fin. edit. Dukeri.
(q) Paneg. in Theodos. M. cap. XX. & pp. 125. 126. edit. Froben. MDXX.

„felicium pedisſequa ſit ſuperbia, vix cui-
„quam contigit, & abundare fortuna, & in-
„digere arrogantia. Cujus quidem ita Ma-
„jores noſtros ſemper pertæſum eſt, ut
„graviorem ſemper putaverint ſervitute
„contemptum, ejusque impatientia ſint co-
„acti poſt bellatores Tullos, Numasque
„ſacrificos, & Romulos conditores regnum
„usque ad nomen odiſſe. Denique ipſum
„illum Tarquinium execratione poſtrema,
„hoc damnaverunt maledicto, & hominem
„libidine præcipitem, avaritia coecum, im-
„manem crudelitate, furore vecordem, vo-
„caverunt *Superbum*, & putaverunt ſuffi-
„cere convitium.„ Pervagatum *crudelis* epitheton omnium eſt regum, qui eo ſe dignos præſtant. Et quid frequentius in hominum ore verſatur, quam eosdem nuncupare *tyrannos?* TULLIO Clodius *privatus*, hoc eſt nullum gerens magiſtratum, *tyrannus* audit. (r) At vero minus adhuc trita ſermonibus hominum, uſurpata de regibus, vox *Superbus* erat, atque ante hunc Tarquinium paucisſimis, imo vix ulli ea ſors obtigerat, ut vocabulum appellativum in ipſius privum ac proprium cognomen communi omnium ſubjectorum civium ſuffragio tranſiret. Jam vero quicquid

(r) pro Milone num. 35. p. 337. edit. Cellar.

novum & eximium in utramvis eſt partem, ſive honeſtam & laudabilem, ſive turpem & criminoſam; id vulgaribus ac diutino uſu quaſi detritis antehabere mortales conſueverunt. Quod autem principe loco ponendum fuerat, *dominans* Tarquinii *affectus* extitit Superbia, ex qua, ceu fonte, cætera omnis ejus turpitudo, & imprimis ſævitia manavit: id quod in proclivi eſſet demonſtrare rationibus, cunctisque ab ipſo domi forisque geſtis rebus, ſi illas hæ caperent anguſtiæ.

§. 10.

Præter *Antiquitates Romanas* diligentiſſimus NIEUPOORTUS *Romanam* quoque elucubravit *Hiſtoriam*, quæ, ut Argentoratenſis Antiquitatum ejus Editor ſubnotat, (s) Trajecti ad Rhenum A. MDCCXXIII. prodiit. Mihi nec jam *Romana* illa *Hiſtoria* ad manus, nec unquam antehac illius evolvendæ facta copia eſt. Quare nec ſcio an in ea mentem ſuam doctiſſimus Auctor mutaverit, correxeritque, quem hac ego diſſertatiuncula profligavi, errorem. Sed fac, factam in *Hiſtoria* emendationem eſſe. Facienda dudum litura in *Ritibus* etiam fuerat; nec mea, quæ nunc demum

(s) Notula fini Præfat. Nieupoorti ſubjecta.

mum pingue erratum obelo notat, ſupervacanea ducenda eſt opera. Altero libro multi deſtituuntur, qui alterum posſident. His conſulendum eſt, ac providendum, ne dicentis auctoritate inducti pro veris falſa adoptent. NIEUPOORTI Antiquitatum epitome cum quavis alia de principatu contendit: verum docti viri labor opus habet recognitione; & quam vellem, ut quis, Romæ veteris inſtitutorum non leviter tinctus, ſed probe imbutus notitia, ocyus hunc in ſe laborem ſuſciperet! Multorum Lutheranorum manibus verſatur libellus, de quo dubitare nos vetant repetitæ ejus Budisſæ & Argentorati editiones. Utriusque Proteſtantium eccleſiæ Profeſſores paſſim in Germania ex æquo hoc Compendium in Lectionibus ſuis atque Collegiis interpretantur; & cumprimis Gottingæ cel. GESNERUS, fato nuper functus, qui in his literis affinibusque cæteris propemodum regnabat, ad illius ductum regnatoris quondam populi Antiquitates tantum non aſſidue expoſuit. Quocirca, ut cunctis NIEUPOORTUM quotannis plus ſemel carpendi, refutandique, &, ſi qui in iis impotentioris animi ſunt, vitilitigandi anſa præcidatur; ſi cui ex nobis, qui Reformatorum initiati ſacris ſumus, & facultas & otium ſuppetit, ejus potiſſimum

eſt, natum in gremio Reformatæ eccleſiæ opuſculum, idemque tam utile, quam doctum, a pauculis, quibus adſperſum eſt, maculis repurgare.

§. II.

In cauſa eſt ſola prolixitas, quo minus cauſas ſubjicere gravisſimas juſtisſimasque posſim, quibus impulſi veteres Romani famæ ultimi regis ſui indelebile ſtigma, cognominando eum Superbum, inuſerunt. Dignisſimæ tamen illæ ſunt, quæ dedita opera, collatis & in concordiam redactis omnibus, qui characterem Tarquinii quoquo modo produnt, antiquorum ſcriptorum locis, in apricum producantur; præſertim cum nemo hactenus, quod ſciam, eo labore perfunctus ſit. Quapropter ſingulari Diatriba, quæ huic inſtar magnæ ſit mantisſæ, olim ego, quicquid de Tarquinii indole ac moribus memoriæ proditum eſt, quanta & induſtria & judicii ἀκριβείᾳ potero, excutiam. Neque vero, ſi ex additamento hoc abunde conſtiterit, meritisſimo jure Tarquinium Minorem a Romanis vetuſtioribus cognominatum Superbum fuisſe, in exemplo hoc proterva ſeculi noſtri ingenia præſidium inveniunt, quo libellos ſuos famoſos, & cognomina propudioſa, mordaciaque carmina, quibus chri-

Chriſtianos inceſſunt Principes, tueantur. Grande nefas & Majeſtatis crimen morte piandum hoc pacto committitur. Nos privati homunciones non ii ſumus, qui de ſummis Poteſtatibus ſplendida faciamus arbitria, earumque actiones & conſilia, quorum cauſas plerumque juxta cum ignariſſimis ſcimus, ſub rigidam vocemus cenſuram. Subſumus nos, illi præſunt, & ſuperiorem judicemque habent neminem, niſi, cui omnia ſubjecta ſunt, quique judicat omnes, Regem regum, & dominantum Dominum, unum Optimum Maximum Deum. Fruſtra ſunt, qui obtentui ſumunt bella, quæ ſuo cum Principe Princeps, quem allatrant, gerat. Armis, non linguis petitum armis Principem ſuum ſubjecti defendant cives. Ridentur verba, aut rabiem modo hoſtilem exasperant, & reconciliationem reddunt difficiliorem. Certisſimus ego ſum, inter hodiernos tot in toto, qua patet, chriſtiano orbe Principes inveniri neminem poſſe, qui tam ſævus & ſanguinarius ſit, quam communi omnium, res ejus tradentium, conſenſu fuit Tarquinius. Quapropter ſummâ injuriâ multo meliores chriſtiani Principes cum rege ethnico longe pesſimo exæquantur, &, ut quondam huic, ſic illis nunc, petulantis calami orisque intentantur verbera. Quarum

vero imprimis habenda ratio eſt, Scripturæ nos divinæ jubent, Dei in terris Vicarios omni & honore & obſequio proſequi, nec quicquam, ſive clam, ſive palam dicere & agere, quod principali faſtigio invidiam conflare, aut parere contemptum queat. (t) Ea non horrent temeraria & plerumque mercenaria loquacitate, quin ore blasphemo calumniatores vilisſimi de Magiſtratibus ſupremis effutire, quæ in Diabolum ſancti Angeli, ipſeque Angelorum Princeps, Michael, Dei Filius, religioni ſibi duxerunt effari. „Somniantes hi (ait Apo„ſtolus Judas) carnem polluunt, Domina„tum rejiciunt, Dignitates conviciis pro„ſcindunt. At Michael Archangelus cum „adverſus Diabolum certans de corpore „Moſis diſceptaret, non auſus eſt impin„gere illi notam maledicti, ſed dixit: In„crepet te Dominus.„ (v) In eandem Petrus ſententiam: „Secundum carnem, „inquit, in impura cupiditate incedunt, „Dominatum deſpiciunt; audaces, ſibi „ipſis placentes non horrent Dignitates „blasphemare, cum tamen Angeli, robore „& potentia majores, non ferant adverſus

„eas

(t) Matth. XXII. 20. 21. Act. XXIII. 5. Rom. XIII. 1-7. 1 Pet. II. 13. 14. 17. &c.
(v) Epiſt. Judæ v. 8, 9.

„eas coram Domino blasphemum judicium. „Isti vero, ceu bruta animantia, quæ na„turali impetu feruntur, facta in capturam „& occisionem, evomendo blasphemias „de iis, quæ ignorant, in sui ipsorum per„ditione interibunt.„ (x) Prædicante Evangelium Paulo immanissimus tyrannus Nero ad imperii Romani gubernacula sedebat, Nero inquam, non homo, sed monstrum nulla virtute redemptum a vitiis, quæ nulla prior spectaverat ætas. Nihilo secius, tantum abest, ut hunc vel oblique criminetur Apostolus, &, qui multorum fuit, at solide nunc confutatus error, nominatim *leonis*, *ex cujus sit ereptus ore*, metaphorica appellatione indigitet, (y) ut ante omnia hortetur, pro hoc etiam Imperatore primi Christiani facerent supplicationes, precationes, intercessiones & gratiarum actiones. (z) Ὑπερ βασιλεων, *pro regibus* scribit primum, quorum primus ea tempestate Cæsar Romanus erat, utpote quem constat βασιλεα, *regem* à Græcis vocitari, ipsique fatentur Judæi *unum suum regem* esse, (aa) ac denique a Petro plus

 semel

(x) 2 Epist. II. 10-12.
(y) 2 Tim. IV. 17. v. Cel. HEUMANNUS Explan. German.
(z) 1 Tim. II. 1. 2.
(aa) Joh. XIX. 15.

ſemel *regis* inſignitum nomine legimus. (bb) Huic itaque divino & nos morem gerentes monito, pro Auguſtiſſimi noſtri Imperatoris, omniumque hodiernorum Regum ac Principum ſalute & regimine felicisſimo pia nuncupemus vota, & indefeſſa Coelum fatigemus prece, ut dominetur in Hominum, qui hominibus dominantur, cordibus *Pax Dei* (cc) *omnem ſupergrediens intellectum.* (dd) Qui ſummi Germaniæ Europæque Principes luctuoſiſſimum bellum ancipiti plerumque Martis alea, in duas diviſi partes, hactenus geſſerunt, geruntque etiamnum; univerſi derepente in Legatos ſuos Auguſtam Vindelicorum, almæ pacis redintegrandæ cauſa, mittendos conſenſerunt. Quis pacificam hanc inſpiravit mentem? Quis animos non ſtudiis tantum & conſiliis, ſed armis quoque & caſtris maxime diſcordes ad eam jam concordiam reduxit, niſi unus *Deus Pacis*, qui apud Jeſaiam (ee) dicit: „Formo ego lucem & „creo tenebras; pacem facio, & creo ma„lum: ego Dominus omnia illa facio.„ Quare cum excitato ad Timotheum loco, (ff)

(bb) 1. Petr. II. 13, 17.
(cc) Coloſſ. III. 15.
(dd) Philipp. IV. 7.
(ee) cap. XLV. 7.

(ff) Paulus ad gratias etiam Deo pro Regibus agendas exſtimulet, meminerimus & pro noſtrorum nos Regum propenſa ad pacem ineundam voluntate ad grates, quas poſſumus, maximas benignisſimo Numini ſedulo memori de pectore promendas obſtringi. „Regis animus, Regum ait ſapien„tisſimus, (gg) eſt in manu Domini; ſicut „aquarum rivi, quocunque vult, eum in„clinat.„ At vero quoniam ſuſcipienda *Pacificatio* momenti longe maximi, & difficultatibus, iisque propemodum inexplicabilibus, obſita res eſt, toto illo, quo in ea deſudatur, tempore tota non ſolum Germania, ſed & cunctæ reliquæ ſub truci Bellonæ flagello nunc ingemiſcentes terræ in vota precesque eant, ut ſaluberrimum profligetur opus, & prosperrimum ocyus exitum indipiſcatur: ita vero, ut tranquilla nobis Alcedonia non ſecuritatem carnalem; non luxum, corporis explentem voluptates retribuant, ſed cum fortunæ, animi quoque bona, & cum phyſicis moralia redonent commoda. Sic demum alma pax ab univerſis, ad quos redibit, jure meritisſimo *rerum optima* ſalutabitur. Sic demum cunctis meis & conterraneis Ger-

(ff) 1 Tim. II. 1. 2.
(gg) Prov. XXI. 1.

manis, & civibus Bremenſibus gloriari ex vero licebit: (hh)

Tutus bos iterum rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas:
Pacatum volitant per mare navitæ:
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam poena premit comes!

(hh) Horat. Lib. IV. Od. V. verſ. 17. ſqq.

II.

M. JOH. J. AMNELL,

GR. LIT. PROFESSORIS REGII ORD.
IN ACADEMIA UPSALIENSI,

TA
ΤΗΣ ΝΑΥΤΙΚΗΣ ΠΑΛΑΙΑ
SEU
ANTIQUITATUM
REI NAUTICAE
& FABULIS ERUTARUM
SPECIMEN. (*)

Q. B. V.

§. I.

Navigationis Ortus.

Quum eo creviſſet humanum genus, ut, qui, poſt univerſalem telluris inun-

(*) *Editum hoc ſpecimen fuit ſub forma Diſſert. Academicæ & defenſum à* Magno Olavo Beronio, *Uplando, Reverendiſſimi Epiſcopi* MAGNI BERONII *filio*, Upſaliæ, *A.* 1757. *Cum heic & alibi lumina, quæ ſoles Arctoi ſpar-*

inundationem, Noachidas exceperat orbis terrarum angulus, iis non amplius ſufficeret, in neceſſitatem adducti videntur, extra patrium illud ſolum, novas ſibi ſedes quærendi; id autem quo minus expedite facerent, paſſim objecta maria & flumina obſtitere: unde factum, ut aliquam ea trajiciendi rationem, haut ſecus ac reliqua inſtituta, ad vitam melius commodiusque agendam conferentia, mature ſatis excogitaverit ingenioſa mater artium indigentia. Sed quæ primum aquæ alnos admiſerint cavatas, aut quis mortalium primus vitam ſuam fragili committere rati ſuſtinuerit, nauticæ rei primordia alio trahentibus aliis, liquido dicere vix cuiquam in promtu fuerit. Qui artium quarumcunque natales, divina humanis miſcendo, auguſtiores facere adſolent, iidem & navigationis origines conſecrant & ad deos referunt auctores. Sic ſunt, qui ad *Janum*, ſunt qui ad *Prometheum*, ſunt vero etiam qui vel ad *Minervam*, vel ad *Neptunum*, vel denique ad

ſpargunt, variſſime adpareant, hoc vero ſpecimen clara hinc inde eruditionis & ingenii in re obſcura pandat lumina, ejus copiam lubentiſſime B. L. damus, plura ejusmodi diligentiæ Suecicæ ſpecimina, volente Deo, in poſterum communicaturi. N. B.

ad *Bacchum*, hujus rei inventum delegatum velint. Et certe, si detractis velis, queis poëtarum numina obtenduntur, nudam horum faciem ob oculos ponamus, agnoscemus, opinor, & in *Prometheo*, & in *Jano* atque *Neptuno*, quasdam veræ traditionis reliquias, quæ ad inveniendum navigationis ortum nos deducere queant. Quod ad *Prometheum* adtinet, ipse sibi hanc laudem vindicat apud ÆSCHYLUM: v. 456.

Θαλασσόπλαγκτα δ' ὅστις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
Λινόπτερ' εὗρεν ναυτίλων ὀχήματα.

Quemadmodum etiam APOLLODORUS *Grammat.* (a) tradit, auctore illo & auspice, *Deucaliona* fabrefeciſſe navigium, (quod λάρνακα & κιβωτὸν adpellare fuerunt auctores,) (b) quo se subduceret iræ Jovis, aquarum inundatione humano generi interitum molientis. Et quum veri perquam simile videatur, Deucalioneum hocce diluvium a mythographis confictum esse ad ejus exemplar, quod Noachi tempore terram obruisse testatur sacer codex; haut fortasse multum a vero abluserit illorum conjectura, qui in Prometheo observare sibi videntur quasdam notas, unde Noachus

(a) L. I. p. m. 19.
(b) Vid. HUETII dem. Ev. prop. IV. C. X. p. 150

Noachus agnosci queat (c): in quo sicut hominum genus reparatum esse novimus, ita etiam nobis heros ille communis humani generis parens a Poëtis sistitur; ut qui tellurem,

- - mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum (d).

Neque vero eo nos ab isthac opinione dimoveri patiemur, quod *Prometheus* dicitur filius *Japeti*, quum tamen *Japetus*, (idem haut dubie cum *Japheto*,) Noachi fuerit filius: mirum enim non est, si in rebus, quas adeo remota & caliginosa premit antiquitas, hallucinati aliqua ex parte fuerint, & patris filiique nomina confuderint, qui πατροπαράδοτα ista vel ore circumferre perrexerunt, vel demum mandavere literis. Satis fuerit etiam sic, in hisce ruderibus, quædam adparere priscæ traditionis vestigia; unde concludere fas sit, creperam saltim veritatis lucem e longinquo quasi prospexisse illos, qui Prometheum faciunt primum navigationis auctorem. Neque enim dubium est, quin struen-

(c) Cfr. VOSSII Theol. gent. L. I. C. XVIII.
(d) OVID Metam. L. I. v. 81. seq.

ſtruendarum navium artificio ſuis poſteris quodammodo præierit Noë, utpote quos recens memoria τῆς κιβωτοῦ, fabricatæ ab ipſo, & per altas diluvii undas, divina moderante providentia, agitatæ, facile permoverit, ut æquora tentarent navigiis, quando, ſedem mutaturos, nova ſubinde litora adire ipſa juberet neceſſitas: ut vel hinc pateat ludere MAXIMUM TYRIUM, (e) ubi ait, fortuitu, vel ex avibus, vel ex quacunque leviori materia, aquis innante, primum didiciſſe mortales ratem pelago committere. Sed propiora hujus artis initia mihi reſpexiſſe videntur illi, qui ejus inventæ gloriam *Neptuno* delegant. Φασὶν οἱ Κρῆτες, verba ſunt DIODORI Sic, (f), Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χρήσασθαι ταῖς κατὰ θάλασσαν ἐργασίαις, ἢ σόλυς συρᾶσθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην τοῦ Κρόνου. κ. τ. λ. Eſt vero *Neptunus*, ſi quæ poëtæ fabulantur, ad hiſtoriam referas, vix alius, quam *Japhet* Noachi filius. Sicut enim maxime vero conſentaneum videtur, in *Saturno* cultum a ſuperſtitioſa antiquitate fuiſſe ipſum *Noachum* (g), ita ternam hujus ſobolem in totidem Saturni filiis adumbrari,

(e) Diſſ. XL.
(f) L. V.
(g) Vid. BOCHART. I. I. c. I. AUR. VICT. de orig. gent. Rom. &c.

brari, credere fas est. Neque ipsâ Græci nominis origo huic sententiæ adversatur: dicitur enim Ποσειδῶν, non, mea quidem sententia, παρὰ τὸ πόσιν δῆναι, ut nonnullis visum, sed a Phœnicio פשיטן *Pesitan*, quod *latum* & *expansum* denotat; unde, paucis immutatis, Scheva nimirum primæ syllabæ per O expresso, & T in D mutato, fit Ποσειδῶν. Est autem פשיטן a radice פשט *dilatare*, *extendere*: adeo ut ipsa vocis significatio optime cum Hebræorum יפת conveniat; ad cujus nomen sic adludit Noë (h): יפת אלהים ליפת Et fortasse non incommode ab Hebræorum פתח, unde *Japhet*, deduxeris Latinorum *Neptunum*: est enim in 1 pl. pr. *Niphal* נפתינו, unde, paucis mutatis, & adjecta terminatione Latina, fit *Neptunus* (i); nisi forte malis ad Ægyptiorum νέφθυν id referre, de quo PLUTARCHUS (k): Νέφθυν καλοῦσι τῆς γῆς τὰ ἔσχατα, καὶ παράλια, καὶ ψαύοντα τῆς θαλάσσης. Sed utcunque hæc existimata & animadversa erunt, id saltim certius videtur, antiquissimum *Neptunum*, (nam diffitendum non est, plures

(h) Gen. IX. v. 27.
(i) Conf. JACOB OUZELII animadv. ad MINUCII FEL. Octav. p. m. 106.
(k) De Iside & Osiride.

plures hoc noſtro recentiores fuiſſe Neptunos, eosque, ad ipſius exemplum, ex quoliber fere celebriori principe inſulari & θαλασσοκρατῆντι in poëtarum cerebro formatos (l),) fuiſſe ipſum *Japhetum*, ad quem nauticæ rei primordia dum referunt nonnulli, illam haut dubie reſpiciunt navigationem, qua Japheti progenies ex Aſia in mediterranei maris inſulas ipſamque Europæ continentem pervecta fuerit. Quis autem filiorum vel nepotum Japheti, quorſumve primam duxerit coloniam, pro certo non dixerimus: probabile maxime videtur, *Javanem* vel ejus progeniem in inſulas Aſiæ adjacentes primum adpuliſſe; unde &, ſi fidem meretur JOSEPHUS, (m) inſulæ omnes a *Chittim*, primo inſularium ſeminatore incolarum, Hebræis vocatæ ſunt *chittim*. Sic ultimam navigationis originem repetendam ducimus vel a *Japheto*, vel ab ejus progenie *Javane* hujusve filiis. Et ſiquidem ex *Javan* יָוָן (quem Ιωνα, progenitorem ſuum, ipſi laudant Græci, & ii quidem Ιωνες ex conditore olim dicti, itemque Ιάονες,) (n) formatus haut

(l) Vid. VOSSII Theol. gent. L. I. C. XV.
(m) L. I. C. VII.
(n) Vid. HOMER. IA. N. v. 685.

haut duble fuit etiam *Janus* antiquisſimus deorum (o), facile videmus, quo illi reſpexerint, qui, ut dictum nuper eſt, *Janum* fecere navigationis auctorem. Non vacat nobis addere quidquam de *Baccho* ſ. *Jaccho*; quem non modo *vini* ex uvis exprimendi, ſed & *navigationis* apud Phœnicas auctorem laudant. Neque vero is longe abeſſe videtur a *Noacho*; cui utrumque inventum illud, ſacra præeunte hiſtoria, merito referatur acceptum. Quando autem in mythiſtoria Bacchi, poëtica quadam προλήψει, mentio fit *Phœnicum*, his ipſis antiquiorem revera exſtitiſſe navigationem, moneamus, oportet. *Phœnices* utpote *Eſavum* ſuæ gentis auctorem agnoſcunt, qui, JOSEPHO arbitro (p), *Adomus* vocatus eſt, quod rubri cibi pretio jus primogeniti vendidit; Ἀδωμα γὰρ, verba ſunt JOSEPHI l. c., Ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν· unde etiam terra, quam tenuit, *Idumæa* dicta eſt, teſte eod. JOSEPHO l. c. τῆς Ἰδουμαίας ἦρχεν, ἕτω καλέσας τὴν χώραν ἀπ' αὐτοῦ. Quum vero Hebræorum אדם idem ſignificet, quod Græcorum Φοίνιξ, factum eſt, ut *Idumæa* ſit a Græcis vocata Φοινίκη. Et

(o) Conf. laud. VOSSII Theol. gent. L. I. cap. XVIII.
(p) L. II. c. I.

Et ſic, quoniam ante tempora Eſavi &, quod ex eo conſequitur, Phœnicum, navibus tentatum mare, ſupra audivimus, non illorum, puto, qui Phœnicibus primam præcipuamque frequentatæ navigationis laudem tribuunt (q), mens fuit, primos navigandi artem inveniſſe iſtos, ſed, quum imperfectior ante fuiſſet, adſiduo excoluiſſe uſu, & ad longinquas navigationes maritimas primos transtuliſſe. Et quidem vaſta maria, negotiationis cauſſa, antiquiores Phœnicas ſecuiſſe, vel ex navigatione Salomonea, Tyriorum ope, ad *Ophir* (regiones forte Indiæ orientalis) (r) inſtituta, adparet. Idem ferme de illis judicandum exiſtimo, qui Ægyptiorum hoc inventum eſſe dictitant. Videlicet etiam hos olim navigandi artem ad longinquiora itinera adhibere cœpiſſe, nos ſatis edocebit HERODOTUS (s), ubi tradit, rege *Neco* (t)

(q) In quibus ſunt PLINIUS L. V. c. XII & MELA L. I. c. XII. ARISTOT. item περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, TIBULL. El. VII. L. I. v. 20. aliique.

(r) Conf. auct. Acerræ philolog. p. m. 409. it. BOCHART. L. I. Can. c. XLVII.

(s) L. IV. c. 42.

(t) Vixit hic *Neco*, quo tempore Judæorum rex fuit *Joabas*, uti colligimus ex 2 Reg. XXIII. 34. adeoque annis circiter 666. ante N. CHR.

„Ægyptiis imperitante, tentatum esse cur„sum circum totam Africam; &, qui ejus „jussu, ex rubro mari solverant, post tri„ennium demum per mare mediterraneum „in Ægyptum rediisse:„ unde primum constitisse ait historiarum ille pater, Africam esse undique aquis circumfusam, nisi qua parte Asiæ adhæret. Sed de primo navigationis ortu plura differere nostri alienum est propositi; quemadmodum neque animus fert diffusius heic exponere, quibus pedetentim gradibus ex infimo ad suum fastigium adscenderit mirabile illud naves struendi & gubernandi artificium. Ne vero nihil prorsus dixisse arguamur, adnotabimus in posterum subinde, quid a quoque hac in re sit præstitum, quoties fabularum, quam susceperi sumus, expositio ejus rei copiam nobis præbuerit. Cui prius quam adcingamur, Te, B.L., perhumaniter rogamus, velis facilem & benignam nobis veniam dare, sicubi Tuo desiderio minus satisfeciisse videbimur.

§. 2.

Taurus, Europæ lator.

Jovem, tauri mentitum speciem, e Phœnicia in Cretam avexisse Europen, Agenoris filiam, taurino impositam dorso, tradunt

dunt poëtæ. Qualis autem poëtarum ille Jupiter fuerit, qui paternis amplexibus Phœniſſam hanc virginem avulſerit, haut difficile exiſtimatu fuerit illi, qui memine-rit, conſueviſſe fabuloſam antiquitatem *Jovis* nomine cohoneſtare reges, qui po-teſtate & eminentia ſui ordinis aliis anteſta-rent: unde etiam tam uber olim fuit hujus nominis proventus, ut nullum, præſertim ante Trojani belli tempora, fuiſſe ſeculum feratur, quin novum produxerit Jovem. Quorum heroum omnium vel ſcelera, vel res præclare geſtas, ad qualemcunque por-tentis fidem faciundam, poëticæ venuſtatis colore circumlitas, in unum Cretenſem Jovem congeſit vatum licentia; qui adeo ex horum officina, tanta coopertus vitio-rum deformitate, prodiit, ut turpiſſimo latroni, quam deo, ſimilior adpareat. Erat ergo Jupiter hic Cretenſium rex, quoquo is tandem vero nomine fuerit, ſive *Aſte-rius*, ut EUSEBIO, ſive XANTHUS, ut AUGUSTINO placet. Nam *Tauro* illi no-men fuiſſe, hoc ægrius nobis perſuadebit PALÆPHATUS (a), quod ad fidem ſit pro-nius, ad navis παράσημον, quam tyranni no-men, adluſiſſe fabulæ confarcinatores: id quod probabile quodammodo efficietur,

(a) Περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν C. XVI.

ubi hujuscemodi ſignorum uſum & naturam paucis expoſuimus. Erat navis παράσημον alicujus animalis effigies, ea fortaſſe fini in prora expreſſa, ut naves inde dignoſcerentur. Et ſic diverſum erat a *tutela*, ut quæ numinis alicujus imaginem, in puppi expreſſam, referret. Cujus utriusque ſigni OVIDIUS (b) meminit:

Eſt mihi, ſitque, precor, flavæ tutela *Minervæ,*
Navis & a picta caſside nomen *habet.*

Erat ergo in hac Naſonis navi παράσημον caſis, *tutela* autem Minerva; quo nomine ſimulacra deorum fuere inſignita, quod illorum tutelæ naves commendarentur. Videntur autem ſingulæ gentes certa habuiſſe numina, queis potiſſimum navium curam commiſerint. Sic auctor eſt HESYCHIUS, conſueviſſe Phœnicas πατρικὰς θεὰς ἱσᾶναι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν· (c) id quod

(b) Triſt. L. I. El. IX.

(c) Vocabantur hæc Phœnicum tutelaria numina παταικοὶ ἢ πάτταικοι· quorum, præter SVIDAM, HESYCHIUM, &c. HERODOTUS meminit in *Thalia*: Παταίκους, inquit, οἱ Φοίνικες ἐν τῇσι πρῴρῃσι τῶν τριήρεων περιάγεσι. Erat autem, ut J. SELDENUS tradit *in Synt. II. de Diis Syris C.* 16. vel *Baal*, vel *Aſtarte*, vel alius Syrorum deus.

quod de Libycis etiam teſtatur SILIUS (d):

Hammon numen erat Lybycæ gentile carinæ,
Cornigeraque ſedens ſpectabat cærula fronte.

Sed neque infrequenter uſu veniſſe deprehendimus, ut ſingulæ naves ſibi habuerint proprias ac peculiares tutelas: ubi id egiſſe navigantes videntur, ut ea ſibi deligerent tutelaria numina, quæ cujusque inſtituto maxime eſſent adcommodata; ut mercatores haberent *Mercurium*, milites *Martem*. &c. quo reſpexiſſe mihi videtur OVIDIUS, (e) dum *Paridis* navigio *Veneris* tutelam adponit:

Qua tamen ipſe vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponſor conjugii ſtat dea picta *ſui.*

Unde etiam diſcimus, deorum effigies pingi olim ſolitas fuiſſe: quæ adeo *picti dii* paſſim apud poëtas vocantur (f). Quomodo etiam effingi ſuevere τὰ παράσημα, ideo *picturæ* Latinis ſcriptoribus non raro adpellata, & *picti metus* PROPERTIO (g):

(d) Lib. XIV.
(e) Heroid. Ep. XVI. v. 113. ſeq.
(f) OVID. Heroid. Ep. XVI. v. 111. it. Triſt. L.I.
(g) L. IV. El. VI. v. 50.

forte ideo, quod, quum πρῶτομαὶ plerumque exſtiterint ſævorum animantium, ut leonum, tigridum, aliorum, ad terrorem hoſtibus incutiendum videantur compoſita fuiſſe. Sed & utrique uſui inſerviiſſe legimus ἀγάλματα, ſive effigies ſculptas ex ligno vel alia materia. Sic meminit SENECA (h) *tutelæ ebore cælatæ;* & SCHOLIASTES HOMERI (i) dicit: Επὶ τῶν ἀκροστολίων ἦσαν ἀγάλματα ἢ εἰκόνες τῶν Θεῶν. Erant vero ἀκροστόλια, auctore *interprete* APOLLONII, (k) ἄφλαστα κατὰ τὴν πρῴραν, vel talia proræ ornamenta, qualia in puppi ea, quæ ἄφλαστα vocantur: hæc vero ἄφλαστα erant, interprete POLLUCE, (l) τὰ ἄκρα τῆς πρύμνης *ſummitates puppis*: quorum ornamentorum ſpeciem ex antiquo marmore expreſſam vide apud J. SCHEFFERUM (m), Sed hoc τῶν ἀκροστολίων ἢ ἀφλάστων diſcrimen non adeo conſtanter a ſcriptoribus obſervatum putamus, quin promiſcue nonnunquam ea uſurparint: quemadmodum etiam laud. HOMERI SCHOLIASTEN l. c. feciſſe ſuſpicor; nam alioqui non video, qui fieri potuerit, ut εἰκόνας Θεῶν

(h) Epiſt. LXXVI.
(i) Ad. ιλ. Α.
(k) L. I. Arg. v. 1089.
(l) L. I. C. IX.
(m) De milit. nav. L. II. cap. VI.

Θεῶν locum habuiſſe diceret ἐπὶ τῶν ἀκροτολίων, quum, ut ſupra oſtendimus, in puppi ſedes tutelis adſignata fuerit. Niſi dicere forte velimus, non ſatis adcurate illum diſtinxiſſe παράσημα a *tutelis*: id quod aliis ſcriptoribus uſu veniſſe obſervavimus. Sic SERVIUS ad hunc MARONIS verſum (n):

Velocem Mneſtheus agit acri remige priſtim;

dicit navim vocatam fuiſſe *Priſtim* a *tutela* depicta. Et ad alium ejusd. vatis locum (o):

Maſſicus ærata princeps ſecat æquora TIGRI,

ita diſſerit: *Solent naves vocabula accipere a pictura* TUTELARUM. Ubi *tutelas* explico non per *numina tutelaria*, qualia nullæ unquam priſtes aut tigres fuere, ſed per navium παράσημα. Ad eundem modum LACTANTIUS (p) dicit, *navim, in qua Ganymedes erat impoſitus, tutelam habuiſſe in aquila figuratam*, quum potius aquila navis hujuſce παράσημον fuiſſe videatur. Emanavit autem talis ſcriptorum error ex eo, opinor, fonte, quod, quæ navium tutelæ erant, deorum imagines, eædem non-

(n) Æn. L. V. v. 116.
(o) L. X. v. 166.
(p) L. I. *de falſa relig.* C. IX.

nonnunquam earum παράσημα essent. Sic πλοῖον Αλεξανδρῖνον, quo Paulus Syracusas transvehebatur, dicitur fuisse παράσημον Διοσκούροις· (q) quam in rem sic differit PROCOPIUS (r): Επιβῆναι δέ φασι Παῦλον ὁ Αυκᾶς ἐν πλοίῳ Αλεξανδρίνῳ παρασήμῳ Διοσκούροις· ταῖς γὰρ πρῴραις τὰς Θεῶν εἰκόνας ἐνέγραφον. Ad quem locum observo, Θεῶν εἰκόνας, dum proræ inscribebantur, παράσημα fuisse, non tutelas; sed harum demum vicem eas subiisse, si in puppi conspicerentur. Hoc modo navis, quam LUCIANUS (s) describit, habuisse dicitur τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς Θεὸν, τὴν Ισιν, ἑκατέρωθεν· adeo ut Isis fuerit navis tutela, & eadem simul παράσημον, unde nomen ceperit. Nam a *parasemis* semper, nunquam a *tutelis*, nomina imponebantur navibus. Atque hinc est, quod proræ, non puppes, præ se ferrent navium nomina, tabulæ, quæ πτυχὴ dici suevit, inscripta; qua de re DIDYMUS apud EUSTATHIUM (t): Πτυχή ἐστιν, ὅπου τὸ τῆς νεὼς ὄνομα ἐπιγράφεται. quod vero πτυχὴ fuerit in prora, id docent ejusd. auctoris verba antecedentia. Et sic haut im-

(q) Act. C. XXVIII. v. 11.
(r) In Esaiæ C. XII.
(s) In dialogo, quem vocat πλοῖον, p. m. 504.
(t) Ad HOMERI IA. O.

immerito conjicimus. Europen fuisse vectam non bove animali, qui, ut verbis utar PALÆPHATI, (u) non potuisset τοσοῦτον πέλαγος διανήξασθαι, sed navi, cui id nominis fuerit, quod παράσημος esset tauro: quomodo naves olim vocatæ fuere *Prisles*, (x) *Chimæræ* (y), *Centauri* (z), *Tigres*

(u) Cap. XVI.
(x) VIRG. Æn. L. V. v. 116.
(y) Ibid. v. 117. it. SIL. ITAL. L. XIV. v. 598.
(z) VIRG. Æn. L. V. v. 122. & alias. Idem, quod de *magna Centauro*, Virgiliana navi, judicium esto de *Cypriis Centauris*; quos navalibus Bacchi copiis adnumerans NONNUS Dionys. L. V. v. 614. atque alias sæpiuscule, intelligit haut dubie *naves Cyprias*, queis e παρασήμῳ τῶν Κενταύρων id impositum sit nominis, interprete BOCHARTO Hieroz. P. II. L. VI. c. X. p. 839. Illinc vero etiam nomen mutuata videtur augustior illa Venetorum navis, *Bucentaurus* dicta, qua reipublicæ illius dux ac senatus vehi solent, inprimis quando, ex more sollemni, conjecto in mare annulo, illud sibi despondent. Particula *Bu*, quæ nomen illud incoat, (a Gr. βῦς, quod insignis sit boum magnitudo,) vim augendi fortasse non secus hoc admiserit, atque in βυλιμία, βύπτινα, βυφάγος, βύβοσις, βύπαις, βύσυχον, βυθυσία, κ. τ. λ. itemque in *Bucephalus*, *Bumamma* VARRONIS de R. R. L. II. c. V. & *Bumastus* MARONIS Georg. L. II. v. 101. &c. Sic Venetorum *Bucentoro*, vi hujus compositionis, exprimit omni-

gres (aa), *Leones* aut *Dracones* (bb), non aliam ob cauſſam, opinamur, niſi quod navium picturæ iſtiusmodi vel animantium vel monſtrorum imagines præferrent. (Quorſum etiam merito referentur, priſcis frequentata Scandianis, navigiorum nomina: *Draken*, draco. *ormen*, anguis. *haeſten*, equus. *tranan*, grus; quæque in patriis annalibus paſſim occurrunt, horum ſimilia bene multa.) Ceterum explicationi noſtræ quid roboris conciliari poterit ex teſtimonio HERODOTI (cc), qui Europen hanc ſurreptam tradit a Græcis piratis, injuriam vindicaturis, quam Phœnices priores ipſis intuliſſent, in Ægyptum avehendo ἐὼ τὴν Ἰνάχε.

§. 3.

Aries Phrixi.

Phrixo, Athamantis & Nepheles filio, infenſa Ino noverca, largitionibus impulit vates, de annonæ ſævitia conſultos, Athamanti

omnino *magnam Centaurum* VIRGILII, Æn. l. c. Confr. etiam, ſi placet, ANDR. SENFTLEBII *Argo, ſ antiqu. navium ſilva,* & BAYFII *de re navali* lib.

(aa) VIRG. Æn. L. V.

(bb) Æn. L. X.

(cc) L. I. c. II.

manti ut perſuaderent, ita demum placata numina ſuam redditura eſſe agris fertilitatem, ſi de filiis Nepheles unus immolaretur. Itaque hac neceſſitate compulſus Athamas, fata parat Phrixo, eumque aræ deſtinat; at vero, dum jam ſacra ipſi parabantur,

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ,

adfuit repente Nephele, ipſique inſtantibus fatis erepto auratum dedit arietem, quo, cum ſorore Helle, infeſto ſe ſubduceret loco. Ille ergo hoc vectore defertur in Colchida, ubi immolati arietis pellem auream Jovi ſacravit. Helle vero, ex tergo arietis delapſa, freto, quod Sigeum inter & Cherſoneſum eſt, nomen dedit. Thebanus genere communiter ſtatuitur Phrixus: atque adeo falli opinamur PALÆPHATUM (a), ubi Phrygiam fuiſſe *Athamantis* & *Phrixi* patriam refert; niſi dicere velimus pro Φρυγίας illum ſcripſiſſe Φθίας, quod *Phthioticis Thebis* oriundus eſſet. Eſt autem Phthia Theſſaliæ pars, Achillis patria, cujus incolæ paſſim vocantur *Dolopes* & *Phthii*, uti docet STRABO (b). Neque tamen illis multum adverſabimur,

(a) C. XXXI.
(b) P. m. 659. ſeq.

bimur, qui *Bæotiæ*, non *Phthiotidos Thebis* oriundum fuiſſe Phrixum opinantur. Noſtra id haut multum intererit: ſuffecerit Græcum illum fuiſſe, & e patria ſua non *ariete*, ut in fabulis eſt, ſed *navi* vectum, præſenti ſeſe eripuiſſe periculo. Perſuadere quidem nobis conatur PALÆPHATUS l. c. inde natam eſſe fabulam, quod ἐπίτροπος τῶν χρημάτων *Athamantis*, nomine Κριὸς, detectis paternis inſidiis, id conſilii dederit juveni filio, ut ſuæ vitæ fuga conſuleret; ſed quod §. 2. monuimus, id etiam heic monendum ducimus, eorum nobis potiorem videri ſententiam, qui κριὸν ſ. arietem, navis παράσημον, huic commento locum dediſſe putant: in quibus DIODORUS SIC. (c): Διαπλεῦσαι φασὶ τὸν Φρίξον ἐπὶ νεὼς, πρότομὴν (d) ἐπὶ τῆς πρώρας ἐχούσης κριὸν· & CORN. TACITUS (e), memorans *Iberos*, *Albanos*que, (populos, inter Pontum & Caſpium mare, in Colchorum finibus colentes,) nunquam *ariete* ſacrificaſſe, *credito vexiſſe Phrixum; ſive illud animal, ſive navis inſigne fuerit.* Cujusmodi nominis navigia exſtitiſſe olim, auctor eſt POL-

(c) L. IV.

(d) Πρότομαὶ ſignificant, inter alia, *facies* brutorum animalium: vid. POLLUX L. II. & ATHEN. L. VII.

(e) Annal. L. VI. c. 34.

POLLUX (f): Εσι δέ τινα πλοῖα, λεγόμενοι Κριοὶ ἢ Τράγοι. Quorsum vero præterea hoc suo commento respexerint fabularum architecti, varie differunt auctores. Nobis ut simplicissima, ita veritati & prisco scribendi usui maxime adcommodata eorum videtur sententia, qui aureum illud vellus arietinum per auri vim aut certe cujuscunque generis opes, e Græcia in Colchidem a Phrixo subvectas, interpretantur. Antiquiori videlicet atque etiamnum rudi ætate illa sitæ erant præcipuæ hominum facultates in armentis & gregibus; unde est, quod a re pecuaria translatis vocabulis uti sueverint Græci scriptores, ubi de divitiis sermo ipsis est: sic πολυβόται, πολύμηλοι, πολύρρηνοι s. πολύρρηνες, HOMERO & HESIODO passim vocantur, qui in re sunt lautiori. Et ad eundem modum HESIODUS (g) *Eteoclem* & *Polynicen* inter se pugnasse ait μήλων ἕνεκ' Οἰδιπόδαο, h. e. de regno & regiis Oedipi fortunis. Itaque, hoc nixi fundamento; malumus exponere μαλλὸν χρυσῆν per thesaurum quemcunque, in Colchida a Phrixo deportatum, quam speciatim, cum PALÆPHATO; per χρυσῆν τῆς Ηῦς εἰκόνα. Neque ab ea opinione nos dimovet

(f) L. I.
(g) E. κι H. v. 162.

movet STRABONIS (h) auctoritas, qui dicit fabulæ locum dediſſe receptum in illa regione morem, φάτναις κατατετρυμμέναις ὑγ μαλλωταῖς δοραῖς excipiendi exiles auri arenas, quas ibi flumina paſim volviſſe traduntur. At vero, SVIDA (i) auctore, dicere τὸ χρυσόμαλλον δέρας exſtitiſſe volumen pellis arietinæ, in quo ars chemica ſeu auri conficiendi ratio fuerit deſcripta, næ id eſſet fabulam fabulæ involvere.

Quod Athamantos Inusque opum ſecum in Colchida *Phrixus* avexerat, id inde repetitum profectus eſt Iaſon, lectiſſima Græcorum juvenum turba comitatus: unde nata μυθιςορία *Argonautarum*, aureum repetentium vellus; cujus explicationem heic interſeruiſſe hoc magis juvabit, quod ab hoc usque tempore arceſſenda videantur illuſtriora navigationis apud Græcos incrementa: nam, quum parvis hucusque ſcaphis fuiſſent uſi, primus Iaſon longam navim inſtruxiſſe traditur ταυτὴν δὲ, verba ſunt PHERECYDIS (k) de *Argo* navi, Φασὶ πρώτην ναῦν γενέσθαι μακρήν. Itaque haut iſthoc loco alienum fuerit de *longis navibus* pauca diſſeruiſſe. *Longæ naves* generatim

(h) L. XI.
(i) In voce Δέρας.
(k) In comment. ad *Apollonium*.

tim vocabantur bellicæ omnes & piraticæ, cujuscunque generis & magnitudinis; unde passim apud scriptores opponuntur *onerariis* & φορτηγοῖς, ut ap. LIVIUM (l) & PLUTARCHUM (m). Atque hoc generaliori sensu comprehendunt *longæ naves* ambitu suo tam *actuariolas* (n), quarum differentia a scriptoribus definiri solet numero scalmorum; (sic commemorat CICERO *Actuariolam decem scalmis* (o); & *naviculam decem scalmorum* (p): quemadmodum PLUTARCHUS meminit πλοίῳ τρισκάλμῳ (q) & δωδεκασκάλμῳ) (r) quam *Actuarias* proprie strictèque sic dictas, quæ, observante SCHEFFERO (s), plus quam XVIII. impellebantur remis; pro quorum numero dicuntur εἰκόσοροι, (quæ, SUIDA interprete, sunt εἰκοσάκωπoι,) τριακόντοροι, (quas PO-

(l) L. XXV. c. 27.
(m) In Pomp.
(n) Cujusmodi navigia, si a singulis nautarum duo simul remi movebantur, dicta ἀμφηρικὰ vel δίκωπα, sin autem singuli singulos tractabant, *Celoces*, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν κέλητος ἵππων, ut docet SVIDAS.
(o) Ep. VI. L. XVI.
(p) De orat. L. I.
(q) Vit. Æmilii.
(r) Vit. Cæs.
(s) De mil. nav. L. II. c. II. p. m. 81.

POLYBIUS etiam vocat τριακονταπώρους, & *Scholiaſtes* THUCYDIDIS exponit per ναῦς ὑπὸ τριάκοντα ἐρεσσομένας; τεσσαρακόντοροι, ſic dictæ, explicante Schol. ÆLIANI, κατὰ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. An vero πεντηκόντοροι etiam huc referri debeant, varie differunt auctores. Negat SCHEFFERUS (t), exiſtimans *actuariarum* genus navium ultra τῶν τεσσαρακοντόρων claſſem non adſcendere; ſed, quæ pluribus inſtructæ fuerint remis, a L nimirum ad C, ad hasce, quas ipſe vocat *longas ſine ordine*, pertinere. Nobis aliter videtur: in quam ſententiam POLYBIUS (u) vel unus nos adducere poterit. Refert ille, *quando primum* Romani *copias Meſſanam transportare ſunt adgreſſi, tantum abfuiſſe, ut tectas naves haberent, ut ne longa quidem navis ulla aut lembus ſaltim unus iis fuerit: verum actuariis quinquaginta remorum & triremibus transmiſiſſe.* Cui adſentire videtur THUCYDIDES (x): Τριήρεσι μὲν, inquit, ὀλίγαις χρώμενα, πεντηκοντόροις δὲ ἔτι καὶ πλοίοις μακροῖς ἐξηρτυμένα ὥσπερ ἐκεῖνα. κ. τ. λ. Unde concludere etiam fas fuerit, τριήρεις eſſe a μακροῖς πλοίοις, ſtrictius ita dictis, discriminandas. Sed, quum alii

(t) L. II. c. II.
(u) L. I. c. XX.
(x) L. I.

alii auctores frequenter referant τριήρεις ad μακρὰ πλοῖα, haut pigebit verbo obſervaſſe, τριήρεις nonnunquam uſurpari pro illis navibus, quæ vocantur alioqui τρίσκαλμοι. Sic apud PLUTARCHUM (y): δόγμα κοινὸν τῶν Ἑλλήνων, (de pacto loquitur, inter Græcas civitates tempore Minois inito,) μηδεμίαν ἐκπλεῖν τριήρη μηδαμόθεν ἀνδρῶν πέντε πλείονας δεχομένην. Et hoc ſenſu accipiendum forte vocabulum illud POLYBII & THUCYD. LL. cc. ubi τριήρεις opponuntur μακροῖς πλοίοις· nam alioqui conſtat τριήρεις, πεντήρεις, ἑξήρεις, &c. vel inprimis ad longas naves referri. Vocantur autem ſic ab ordinibus remorum; ut μονήρεις *ſimplicem* habuerint *remorum ordinem*, διήρεις *duplicem*, &c. quomodo εἰκόσοροι, τριακόντοροι, κ. ἀ. λ. nomina cepere & diſcrimen a *remorum numero*, ut dudum obſervavimus. Dum vero contra SCHEFFERUM contendimus, πεντηκοντόροις itidem *actuariarum* navium claſſi a ſcriptoribus inſeri ſueviſſe, non id acceptum volumus, ac ſi longarum nomine minus commode deſignarentur: namque, ut ante adnotavimus, generatim vocantur omnes bellicæ *naves longæ*, & opponuntur *onerariis*. Et hoc ſenſu fuit *Argo*, navis Jaſonis, *longa*, auctoribus

(y) Vit. Theſ. p. m. 8.

PHERECYDE l. c. & HERODOTO (z), quum πεντηκόντορος tamen fuerit, uti tradit APOLLODORUS (aa). Fuit præterea hæc navis, ut ex antiquis ejus imaginibus docet SCHEFFERUS (bb), duobus armata gubernaculis; id quod etiam in uſu olim fuit cum apud Carthaginenſes, ÆLIANO teſte (cc), tum apud Suionas, ſi modo ſatis adſequimur navium formam, quam noſtris majoribus adtribuit c. CORN. TACITUS (dd). Hac inſtructi nave delecti heroës, ab Jolco, litorali Magneſiæ (unde *Magneſida Argo* eamdem vocat OVIDIUS) (ee) ſolverunt ora, & per Pagaſæum vel Pelasgium ſinum in Ægæum devecti mare, ad Lemnum inſulam primum adpulere; unde per Helleſponti fauces in Propontida, & inde per Bosporum in Euxinum pontum delati, poſteaquam a *Phineo*, Salmydeſſo, litorali Thraciæ urbi, tunc imperitante, fatorum & navigationis arcana ſibi recluſa accepiſſent, poſt multos erro-

res

(z) L. I. c. II.
(aa) L. I. c. 163.
(bb) De mil. N. L. II. c. V. p. m. 146.
(cc) Ποικίλ. ἱ. L. IX. c. 40.
(dd) L. de Germ. c. XLIV.
(ee) Her. Ep. XII. v. 9.

res ad Phaſidos oſtia devenere (ff), cui cognominis & adjacens urbs, quæ aureum ſervabat vellus, Phryxeo templo inſignis olim fuiſſe dicitur, teſtibus MELA (gg), STRABONE (hh), &, qui hunc vel explicat vel emendat, VOSSIO (ii). Qua autem via, aureo vellere ſubrepto, ad patrios lares remearint Argonautæ, eadem ne, qua Colchos adierant, an, ut aliis videtur, per Tanain, perque Iſtrum denique, delati in Adriam, mediterranei maris litora legendo, in Ægæum & Theſſaliam venerint, id illis excutiendum lubentes deferimus, qui in rebus, quas adeo obſcura premit nox, conjectandis nobis ſunt ſagaciores. Id tantum dicere haut abs re fuerit, veri ſimile eſſe, non Colchos tantum, Phryxeam abreptum pellem, adiiſſe Argonautas, ſed, ut piratas inſectarentur, late circuiſſe maria, & ſic ſui veſtigia compluribus impreſſiſſe locis, quæ alioqui petentibus Colchos, atque inde domum ſuam repetentibus, adeunda non fuiſſent.

(ff) Vid. APOLLOD. L. I. p. m, 44. ſeq. & APOLLON. in Argon.
(gg) L. I. c. XXI.
(hh) L. XI.
(ii) Theol. gent. L. I. c. XXIV.

§. 4.

Alæ Dædali.

Dædalus, *Evpalami* & *Alcippes* vel, ut alii volunt, *Erechthei* & *Ephinoës* filius, quum ex invidia *Attalum* vel *Acaſtum*, ſororis ſuæ Perdices filium, quem fabrilibus, queis ipſe excelluiſſe fertur, artibus imbuendum ſuſceperat, e tecto præcipitem dediſſet, exſul ad *Minoa*, Cretæ regem, perfugit. Heic cum alia edidit fabræ artis ſpecimina, tum vero inprimis Labyrinthum exſtruxit, in cujus ſinuoſas & inextricabiles latebras ipſe demum artifex compactus dicitur, quod, *Paſiphaës* amoribus favens, ingenio atque arte ſua abuſus fuiſſet. Dædalus vero, omni ſibi alio præcluſo effugio, viam ſibi ipſe fecit per aëra *pennis*, *non homini datis*.

Fuit *Minos* hic, Dædaleæ fugæ auctor, non ille Europæ filius, cujus §. 2. meminimus, ſed alius, & quidem duabus, uti ferunt, ætatibus illo recentior; id quod vel inde colligitur, quod hic noſter *Ægeo*, Theſei parenti, σύγχρονος fuerit, & ſic ſecunda vel ſummum tertia generatione a bello Trojano diſtans, quum antiquior ille, ex Europa natus, quinque ætatibus hinc abfuerit:

fuerit: Ut ſic pateat, ab hoc noſtro *Minoë*, (quem HOMERUS (a) vocat

- - Διὸς μεγάλᾳ ἀριστὴν,

quod congreſſus ſibi eſſe cum Jove finxerit, ut iſto miraculi commento, quas tradidit leges, altius deſcenderent in civium animos,) diverſum fuiſſe.

- - - Διὸς ἀγλαὸν υἱὸν,
Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα, θεμιστεύοντα νεκύεσσι (b).

Quod, licet res minoris momenti videatur, obiter tamen obſervaſſe haut pigebit, quoniam PLUTARCHUS (c) eos confundere videtur, in eadem tempora conjiciendo *Minoa* illum, ἀριστὴν Διὸς, (qui ex HOMERI computatione (d) eſt *Idomenei* avus, atque adeo, cum tempus ad id optime congruat, is ipſe, de quo nos quærimus,) & *Rhadamanthum*, Europes alterum filium, Minois ſenioris, τὸν θεμιστεύοντος νεκύεσσι, fratrem. Utcunque fuerit, haut forte immerito ὁ Μίνως ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων ἢ λοιδορούμενος

(a) Odyſſ. T. v. 179.
(b) HOM. Odyſſ. Λ. v. 567. ſeq.
(c) Vit. Theſ. p. m. 7.
(d) Od. T. v. 179. & Jl. N. v. 451.

ἐν τοῖς Αττικοῖς θεάτροις (e), cum ob alia χαλεπὰ καὶ βίαια, tum vero maxime, quod in labyrinthum Dædaleum conjiciendos curarit Atticos juvenes, (τὸν ἐνιαύσιον δὶ ἐννέα ἐτῶν δάσμὸν,) non quidem, ut immanem Minotauri ingluviem paſceret, quemadmodum in fabulis eſt; ſed nt præmio cederent illis, qui victores evaſerint in Gymnicis ludis, quos in *Androgei*, dolo in Attica interemti, honorem inſtituerat Minos ille. Et quum palmam in his ut plurimum reportarit *Taurus*, ὁ τῦ Μίνωος στρατηγὸς, ἀνὴρ ὐκ ἐπιεικὴς καὶ ἤμερος τὸν τρόπον (f), factum, opinor, ut inde locus ſit datus poëtarum mendaciis. Sed hæc apertius planiusque expedire ut noſtri alienum eſt propoſiti, ita hinc potius admonemur de Dædali vinculis & fuga aliquid differere. Dædalus, quacunque de cauſſa in carcerem compactus, non certe pennarum, ſed velorum adminiculo inde ſe emerſit; qui quidem, PALÆPHATO auctore (g); καθεὶς ἑαυτὸν διὰ θυρίδος, καὶ σκαφίδι ἐμβὰς, εἰς θάλασσαν ἔπλεε. Vocabulum, quod heic occurrit, σκαφὶς vel, alia flexione, σκάφος, quomodo heic accipi debeat, ſive in propria & anguſtiori

(e) PLUTARCH. Theſ. p. m. 7.
(f) PLUT. l. c.
(g) C. XIII.

ſtiori ſignificatione, qua id denotat navigium, quod alio nomine μονόξυλον, (h), Latinis *Linter* (i) vel *alveus*, (k) dici ſuevit, ſive latius pro qualibet navi, haut ſane in magno ponimus diſcrimine: quemadmodum nec ſcrupuloſius ſequemur Dædaleæ fugæ veſtigia, parum de eo ſolliciti, quodnam regiæ inſectationi ſuffugium quæſierit; in Siciliam ne ſe abdiderit, an in aliquam Archipelagi inſulam: nam ſicut utroque trahunt auctores, ita, ut unum præ altero ſequamur, tam fabuloſa rem abdente vetuſtate, neutiquam inclinat animus. Quod vero certioribus traditur monimentis, id memorabimus; *Minoa* nimirum ea tempeſtate lato dominatu tenuiſſe archipelagi inſulas tantum non omnes: ita enim de eo loquitur ARISTOTELES (l): Διὸ καὶ τὴν τῆς θαλάσσης ἀρχὴν κατέσχεν ὁ Μίνως, καὶ τὰς νήσους τὰς μὲν ἐχειρώσατο, τὰς δὲ ᾤκισε· ſunt autem νῆσοι ab ARISTOTELE nominatæ αἱ Κυκλάδες, quas ideo Μινῴδας νήσους adpellarunt. Et vero DIODORUS (m) tradit, Μίνωα πρῶτον τῶν Ἑλλήνων θαλασσοκρατῆσαι.

(h) Vid. POLYÆNUS L. V. in Tyanicho.
(i) LIV. L. XXI. c. 26.
(k) VELL. PATERC. L. II. c. 107.
(l) Polit. L. I. c. 8. p. m. 186.
(m) L. V.

σαι. Jam ante illam tempestatem non modo quoddam rubri maris imperium tenuisse *Phœnicas*, constat ex PHILOSTRATO (n); sed insuper etiam ex THUCYDIDE discimus, tam late patuisse hanc Phœnicum θαλασσοκρατίαν, ut quoque Græcum mare creberrimis infestaverint latrociniis: quam prædandi licentiam instructa classe compressisse putatur Minos. Et jam tum quidem obtinuisse Minoa maris imperium, quum fugientem Dædalum insectabatur, videre est ex ARISTOTELE (o). Sed, quantumcunque hic navibus potuit, solam tamen κωπηλασίαν ab eo adhibitam fuisse, præter alios, docet PAUSANIAS (p): Ηνίκα ἔφυγε Δαίδαλος ἐκ Κρήτης, πλοῖα ἐ μεγάλα αὐτῷ ἢ τῷ παιδὶ Ικάρῳ ποιησάμενος, πρὸς δὲ ἢ ταῖς νηυσὶν. (ὃ μήπω τοῖς τότε ἐξεύρητο,) ἱσία ἐπιτεχνησάμενος, ὡς τῷ Μίνῳ ναυτικῷ τὴν ἐιρεσίαν φθάνοιεν. κ. τ. λ. Unde colligimus, Dædalum & Icarum fuisse primos velificationis auctores. Et quum, ἀνέμων λάβρων ἢ σφοδρῶν ὄντος, πετώμενοι, ἤγων πλέοντες, ἐν τῷ πελάγει περιτρέπονται, data hinc est vatibus ansa fingendi, alis eos, instar volucrum, sublevatos, æthera tranasse.

Neque

(n) L. III. vit. Apoll. c. 12.
(o) Polit. l. c.
(p) In Bœot.

Neque nobis dubium eſt, quin *Perſei talaria*, ad eundem modum, in poëtarum cerebro, ex navium *velis* ſint conſuta. Quod vero CASSIODORUS (q) & HYGINUS hujus inventi laudem *Iſidi* vindicant, id de velificatione in iſta gente primum adhibita dictum putamus: namque eandem artem a diverſis auctoribus in gentes diverſas fuiſſe invectam, ad fidem pronius eſt, quam tranſiiſſe unius inventum ad reliquas terras omnes, iſta potiſſimum ætate, qua non adeo frequentes & arctæ per commercia obtinuere gentium conjunctiones. Sed nec nos ſibi multum adverſantes habebunt, ſi qui dicant aliam ab Iſide, quam a Dædalo, inventam fuiſſe velificandi rationem; vel, quum ſimplicior ea rudiorque ex unius ingenio procuſa eſſet, alterius dein ſollertia perfectiorem evaſiſſe. Id ſaltim novimus, in ipſo hujus artis primordio ſingulas naves ſingulos habuiſſe malos, & ex illis ſuſpenſa vela ſingula; poſtmodum vero, aliis ſuper alia additis, neque in media ſolum navi, ſed & in prora puppique (r) expanſis,

(q) L. V.

(r) Quæ in prora expandebantur vela, *dolones* dicta fuiſſe, teſtis eſt ISIDORUS apud SCHEFFER. L. II. c. 5. & minima exſtitere, auctoribus POLLUCE L. I. c. 9. & SVIDA. His aliquanto majora fuere vela, quæ in puppi

panſis, mortales haut uno mortem provocaſſe modo (s). Erigebatur autem, antiquioribus illis temporibus, malus in media navi, & foramini, quod Græcis dicitur μεσόδμη, παρὰ τὸ ἐν μέσῳ τῆς νεὼς δεδομῆσθαι (t), eo modo inſertus rudentibus ligabatur, ut, peracta navigatione, inde eximi poſſet. Sic, qui Telemachi navem cum Mentore conſcenderunt, nautæ, apud HOMERUM (u),

Ἰσὸν δ' ἐλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης.
Στῆσαν ἀείραντες, κατὰ δὲ πρότονοισιν (x) ἔδησαν.

Et Achivi, poſt peracta Apollini ſacra in Chryſe, reditum molientes, apud eundem vatem (y),

- - Ἰσὸν στήσαντ' ἀνά θ' ἱστία λευκὰ πέτασσαν·

nam

puppi collocabantur, ἐπίδρομα nominata; quemadmodum & ipſe malus, cui adpendebantur, ἐπίδρομος dictus, uti innuere videtur POLLUX l. c.

(s) Vid. PLIN. L. XIX.

(t) Cfr. Scholiaſt. HOM. ad Odyſſ. B.

(u) Od. B. v. 424.

(x) Πρότονοι ἢ πρότονα, uti habet EUSTATHIUS ad h. l., erant funes, quibus malus erectus utrinque firmabatur.

(y) Jl. A. v. 481.

nam prius, quum eo veniſſent (z),

Ἱσία μὲν ϛείλωντο, θέσαν δ' ἐν νηὶ μελαίνῃ,
Ἱστὸν δ' ἰσοδόκῃ πέλασαν προτόνοισιν ἰφάντες.

Ut vel ſic pateat, funibus ſolitum fuiſſe malum cum velis & ſuſtolli, ubi id navigandi neceſsitas poſceret, &, ubi quieſcendum eſſet, demitti, inque loco reponi, qui ab HOMERO vocatur ἰσοδόκη, neque alius ferme fuit, quam Latinorum *Caſteria*, quæ, NONIO interprete (aa), *Locus erat, ubi, cum navigatio conquieſcit, remi & gubernacula*, (forte etiam cetera navis armamenta) *conquieſcunt*. At vero ex qua hæc Dædali vela confecta fuerint materia, id nemo facile dixerit. Communior ſaltim fert opinio, primo omnium ex corio & pellibus contexta fuiſſe; σκύτινα a STRABONE & δερμάτινα a DIONE hinc adpellata: cujusmodi vela ſuis etiamnum temporibus uſurpata eſſe a Venetis, docet CÆSAR. (bb).

§. 5.

(z) Jl. A. v. 437.
(aa) Obſerv. ad PLAUTI Aſin. act. III. ſc. I. v. 16.
(bb) Bell. Gall. L. II. c. X.

§. 5.

Pegaſus, alatus Bellerophontis equus.

Bellerophon, quando, ob cædem domi commiſſam, patria cedere cogebatur, Argos ſe recepit, ibique a *Præto* perhumano hoſpitio exceptus eſt. Illinc autem quum altera ipſum fata extruſiſſent, *Jobatem*, Lyciæ regem, adiit, cujus juſſu Chimæram, monſtrum horrendum, domuit, *Pegaſo* vectus, *alato equo*, quem ei dii obtulerant.

Patriam habuit *Ephyram* (a) urbem, ἐν μυχῷ Ἀργεος ἱπποβότοιο, h. e. *in penetralibus Peloponneſi* poſitam; namque hoc ſenſu ſumendum eſſe πολύσημον Ἄργεος vocabulum in loco HOMERI, docet STRABO (b). Et quum ipſa ſit *Corinthus*, Achaiæ in Peloponneſo caput, cui antiquius fuerit nomen Ἐφύρα (c), factum, ut vulgo in μυθιστορίᾳ Bellerophon dicatur Corinthius genere. Quod vero a PALÆPHATO (d) nominatur Φρύγιος ἀνὴρ, τὸ γένος Κορίνθιος, id mendam redolet; cui ſi medelam adferre niteremur, expungenda facile judicaremus verba Φρύγιος ἀνὴρ, uti etiam in Mſcr. cod. *Raviano* omiſſa

(a) HOM. Il. Z. v. 159. ſeq.
(b) L. VIII.
(c) Vid. BUNONIS not. ad CLUVERI Geogr. L. IV. c. VII.
(d) C. XXIX.

omiſſa ea eſſe teſtatur Celeber. MART. BRUNNERUS ad h. l.: vel, ſi meris conjecturis indulgere fas foret, ſcriberemus ΕΦυραῖος ἀνὴρ, pro Φρύγιος ἀνὴρ, extruſis ſequentibus verbis: τὸ γένος Κορίνθιος. Sed non eſt, quod nos amplius detineat corruptior ille locus PALAEPHATI: ſatis fuerit habuiſſe hunc auctorem nobis facem præferentem, id dum ſcrutari adgredimur, quod noſtri eſt operis & argumenti. Ita vero ſuper hac re ille: Βελλεροφόντης, πλοῖον κατασκευάσας μακρὸν, ἐλήιζετο τὰ παραθαλάσσια χωρία· ὄνομα δὲ ἦν τῷ πλοίῳ Πήγασος. κ. τ. λ. Videlicet haut ſecus atque olim animantes aut monſtra, (in quibus ſupra memoravimus *Centauros*, monſtruoſos equos,) nomina dedere navibus, ita neque abſonum fuerit dixiſſe, equum alatum Bellerophonteæ navis exſtitiſſe infigne, unde ſuum illa nomen ſortita ſit. Et hoc vaſtum dein aperuit poëtis campum, in quo quidem eo licentius excutrere potuit eorum ingenium, quod opportuna admodum videretur & a floridiori dictione illa neutiquam abludens translatio, navim quæ nuncupet ἵππον ὑπόπτερον, quod ea, volitantis inſtar alitis,

- - *minimam bene currit ad auram;*

&, quaſi pedibus foret inſtructa,

Quan-

Quando opus est remis, remige carpit iter. Unde naves ab HOMERO aliisque vocantur ἀλὸς ἵπποι, πελάγιοι ἵπποι, κ. τ. λ. Neque aliter τὰ πλοῖα ἵππους φασὶν οἱ περὶ Ἀδρίαν, quod refert J. TZETZES (e). Trahi fortasſis & huc posſit, quod ARISTOPHANI (f) Ποσειδῶν ſ. *Neptunus* cognominetur ἵππιος. Sed & figurato huic loquendi generi indulſere Scandiani veteres, navim nuncupando & *Dyr, belluam*, &, quod propius ad rem præſentem facit, *Baru heſtur*, i. e. *fluctuum equum*; quod tradens EDDA, innuit inſuper, omnia equorum epitheta navibus tribui pasſim ſueviſſe: quam in rem confer OL. RUDBECK (g) & THEOPH. SIGFR. BAYERUM (h). Quemadmodum, ob eandem rationem, *currus* vocabulo uti ſueverunt Gr. poëtæ, ubi de *navibus* ſermo ipſis eſt. Sic loquitur ÆSCHYLUS (i) λινόπτερα ναυτίλων ὀχήματα, & OPPIANUS (k):

Ἀμφὶ περισκαίροντες ἐΰζυγον ἅρμα θαλάσσης.

Cujus-

(e) Chil. VII.
(f) Νεφελ. Act. I. Sc. I.
(g) Atl. T. I. C. XXXIII.
(h) De Varagis, commentar. Acad. Petrop. T. IV. p. 303.
(i) In Prometheo.
(k) L. I. de Piſcat. v. 190.

Cujusmodi θαλάσσια ὀχήματα quomodo vehiculis, quæ muli trahunt & equi, reſpondeant, per ſingula eundo navium armamenta, oſtendit THEODORETUS (l). Itaque malumus explicare *Pegaſum* per navim ejus nominis, quam cum LUCIANO (m) dicere, inſignem aſtrorum ſcientiam, qua penetraverit in aërias domos Bellerophon, feciſſe locum fabulæ. Heic enim ingenio ſuo indulſiſſe eum putamus, eandemque ſibi ex veterum commentis quidlibet eruendi licentiam adrogaſſe, quam ſibi ſumunt illi, qui *Chimæræ* fabulam vel ad Phyſicen, vel ad morum doctrinam, referunt (n). Nobis perſuaſiſſimum eſt, aliquam rem geſtam primum dediſſe locum ut ceteris fabulis, ita & huic *chimæræ*. Sed operæ vix pretium ducimus, heic pluribus expoſuiſſe, quid a quoque μυθιϛορίας interprete de monſtro hoc traditum ſit: conſulat, cui id volupe fuerit noviſſe, PLUTARCHUM (o) aliosque. Nos eorum haut pigebit adſtipulari ſententiæ, qui dicunt, fuiſſe

(l) Περὶ προνοίας λόγ. ε'.
(m) Περὶ ἀϛρολογίας, p. m. 701.
(n) Vid. MICH. PEXENFELD. Ethica Symbol. ſymbol. XXV.
(o) De virtut. mulierum. Tit. Αὐχιαι,

fuiſſe *Chimæram* Lyciæ montem ignivomum (p), juxta quem habitarint leones; quum media ibi loca paſcuis læta, ima vero ſerpentibus infeſta fuerint; unde factum, ut a poëtis fingatur (q).

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα;
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Mari finitimus perhibetur hic mons, utpote, ſi PLINIO (r) credimus, ſitus *ad Phaſelidem in confinio Lyciæ Pamphyliæque, prominentem penitus in altum* (r): quo cum Bellerophon, navi vectus, adremigaſſet, locumque illum habitabilem feciſſet, anſa ludibundæ antiquitati data eſt fingendi, chimæram monſtrum ab ipſo eſſe interemtum. Neque ab hac explicatione abhorret laud. PALÆPHATUS, niſi quod flammam eructari dicit non a Chimæra; ſed a *Telmiſſo* monte ad Xanthi fl. oſtia (s).

Quæ

(p) Vid SOLINI Polyhiſt. C. LII. & POMP. MELA L. I. Tit. *Lycia.*
(q) HOM. Ιλ. Ζ. v. 186. & HESIODI Θεογ. v. 323. ſeq.
(r) L. II. C. 116.
(s) Vid. LIV. L. XXXVIII. c. 23.

Quæ vero de *Pegaſo* Bellerophonteo diximus, dicta ſunto etiam de *aligeris* Pelopis *equis;* quos itidem, præeunte PALÆPHATO (t), facere non dubitamus *naveis*, quibus adpellatio, παρασήμοις conveniens, fuerit: ΙΠΠΟΙ ΤΠΟΠΤΕΡΟΙ. Sunt quidem & aliæ fabulæ complures, quarum involucris initia navigationis atque incrementa texiſſe nobis videtur ludens, ex more ſuo, argutior vetuſtas. Verum nos, misſis iis, contenti ſimus, oportet, quantulumcunque in præſens exhibuiſſe δεῖγμα, eruendarum ex fabulis, antiquitatum

REI NAUTICÆ.

Θ. Δ.

(t) Περὶ ἀπίστων, C. XXX.

III.

JOHANN. HENR. VERSCHUIR,

S. S. THEOL. DOCTORIS ET ECCLESIASTIS BOLSVARDIENSIS. (*)

DISSERTATIO HISTORICA

DE

AEMULATIONE ISRAELITARUM MUTUA TANQUAM VERA CAUSA SCISSAE AC DEBILITATAE JUDAEORUM REIPUBLICAE.

§. 1.

Quemadmodum honesta æmulatio ingenia alit, stimulus virtutis & potentissimum ad omnia præclara, magno licet cum labore & periculo conjuncta, quæ homines sine ea nunquam susciperent, est inci-

(*) S. V. Auctor idem est, cujus *Disp. Philolog. s. observationes Miscell. in selecta S. S loca præside V. C. N. G. Schroedero Groningæ.* 1757. editas *Cl. I. p.* 565. annunciavimus. Illustris Frisiorum Academia Ipsi Summos in Theologia honores a. 1760. contulit, edita *Dissertatione Inaugurali Theolog. ad Hagg. H.* 6-9. Gratulamur impense Celeberrimo VENEMÆ

incitamentum; ita prava æmulatio & ambitio, ex ſuperbia & invidia orta, nec unquam niſi plenaria partis adverſæ ſubjectione contenta, certisſima tam integrarum Societatum & rerumpublicarum quam ſingulorum hominum peſtis eſt. Dignisſima eſt, quæ hic legatur, præclara CLEMENTIS ROMANI, genuini Apoſtolorum diſcipuli, *epiſtola prima* maxime p. 148. & ſeq. *in ſcriptis patrum Apoſtol. edit. J. Clerici,* ubi p. 149. ita concludit vir pius ζῆλος καὶ ἔρις πόλεις μεγάλας κατέσρεψεν, καὶ ἔθνη μεγάλα ἐξερρίζωσεν. Aemulatio virtutis ab omni invidia immunis non poteſt nimis magna eſſe, ſed adeo proh dolor! perverſe cum mortalium gente comparatum eſt, ut in virtute plerumque facile & voluntarie nos vinci patiamur, ſuperbia autem & dominandi libido tam altas in multorum animis egerint radices, ut nullo fere posſint evelli

NEMÆ, de republica Litteraria omnique eruditione, quæ Theologum ornat & perficit, meritisſimo, de Nepote & Diſcipulo hoc eruditisſimo, veſtigia ſua felicisſimo ſucceſſu non minus ac gnaviter legente. Et publice ipſum Doctisſimum VERSCHUIRIUM enixe rogatum volumus, ut ejusmodi lucubrationibus, quibus Sacræ paginæ pragmatice non minus ac docte illuſtrantur, Bibliothecam noſtram ornatiorem reddere pergat. N. B.

modo. Ubi vero hæc vitia fixam habent ſedem, ibi nulla ſpes pacis ſinceræ amicitiæ firmæque concordiæ: Simul enim ac pax & ſocietas cum aliis inita habendi aut regnandi libidini obicem ponit, mox hactenus diſſimulata erumpit invidia, & omnis decoris & honeſti ſæpe oblita impediri non poteſt; quo minus partem adverſam in exitium, propria licet cum calamitate conjunctum, coeca & furens præcipitare conetur. Ne jam de ſingulorum & privatorum æmulatione dicamus, in liberis rebus publicis, maxime ubi plures gentes, ſingulæ ſui juris etſi inæqualis potentiæ in commune foedus & unam rempublicam coaluerunt, licet omnes in initio pares idem jus habeant, fieri tamen vix aliter poteſt, quin temporis tractu, quæ potentia & quibus reliquas ſuperant, ſibi etiam quendam in eas dominatum acquirere ſtudeant. Ubi autem in tali republica duæ pluresve ſunt opibus fere æquales, ibi odium plerumque, ſimultas, mala ſuſpicio atque perpetua de principatu contentio regnare ſolent: quibus efficitur ut respublicæ, quæ per mutuam concordiam ſteterint ineoncuſſæ, ac continua potentiæ & felicitatis cepiſſent incrementa, tandem diſſolvantur omnique libertate privatæ peregrino domino ſervire cogantur: dum enim

enim fœderati inter ſe de primatu contendendo, id eſt in propria viſcera ſæviendo, vires conterunt, hoſtium vexationibus & rapinis patent, & tandem bello plene ſubacti ad triſtem rediguntur ſervitutem. Exempla ubique in hiſtoria proſtant, ſi vel ſolas Græciæ civitates, communi fœdere conſtrictas & unum reipublicæ corpus conſtituentes, conſideremus, nihil me a vero alienum affirmaſſe apparebit: omnes, qui vel levem veteris hiſtoriæ guſtum habent, norunt pravam æmulationem præcipue Lacedæmonios inter & Athenienſes haſce gentes tandem in ſervitutem detruſiſſe. Alia non accumulabo exempla, ſed ut ſcopum meum attingam, hac diſſertatione probare conabor, Judaicam gentem eodem morbo infectam & corruptam, ſeu per inteſtinam discordiam vehementer concuſſam & exitium ejus acceleratum fuiſſe; æmulationem tamquam veram hujus domeſticæ diſcordiæ & motuum cauſam, una cum principiis, e quibus illa primum nata eſt ac deinceps crevit, in lucem proferam, eumque in finem hiſtoriam V. T. critico luſtrabo oculo. Materiam itaque mihi pertractandam ſumſi a paucis leviter tactam, a nemine, quod ſcio, data opera cum ſufficienti ſtudio excuſſam, & tamen ſummi ad priſcam judaicæ gentis hiſtoriam

ac fata recte intelligenda momenti: niſi enim æmulationem tribuum probe perſpectam habeamus, multa facta & fata hujus populi a prudenti lectore prorſus intelligi non poterunt,

§. 2.

Ordiamur rem ab initiis ſuis. Omnes tribus Jſraëlitarum ſimul ſumtæ unam tantum conſtituebant rempublicam. Sed tamen ſingulæ ſui juris erant, & res ad ditiones ſuas tantum pertinentes pro arbitrio absque reliquarum conſenſu ordinare poterant, modo publicam omnium ſalutem legesque eo ſpectantes inviolatas conſervarent. Singulæ plenum ſuffragii jus in totius populi, ſive omnium tribuum comitiis habebant; uno verbo ut omnia complectar, hac parte eodem modo cum veteri judaica, ac cum noſtra hodierna Belgii, ſeu ſeptem fœderatarum regionum republica, fuit comparatum. Non poterat itaque una tribus in alterius ditione dominari, ſed tantum quæ ad communem omnium ſalutem pertinebant inter ſe conſultabant, communes hoſtes communibus viribus propulſabant, fœdera cum exteris omnium communi nomine contrahebant &c.: quæ dixi ex hiſtoria certiſſima ſunt. Ex hac rei publicæ conſtitutione explicandum

bellum

bellum Benjaminiticum; reliquæ tribus omnes in comitiis congregatæ ad Benjaminitas, tamquam populum ſui juris, legatos mittunt, & quod patratum facinus ulciſci nollent, bellum iis inferunt Jud. XX. *Sichemitæ* ſeorſim ſibi regem eligunt *Abimelechum* Jud IX. *Gileaditæ* itidem *Jeptham* ducem aut regem conſtituunt Jud. XI. Rurſus poſt Sauli mortem ſola tribus *Juda Davidem* ad regiam dignitatem evexit, & per integrum ſeptennium hujus tantum tribus rex fuit 2 Sami II.: manifeſto indicio ſingulas tribus plene ſui juris fuiſſe in re domeſtica, etſi valde momentoſa. Deinde poſt Salomonis mortem, ubi res ad totum populum ſpectans pertractanda erat, omnes tribus, vel ſeniores & legati earum in unum locum, Sichemum nempe, evocabantur, & cum inter eas convenire non poterat non eum eligunt totius gentis regem, qui ſuffragiorum numero vincebat, ſed ſeorſim duos creant.

§. 3.

Cunctæ tribus, licet ea, qua dixi, ratione æquales eſſent, non eadem tamen omnibus ſors erat; aliæ aliis variis de cauſis erant excellentiores. Qui moribundi Jacobi vaticinium, quod legitur Gen. XLIX, 1-27. diverſa earum fata complectens, at-

tente legerit, maximam illico ſortis diverſitatem deprehendet. Inter omnes caput ſublime efferebant Ephraimitæ non unam ob rationem. Omnino hic legi velim eruditiſſimum clar. VENEMÆ, avunculi mei, *commentarium ad Gen. XLIX. p. 539. & ſeq.* Primo propter natales faſtu tumebant, quippe orti ex Joſepho, patri valde adamato ſummæque in Ægypto dignitatis viro, qui ex Rachele dilectiſſima Jacobi conjuge natus erat. Imo, quod majoris momenti eſt, primogenituræ jus hereditatis reſpectu iis erat conceſſum, ut diſerte legitur, 1 Chr. V, 1. quæ ſane magna prærogativa erat. Vi benedictionis divinæ *Ephraimitæ* & *Menaſſitæ*, hi enim ſimul tanquam Joſephi poſteri cenſentur, valde numeroſi fuerunt, ac amplisſima iis obtigit hæreditas. Joſ. XVII, 14. Queruntur de terræ portione nimis anguſta, quare Joſua iis amplisſimam conceſſit, ut habetur vſ. 17. quod eſſent עם רב *populus Spiſſus* vel *numeroſus*, & tribuit iis, כח גדול *potentiam magnam* & *firmam*, propterea eum terræ tractum iis aſſignat, quem Cananæorum fortisſimi falcatis curribus inſtructi inhabitabant. Acceperunt duplicem vel triplicem terræ portionem, & quidem in medio Cananææ ac reliquarum tribuum, imo portionem omnium optimam & fertilisſimam. His de cauſis per-

permagna eorum fuit potentia multis in locis celebrata. Pſ. LX, 9. David *Ephraimum* vocat מעוז ראשי *arcem capitis mei* id eſt *firmum potentiæ propugnaculum.* Pſ. LXXVIII, 9. dicuntur נושקי *armati* & רמי קשת *jaculatores.* Hoſ. XIII, 1. כדבר אפרים רתת נשא הוא *Cum loquebatur Ephraim tremor erat*, ſeu cuncti tremebant, *ipſe ſe in altum dignitatis faſtigium extulit.* Tanta eorum erat auctoritas & vis, ut vel ſolis verbis reliquis terrorem incutere poſſent. Divitias Ephraimitarum & faſtum inde ortum clare probant verba, quæ ipſis in ore dantur ab Hoſ. c. XII, 9. ויאמר אפרים אך עשרתי מצאתי און *Dicit Ephraim ſane dives factus ſum, acquiſivi opes.* conf. Jeſ. XXVIII, 1. multa quoque heroicæ fortitudinis in bello dederunt ſpecimina in hiſtoria obvia. Fuerunt itaque Ephraimitæ omnium numeroſisſimi ditisſimi & potentisſimi; quod vel inde etiam apparet, quod poſt Schisma reliquæ tribus generali *Ephraimitarum* nomine comprehendantur, facta denominatione a potiori parte, & in hac tribu regia ſedes fuerit primo Sichemi, dein Thirzæ, tandem conſtanter Samariæ, reges quoque ex ea electi fuerint.

§. 4.

§. 4.

Prorſus animadverſione dignum eſt, quod Jacobus Joſephi filiis, Menaſſi & Ephraimo, benedicturus, contra ſpem & intentionem Joſephi manum dextram impoſuerit Ephraimo, natu minori & ſiniſtræ oppoſito, Siniſtram vero Menaſſi primogenito Gen. XLVIII, 14. ubi additur שכל את ידיו *prudenter direxit manus ſuas.* Joſephus autem, cum patrem præ ſenio & cæcitate errare putaret, errorem ei monſtrat vſ. 18. his verbis *non ita pater mi, ſane hic primogenitus eſt, pone manum dextram ſupra ejus caput.* Sed fruſtra erat, negat Jacobus ſe aliter facturum vſ. 19. *novi, fili mi, novi, etiam hic erit in populum, etiam hic magnus erit, at tamen frater ejus minor magnus erit præ ipſo, & poſteritas ejus erit* מלא-הגוים, quo epitheto indicatur, Ephraimum evaſurum populum excellentiſſimum, opulentiſſimum, potentiſſimum, aliis gentibus ſuperiorem, & in eas dominium exerciturum: quæ omnia voce מלא comprehenduntur, verbum enim hoc pr. notat *effarcire, diſtendere*, indeque transfertur ad omnem *plenitudinem diſtentam*, opulentiam potentiam &c. ut jam variis in locis obſervavit Cl. SCHULTENS: forte huc reſpexit Zachar. c. IX, 13. אפרים

מלאת אפרים. Cum jam utriusque tribus Ephraimi & Menasſis tanta foret felicitas, ut in proverbium & benedictionis formulam abiret, *ponat te Deus ut Ephraim & Menaſſe*, ut vſ. 20. dicitur, & tamen Jacobus *Ephraimum* poſuit לפני מנשה *ante Menaſſen*, ſeu ei longe prætulerit, ſponte apparet, quam ſtupenda Ephraimitarum felicitas foret. Eleganter Ezech. XXXVII, 19. *lignum Joſephi, quod in manu Ephraimi*, quo ſignificatur domum Joſephi eſſe in poteſtate & ſub dominio Ephraimi: עץ *lignum* hic *ſceptrum*, regni inſigne, denotare videtur, idem ac שבט, antiquioribus temporibus ex rudiori ligno confici ſolitum. Sed nonnullæ prærogativæ, ab aliis jam in lucem productæ, verbo ſunt recenſendæ, quæ ſequentes ſunt. *Joſua* ſupremus totius populi dux, Moſis ſucceſſor, ſecuturis ducibus multo ſuperior, ipſe *Ephraimita* in hac tribu ſedem ſuam fixit, Joſ. XIX, 50. inque ea hoc tempore totius populi comitia habita videntur. Tabernaculum conventus, ſacrorum ſedes, fixum eſt Silunte Joſ. XVIII. JOSEPH. A. l. V. p. 275. ibique trecentis & amplius annis manſit. Silunte quoque diviſio terræ facta legitur. *Samuel* præclarus ille ſummæque auctoritatis judex *Ephraimitis* quoque annumerari poteſt, ut probabiliter diſputat

Cl.

Cl. VENEMA *ad Gen. p. 570.* Tandem tribus *Ephraim* & *Juda* non adeo patebant incurſionibus hoſtium, ut innuitur, Jud. X, 9. & ex ſitu ac hiſtoria certum eſt.

§. 5.

Si jam *Judam* contemplemur, illa tribus magna quoque erat, & terræ tractus, quem incolebat fertiliſſimus. De agris circa Hieroſolymam & Jerichuntem diſertum exſtat JOSEPHI teſtimonium *A. l. V. p. 276.* qui eos tam totius judææ fertiliſſimos deſcribit. Hinc ergo opibus & divitiis affluere quoque debuerunt Verum hæc levia ſunt, ſi conferantur cum amplisſimis promiſſis ipſis a progenitore Jacobo factis, quæ leguntur Gen. XLIX, 8. & ſeq. Ubi pius ſenex ex inſpiratione divina primogenituræ jus dignitatis & dominii reſpectu in Judam confert, eum omnium ſuorum fratrum dominum declarat, ac elegantiſſimis figuris ſummam ejus fortitudinem & invictum robur, quo hoſtes profligaret, regnum ſibi per cruenta bella aſſereret ac ſtabiliret, deſcribit: Summamque felicitatem ac omnium rerum affluentiam, qua regno ſtabilito, & longiſſime extenſo, in pace frueretur, ad vivum depingit mirisque effert encomiis. Tribui Judæ ſæpe quoque ſorte aut oraculo primæ partes aſſignatæ.

Fieri

Fieri itaque vix aliter potuit, quin maximarum rerum promisſione & exſpectatione elata, ſe ſe reliquis præferre nonnunquam conata fuerit, & conſanguineorum invidiam commoverit. Id certisſimum, quod reliquas tribus ſemper vehemens tenuerit ſuſpicio, *Judam* aliquando rerum potiturum ac dominium in fratres acquiſiturum.

§. 6.

Id omni ſtudio impedire conati ſunt *Ephraimitæ*, opibus ſuis Feroces, omnis ſervitutis prorſus impatientes, quin ipſi etiam ad regnum & dominium adſpirantes. Hinc *æmulatio*, quæ, ut fieri ſolet, per varios gradus aucta, ſæpe funeſta reipublicæ dedit fata, identidem tamen emendata aut averruncata, donec tandem ſummum attigit gradum, nec ullo amplius coërcenda modo in nervum eruperit, ac deplorandum Schisma pepererit, id eſt, lethale populo Judaico vulnus inflixerit. Hujus *æmulationis* clare meminerunt prophetæ, qui eam poſt exilium Babylonicum prorſus tollendam prædixerunt. Ut Jeſ. XI, 13. *Et recedet zelus Ephraimi, & coarctatores Judæ exſcindentur, Ephraim non amplius zelotypia perſequetur Judam, nec Juda in arctum rediget Ephraimum.* En claram

de

deſcriptionem vehementisſimæ æmulationis Judam inter & Ephraimum! קנאת eſt ζῆλος a קנא proprie *candere*, *rubere* ıdſtar ignis, aut ferri candefacti, eodem modo ac ζῆλος a ζέω *ferveo* leg. SCHULT. ad Proverb. Exprimit itaque hæc vox ſummum *æmulationis* gradum. Cæterum legendus eſt ad eum locum Cl. VITRINGA. Huc quoque reſpicitur, Jeſ. IX, 20. Ubi dicitur quod *Ephraim & Menaſſe* ſimul eſſent על-יהודה *contra Judam*, ex quo loco inſuper diſcimus, æmulatione mutua & inteſtinis diſcordiis inter ſe colliſas eſſe has ipſas adeo cognatas & conjunctas tribus Ephraimum & Menaſſen: ita enim Propheta vſ. 18. *vir non parcet fratri ſuo* vſ. 19. *quisque carnem brachii ſui comedent* & vſ. 20. *Menaſſe Ephraimum & Ephraim Menaſſen* ſe mutuo ſc. comedent & devorabunt inteſtinis bellis, quod demum factum eſt poſt Schisma tribuum; conſulendus rurſus Cl. VITRINGA. Licet vero inter ſe diviſi eſſent, in Juda tamen opprimendo amice conſentiebant. Egregius quoque hanc in rem exſtat locus, Hoſ. 11, 2. 3. Alia deinceps adhuc proferam.

§. 7.

Nunc *hiſtoriam populi Judaici* luſtremus, quantum quidem ob monumento-

rum

rum defectum fieri poteſt, ubique hujus zeli & æmulationis jam inde a primis reipublicæ temporibus deprehendemus indicia, caſus bene multos, qui prorſus intelligi non poſſunt, niſi tribuum æmulationem cognitam habeamus. Poſt tempora Joſuæ & Seniorum nullus in Jſraële rex fuit, ſed quisque pro lubitu & arbitrio agebat Judic. XVII, 6. & XVIII, 1. *unde* quæſo *hoc?* quare regem vel præfectum in Joſuæ locum non legebant? probabilior excogitari non poſſe videtur *ratio*, quam quæ *ab invidia* derivatur. Succeſſor Joſuæ ſubſtituendus erat, ſed ex qua tribu? *Ephraimitæ* pro ſua nitebantur, quia Joſua quoque Ephraimita fuerat, imo quia reliquis erant opulentiores potentioresque: Contra *Juda* hoc privilegium ſibi competere ajebat, quippe cui primogenituræ jus & dominium in fratres divinitus per Jacobum promiſſum erat. Hinc rixæ & contentiones, quibus factum ut nullus eligeretur, omniaque confuſa relicta ſint; donec tandem ab hoſtibus preſſi & ad incitas redacti, coacti fuerint ſibi ducem conſtituere. Hoc itaque *interregni tempore* in re magni momenti omnium tribuum ſeniores, imo *omnes Jſraëlitæ* convocandi erant Judic. XX. Incidit autem iſtud intervallum in tempus

tempus Joſuæ & Seniorum morti proximum, ut a doctis jam probatum eſt.

§. 8.

Cum Iſraëlitæ deinceps, ob peccata ab irato Numine deſerti, *a Midianitis & Amalekitis* vehementer affligerentur, ac afflictionis vehementia fracti ſupplices ad Deum confugerent, divinitus excitatus eſt *Gideon*, qui ſub divinis auſpiciis hoſtes profligavit Judic. VI. & VII. Diceres hanc victoriam omnibus Iſraëlitis æque gratam & accceptam eſſe debuiſſe; quis non cogitaret omnes Proceres certatim Gideoni obviam ituros gratulatum victoriam? Sed quod mirere. *Ephraimitæ* infeſto animo & irarum pleni ei obviam procedunt, duriter excipiunt, vehementer & acerbe, quaſi magnopere læſi, cum eo expoſtulant. Dicunt ei Judic. VIII, 1. מה־הדבר הזה עשית לנו *quid hoc facinoris eſt, quod contra nos patraſti?* Lepida ſane ac Gideoni inexſpectata gratulatio, ſed quid quæſo cauſæ hujus tantæ erat indignationis? hoſtes a ſe non eſſe devictos ægre ferebant, victoriæ gloriam Gideoni *Menaſſitæ* invidebant, nihil alicujus momenti ſine ſe geri volebant: queruntur quod a Gideone non eſſent evocati, cum iret ad prælium, nec ferunt bellum ſine ſuo conſenſu geri. Recte JOSEPH. *A. l. V. c. VI.*

VI. p. 294. ἡ δὲ ΕΦραίμιος φυλὴ τῇ Γεδεωνος εὐπραγίᾳ δυσχεράινεσα, στρατεύειν ἐπ' αυτον διεγνώκεισαν. Quid ſi Gideon acerbe reſpondiſſet, objurgaſſet acriter & in eos tanquam tumultuoſos, invidos & irapios invectus fuiſſet? Statim ad arma convolaſſent, atque lætiſſima illa de Midianitis victoria in bellum inteſtinum luctuoſiſſimamque civium cladem fuiſſet mutata! Sed ut JOSEPH. habet, Gideon μέτριος ὢν καὶ πᾶσαν ἀρετὴν ἄκρος blande eos compellat, oſtendit ſe non tam ſua aut Menaſſitarum aut alterius tribus auctoritate quam juſſu divino bellum ſuſcepiſſe, imo addit, *racemationes Ephraimitarum meliores eſſe vindemia Abihezeritarum*, (id eſt. Gideonis ejusque militum): nimirum, poſt prælium ab ipſo evocati Ephraimitæ præoccupaverant tranſitum Jordanis, ut hoſtium fugam impedirent, & ceperant duos Midianitarum principes Horebum & Zebum Judic. VII, 25. Hoc facinus modeſte ſuis rebus geſtis præfert, atque ita tandem exaſperatos eorum animos lenivit mitioresque reddidit Judic. VIII, 2. 3. Sic pro tempore cum Gideone in gratiam redierunt: verum eo defuncto vindictam ab ejus poſteritate ſumſerunt; *Sichemitæ* enim (erat autem Sichem oppidum in tribu Ephraim, eo tempore nobiliſſimum) ſubornarunt *Abimelechum*, Gideonis ſpurium, ſuum

per matrem cognatum, qui 70. filios Jerubbalis, excepto ſolo Jothane, qui fuga elapſus erat, crudeliter interfecit, atque tunc ſceleratiſſimum hunc parricidam Regem crearunt Sichemitæ וכל בית מלוא Jud. IX, 6. Quid fuerit domus *Millo* non convenit inter interpretes; ex mea opinione fuit *domus magnatum*, in urbe *Sichem* conſeſſum habentium, convenit cum Arab. مَلَأٌ *turba, cœtus*, eximie conventus nobilium deliberandi gratia coëuntium, *vid. etiam Cl.* SCHULTENS ad Gen. XLVIII, 19. quæ ſignificatio facile ex genuina vi Th. מלא Arab. مَلَأَ extundi poterit. Cæterum quod *Sichemitæ* tam facile permoti ſunt ad facinus adeo crudele & horrendum in benefactoris domum patrandum, id ortum videtur ex veteri odio ac recordatione injuriæ, ſuæ tribui, ut putabant, olim a Gideone illatæ, cum ſine ejus juſſu aut conſenſu prælium cum Midianitis inierat.

§. 9.

Deinde interjecto aliquo tempore *Gileaditæ* ab *Ammonitis* preſſi & ad incitas redacti confugiunt ad *Jephtam*, tribulem ſuum, qui tanquam ſpurius a fratribus ejectus exulabat in terra Tob, ibique per virtutem militarem inclaruerat. Jephta eligitur

gitur dux, qui cum fruſtra Ammonitas ad pacem permovere conatus eſſet, arma ſumit, in hoſtes irruit, ampliſſimamque de iis reportat victoriam toti Jſraëli ſalutarem Judic. XI. Sed cum domum rediiſſet, adventant *Ephraimitæ*, armati ac maximo numero, indignati ipſum Gideonis exemplo non deterritum ſine ſuo juſſu aut auxilio prælium iniiſſe, flammas ſpirant & necem iræque impotentes verbis ad tranquillam mentem redigi nequeunt. Jephta animoſus & fortis Heros ſe ſerviliter quoque non ſubmittit: primum quidem excuſat, verum cum nihil eo modo proficeret, ſuos milites colligit prælioque decernit, eo eventu ut Ephraimitæ fuerint maxima clade affecti, in fuga quoque, trajectu Jordanis præoccupato, fuerint impediti, & ſine miſericordia deleti, adeo ut quadraginta & duo millia ceciderint. Judic. XII. Tanti ipſis mala ambitio & rixandi libido tum conſtitit: ægre ferebant, quod *Jephta* ſolus καὶ λείαν ἔχοι, καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις δόξαν, ut JOSEPH. *A. l. V. c. VII. p. 298.* Sed inique admodum agebant: antea enim Gileaditis implorati ſuppetias ferre recuſaverant, &, cum auſi non fuiſſent manus cum hoſtibus conſerere, populares pravæ æmulationis furiis agitati infeſtare aggrediuntur, quare etiam victi graves dederunt pœnas.

§. 10.

Ex hiſce ſpeciminibus jam apparet *Ephraimitas* dominatum affectaſſe, ſummamque inter reliquas tribus auctoritatem ſibi, tanquam omnium ampliſſimæ ac ditisſimæ, aſſerere voluiſſe. His cum eſſent animis præ reliquis maxima æmulatione *Judam* proſequebantur, veriti, ne promiſſum Jacobi tandem aliquando impleretur, & regnum ei daretur. Tribus *Juda* viciſſim ſe *Ephraimo* opponebat; ſolæ enim hæ ad principatum adſpirare poſſe videbantur. Hoc ſi animo imprimamus, ſtatim percipimus rationem, cur *primus rex* electus fuerit *ex tribu Benjaminis*, omnium minima & infirmiſſima, & quidem ex ejus familia minima; ita enim reſpondet Saulus Samueli, ipſi manifeſtanti, quod Rex eligeretur 1 Sam. IX, 21. *An non Benjaminita ſum ex minimis tribubus Iſraëlis*, (ſeu minima tribuum) *& familia mea infima eſt omnium familiarum Benjaminis?* Quæro jam, cur Rex potius electus non ſit ex tribu Ephraimi aut Judæ omnium potentiſſimis? *æmulatio* obſtitit: Ephraimitæ non tuliſſent regem ex Juda, nec Juda ex Ephraimo, altera alteri ob nimiam potentiam erat ſuſpecta. Ut ergo omnis diſcordia bellaque inteſtina evitarentur Regem elegerunt, vel Deus per ſu-

am

am providentiam eligi curavit, ex Benjamine minima tribuum, & maxime infirma propter cladem Judic. XX. memoratam, ne minimus quidem metus eſſe poterat, ut talis tribus cæteras ſervili modo ſubjiceret. Deinde cum *Benjaminitæ* adeo attriti erant internecino iſto bello, commiſeratione digni videbantur: omni itaque modo iis erat ſuccurrendum, ne ſemper in ſtatu vili & deſpecto manerent; hoc autem optime fieri poterat, ſi ex iis Rex eligeretur, ut quisque per ſe intelligit.

§. 11.

Hinc quoque derivanda ratio, cur, cum tribus *Juda* poſt Sauli mortem *Davidem* regem creaſſet, reliquæ id exemplum ſtatim non ſecutæ, ſed diutiſſime reluctatæ fuerint. Nimirum, Saulo vivo & regnante, ut vel lippis & tonſoribus notum, David virtute militari valde inclaruerat, omnibusque cognitum erat eum ad regnum adſpirare. Saulus itaque eum ubique perſequitur, non invitis tribubus, cum ſæpe indicaverint ubi lateret, aut auxilium Saulo ad eum capiendum promiſerint. Verum in tribu Juda, unde oriundus, ſemper ſuos amicos & fautores habuit David; ſic enim legimus 1 Sam. XXX, 26. Davidem de præda hoſtium portionem miſiſſe לזקני יהורה

יהודה לרעהו *Senioribus Judæ, amicis ſuis intimis.* Saulo mortuo mox Hebronem Judæ ſe contulit, ibique a tribulibus unanimi conſenſu Rex electus eſt 2 Sam. II. hinc utique liquido conſtat Judam ei faviſſe; licet ante hoc tempus metus eos coëgerit, ſuum in Davidem affectum diſſimulare. Ipſe *David*, etſi forte de tribulium favore certus, dudum intellexerat reliquos Iſraëlitas ſibi invidere & non niſi ægre admodum ſe regem paſſuros, omni itaque modo eorum animos ſumma cum prudentia delinire ſtuduit. Saulum, cum poſſet, interficere non tantum noluit, ſed & eum, qui ſe Sauli percuſſorem jactabat, morte mulctavit. Quod fecit ad declinandam *invidiam*, ut ſpecimen æquitatis & moderationis daret, regiam quoque majeſtatem, ſibi deſtinatam, ſanctam ac inviolatam conſervaret, ne quid ſimile in ſe deinceps auderent. Sed plura hujus prudentiæ Davidis in hiſtoria proſtant indicia. *Jabeſſenos* laudavit, quod Saulum honeſte ſepeliverant, addens adhortationem, in qua non obliviſcitur mentionem facere *regni*, ſibi a Juda delati 2 Sam. II. Deinceps cum Joab Abnerum fraudulenter interfeciſſet, prætexens quidem cædem fratris Aſaëli, ſed revera ex *invidia*, quod JOSEPHUS non neglexit notare *A. l. VIII. c. I. p. 366.* his verbis

bis καὶ τελευτᾷ μὲν Ἀβέννηρος τοῦτον ἐνεδρευθεὶς τὸν τρόπον ὑπὸ Ἰωάβου, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγε, τιμωρήσαντος Ἀσαήλῳ - - - - - ὡς δὲ τἀληθὲς εἶχε, δείσαντος περὶ τῆς στρατηγίας καὶ τῆς παρὰ τῷ βασιλεῖ τιμῆς, μὴ τούτων μὲν αὐτὸς ἀφαιρεθείη, λάβοι δὲ παρὰ Δαυίδου τὴν πρώτην τάξιν Ἀβέννηρος. Cum, inquam Joabus hoc facinus patraſſet, David rurſus prudentiſſime ſe geſſit, innocentiam ſuam ſancte teſtatus; & Joabi facinus tamquam impium deteſtatus maximo luctu Abnèrum proſecutus eſt, quin & leſſo ipſum honoravit, adeo ut univerſus populus animadverteret, Abnerum rege inſcio & invito fuiſſe occiſum 2 Sam. III. Ταῦτ εὔνοιαν αὐτῷ παρὰ τοῦ πλήθους ἐγέννησεν, inquit JOSEPH. *A. l. VII. c. 1. p. 367.* & paulo poſt, *in his igitur David bonæ famæ potiſſimum ſtudebat, curam omnem & diligentiam, quam par erat, adhibendo: ita ut nemo Abnerum ejus voluntate occiſum eſſe ſuſpicaretur*: Dein percuſſores Isboſethi, Sauli filii, ſui adverſarii & de regno æmuli, ſevere ultus a prudentiæ regulis non deflexit 2 Sam. IV. His ſimilibusque artibus alienos Jſraelitarum animos tandem ſibi conciliavit: licet vel ſic forte voti compos factus non fuiſſet, niſi ejus potentia indies invaleſcens, & caſus Abneri & Isboſethi, principum adverſæ factionis, populo maximum incuſſiſſet terrorem. Omnium diutiſſime re-

luctati ſunt *Benjaminitæ* 1 Chron. XII, 29. JOSEPH. *A. l. VII. c. II. p. 369.* qui tandem tamen etiam una cum reliquis tribubus Davidem regem receperunt. Sic demum poſt elapſum integrum Septennium unanimi conſenſu David totius Iſraelis Rex creatus eſt. Cæterum, quæ de eo produxi, ſunt totidem veræ probitatis cum prudentia conjunctæ ſpecimina.

§. 12.

Deinceps tamen fortiſſimus hic Heros, dudum jam in regno confirmatus, finitimis nationibus omnibus devictis exteris terribilis, & ubique terrarum celeberrimus, fundator ille regni Judaici, piiſſimus ac moderatus Princeps, quem populi ſui delicium diceres, evitare non potuit horribilem motuum inteſtinorum procellam, ab ipſo *filio* excitatam, ſed vere quoque ex æmulatione & invidia tribuum, omnem novaturiendi ac rebellandi occaſionem cupide arripientium, ortam. Videas mihi hic quæſo *Davidem* ſenem obvelato capite, nudis pedibus gementem, quin largum lachrimarum imbrem fundentem, in paucorum comitatu trepidum ac anxium Hieroſoluma exeuntem, fugaque feſtinata ſalutem & vitam quærentem. 2 Sam. XV. Hanc hiſtoriam legens illico circumſpicies tantæ ingratitudinis

dinis tamque horrendorum motuum cauſam. Proxima quidem eſt in filio, impio Abſalomo, qui fax & tuba hujus ſeditionis. Sed quo modo, obſecro, quibus rationibus univerſum fere populum, tantis a patre mactatum beneficiis, permovere potuit, ut excuſſo omni pudore & reverentia, penitus officii & beneficiorum obliti, efferatis mentibus arma caperent contra innoxium & immerentem Regem, eumque Senem? Abſalom, inquies, callide Jſraelitarum animos ſibi ſua humanitate magnisque promiſſis conciliaverat, ut diſerte legitur 2 Sam. XV. Recte; ſed vel ſic non capio, qui totus fere Jſrael ad tam impium facinus pellici potuerit. Quid ergo? Vetus *odium* & *invidia* nondum ex animis deleta; regnum in tribu Juda ſudes erat in oculis reliquarum maxime Ephraimitarum; circumſpexerant dudum nequicquam occaſiones illud evertendi; nunc commoda ſe offert, ipſe filius in patrem rebellis eſt, in ejus caſtra cupide tranſeunt, non tam ut filium in patris locum ſubſtituerent, quam ut per ejus rebellionem omnibus confuſis & turbatis, tandem aliquando viam reperirent, qua ſe a regno Judæ avellerent inque libertatem adſererent. Argumentum pro mea ſententia eſt accuſatio *Zibæ*, deferentis Davidi, dominum ſuum Mephibozetum Hieroſolumis man-

manſiſſe, quod ſperaret ſibi hoc tempore regnum patris reſtitutum iri 2 Sam. XVI. Criminatio illa iniqua quidem erat & falſa, attamen clare ex ea colligi poſſe videtur, populum non adeo faviſſe aut tenaciter adhæſiſſe Abſolomo, ut Ziba aut alius ad regnum adſpirare & probabilem ejus ſpem concipere non potuerit. Sed ſentio tibi hoc uno argumento nondum perſuaderi, conabor tamen ut perſuadeam. Cum Abſalomi rebellio infeliciter ceſſiſſet, rebelles à Davidis exercitu eſſent profligati & fugati, ipſo Abſalomo quoque occiſo, ſerio ſecum reputant Iſraelitæ, quantorum criminum ſe reos fecerint, & quæ, ſi diutius in obedientia ac tumultibus perſeverent, metuenda habeant ab irato rege: poenitet jam temeritatis, inter ſe capita conferunt, de Rege in regnum reducendo deliberant. Hæc conſilia Davidi indicantur, is mittit ad *Judam*, ut non poſtremi Regi ſuo obviam veniant. Hi hoc nuntio incitati omnes reliquos Iſraelitas celeritate antevertentes, primi ad Regem accedunt, gratulantur victoriam, reducunt. Dum in eo ſunt, ecce reliqui adventant, vident Regem a tribu Juda reductum, indignantur, expoſtulant cum Rege & tribulibus ejus, irritantur, incaleſcunt rurſus leviſſima de cauſa animi, tumultuoſæ audiuntur voces, inordinati conſpiciuntur motus, & ne crederes hunc fervorem

vorem ex amore propenſoque in Regem ſtudio unice oriri, ipſi caverunt. Ecce enim: hoc rerum ſtatu homo nequam nomine *Scheba*, buccina clangens has impias ſpurco ore evomit voces, *non eſt nobis portio in Davide, nec hæreditaria poſſeſſio nobis in filio Iſai*, quid nobis cum hoc rege? ite *ſinguli ad tentoria veſtra ô Iſraël!* Vix hæc proclamaverat, cum mox totus populus, omnes tribus, excepta Juda, Davidem deſerunt & hunc Schebam ſequuntur. 2 Sam. XX. Qui jam fit, ut, qui modo tanto ſtudio de Rege in regnum reſtituendo deliberabant, tam ſubito tamque levi de cauſa animos mutent? utique ſe rerum novarum cupidos oſtendunt. Novo itaque tumultu & civili bello exercetur David; Joab cum exercitu Schebam perſequitur, tandem terrore perculſi ægre arma deponunt, & pacem ea lege ſanciunt, ut pœna de tumultus auctore ſumeretur. *Ephraimitis* rurſus præcipuas hic fuiſſe partes facile mihi perſuadeo, cum quod tanta eorum auctoritas erat, ut reliqui, niſi hi præiviſſent & incitaſſent, auſi non fuiſſent, tum quod diſerte in hiſtoria notatur, hunc Schebam fuiſſe ex *monte Ephraimi*. 2 Sam. XX, 21. *vir ex monte Ephraimi, Scheba filius Bicri nomen ejus* נשא ידו במלך. Si jam hi tumultus unice non ſint repetendi ex æmulatione &

taedio

taedio regni Judæ, id ſaltem mihi dari poſtulo, hanc cauſam multum feciſſe ad defectionem: ex *æmulatione* utique repetendum, quod adeo proni ad motus fuerint, & quod non neglexiſſent Judæ regnum deſtruere, modo auſi fuiſſent, ſpemque ſatis firmam de felici ſucceſſu habuiſſent.

§. 13.

Ita tumultus ſub Davide quidem feliciter ſunt repreſſi, ipſa tamen æmulatio alte animis inhærens tantum abeſt ut evelli potuerit, ut contra ſub Salomone mirum in modum aucta fuerit. Licet univerſus populus eo regnante maxima ſecuritate ac felicitate gauderet, ferre tamen non poterant reliqui Iſraelitæ & æquo oculo aſpicere invidenda Judæ privilegia. Quippe, qui nunc demum ſentiebant *regnum* in *Juda* & familia Davidica fore hæreditarium, Judam non tantum perpetuam regni ſed & templi ac ſacrorum ſedem fore, ibi omnes regum opes coacervari, ibi magnifica palatia & ſplendidiſſimum ac ampliſſimum templum, ibi populi frequentiam eſſe. Dolebant valde æqualitatem tribuum ſublatam, maximum decus Judæ omnium impenſis conciliari, reges tribulibus ſuis, ut fieri ſolet, faventiores eſſe. Regem in Juda ſplendide lauteque cum tot regnis viventem eam potiſſi-

tiſſimum ditare, cum jam ſatis pecuniæ per frequentiam populi in feſtis eo conferretur, male ipſos habebat. Ipſe *David* ſenex in ultima ad populum oratione jam ſignificaverat Judam a Deo electum imperatorem, regnum perpetuum in ſua domo fore, ac per filium Salomonem templum exſtructum iri; imo populum tunc ad concordiam promptamque obedientiam amice adhortatus eſt, laudavit quoque ejus benevolentiam ac concordiam, quam tunc ſaltem præ ſe ferebant 1 Chron. XXVIII Joſeph. A, l. VII. c. XIV. p. 409. Etſi dubium nullum eſt, quin multi ſimulate egerint, ſed nemo eo tempore reluctari aut ſe ullo modo movere auſus eſt. Etiam ſub Salomone nullos tumultus ciere audebant ejus ſapientiam potentiam ac celeberrimam famam reveriti, ſed invidiam tamen ac æmulationem nunquam ceſſaſſe ſequentia tempora declarabunt.

§. 14.

Imo ſub ipſo *Salomone*, etſi nulla fuerunt inteſtina bella, tamen facta eſt conſpiratio, quæ poſt ejus mortem demum erupit. Auctor ejus erat *Jeroboam*, Salomonis ſervus, ab eo ad magnam dignitatem evectus, ac domo *Joſephi*, id eſt *Ephraimitis* & *Menaſſitis*, præfectus. Is, a pro-

pheta

pheta de regno ſibi deſtinato monitus, Ephraimitas ſua ſponte ad rebellionem pronos ad defectionem ſollicitavit. Eo autem facilius in ejus partes fuerunt pellecti, quod ipſe eſſet Ephraimita, vocatur enim 1 Reg. XI, 26. אפרתי מן־הצררה Seu *Ephraimita ex Tſereda*, אפרתי eſt *Ephraimita*, vide Judic. XII, 5. Urbs צררה videtur eadem, quæ 2 Chron. IV, 17. vocatur צרדתה, ſed ibi eſt ה paragogicum. Dudum optaverant regem ex ſua tribu, Jeroboam itaque de favore eorum certus *manum ſuſtulit in regem*, ſeu contra eum conſpiravit ac rebellis fuit. Eadem phraſis adhibetur de Scheba rebelle 2 Sam. XX, 21. niſi quod ibi verb. נשא, hic vero הרים. Rem ita narrat JOSEPH. *A. l. VIII. c. VII. p. 442.* Επαρθεὶς οὖν τοῖς τοῦ προφήτου λόγοις ὁ Ιεροβόαμος, φύσει θερμὸς ὢν νεανίας καὶ μεγάλων ἐπιθυμητὴς πραγμάτων οὐκ ἠρέμει &c. *Jeroboamus itaque, juvenis natura fervidus & magnarum rerum appetens prophetæ ſermonibus elatus, non quieſcebat. Cum vero ad præfecturam ſe contuliſſet - - - illico cæpit populum ſollicitare, ut a Salomone deficeret, & res novas moliri, idque agere ut principatus ipſi cederet.* Salomo autem Jeroboami molimina animadvertens ipſum ad necem quæſivit, ſed nequicquam, fugit enim in Ægyptum ad regem Siſacum.

§. 15.

§. 15.

Jeroboamo *exule* rebellio ad tempus repreſſa eſt, & ſe quietos tenuerunt Iſraelitæ usque ad Salomonis mortem. Eo vero e vivis ſublato, illico arceſſunt *Jeroboamum ex Ægypto*, ut eum regem crearent, ac cum eo aliquem defectionis prætextum quærerent, ut ſaltem ſub ſpecie juris a domo Davidis deficerent. Reditum Jeroboami his verbis narrat ſacer hiſtoricus 1 Reg. XII, 2. 3. *Et fuit, cum audiret Jeroboam, filius Nebathi, & ipſe adhuc in Ægypto, quo fugerat a facie Salomonis regis, & habitabat Jeroboam in Ægypto, ſed miſerunt & vocarunt eum.* Narratio hæc in re clara, valde eſt intricata ac confuſa nec ullo modo toleranda, quare opinor ipſum hiſtoricum nequaquam ita ſcripſiſſe, Tollamus mendas a librariis in textum illatas, legendo pro וַיֵּשֶׁב *& habitabat* mutatis tantum punctis וַיָּשָׁב *& reverſus eſt*, ac pro ultimo במצריכם *in Ægypto* ממצריכם *ex Ægypto.* Tota jam periodus hoc modo reddenda erit. *Factum autem eſt, ut, cum Jeroboam filius Nebathi audiret*, Sc. mortem Salomonis, *(erat autem ipſe in Ægypto, quorſum fugerat a facie regis Salomonis) reverteretur Jeroboam ex Ægypto;*

namque miſerant, qui ipſum vocarent. Hoc ipſo facto, quod, nempe, Jeroboamum, Salomonis internecinum hoſtem, ex Ægypto vocant, & cum eo Sichemum veniunt, animos ſatis nudant & ſignificant ſibi certum eſſe, deficere. Sed pergamus: *Jeroboam* cum Israelitis venit *Sichemum*, huc quoque citaverant *Rehubeamum*, quaſi ibi in ſolennibus populi comitiis Regem creaturi. Verum & hoc ſuſpicionem movere debebat, quod Regem *Sichemum*, urbem tribus Ephraimiticæ, evocarent, quod nempe ibi liberius ei poſſent obſistere, quam Hieroſolumæ. Præterea, ſi nihil mali hactenus ſibi propoſitum habuiſſent, ipſi potius ad Regem veniſſent ut antea ad Davidem & Salomonem, non vero Regem ad ſe arcesſivisſent. Nihil boni ergo ſperandum habebat miſer *Rehabeamus*, cum Sichemum ire cogeretur, & Jeroboam infenſisſimus patris hoſtis, tamquam dux populi, præcipue omnium nomine cum eo acturus eſſet. Præſentibus Rehabeamo ac Jeroboamo & comitiis integris nihil aliud Israelitis agendum reſtabat, quam ut ſub ſpecie juris Rehabeamum regno excidiſſe declararent: nihil ad hoc exſecutioni dandum erat aptius, quam iniquas ei proponere conditiones, ſub quibus regnum reciperet, ſed quas eum rejecturum certo norant. Querun-

runtur ergo de gravi ac moleſto Salomonis Jugo, poſtulant ut ſe mitius tractet 1 Reg. XII, 4. His verbis: *Pater tuus durum fecit jugum noſtrum, tu ergo leva nos a ſervitute patris tui dura & a jugo ejus gravi, quod impoſuit nobis, tum ſerviemus tibi.* Hæc acerba populi querela & audax poſtulatio valde ingrata ac moleſta fuit Rehabeamo; forte etiam inopinata accidit. Quis enim ſuſpicaretur, populum auſurum tam audacter conditiones regi præſcribere, tam impudenti calumnia Salomonem, modo defunctum, proſcindere; procul dubio ſtatim iræ ac indignationis plenus fuit Rehabeam. Sed tamen ſe reprimit, reſpondet tantum: hanc rem accuratiorem requirere deliberationem: jubet ergo, ut poſt trium dierum ſpatium redeant reſponſum a ſe accepturi. Interim ipſe deliberat primo cum *Senioribus*, patris conſiliariis, qui ei auctores ſunt ut indignationem diſſimulet, populo non ſevere & duris verbis ſed mitius & humilius reſpondeat; ſic enim fore ut eorum animi leniantur. Sed Rehabeamo fervido juveni in pleno ætatis vigore, regis felicisſimi filio in aula educato, adulari & ſe ſubmittere neſcio, Seniorum conſilium, tamquam nimis mite nec ſuæ majeſtati congruum diſplicuit. Illud ergo deſerens ad *juniores*

ſe confert Conſiliarios, qui ſecum adoleverant: hi, ut juniores ſolent, fervore magis quam prudentia feruntur, tantam populi ingratitudinem & audaciam non mollibus remediis leniendam, ſed duriore reſponſo ac aſperioribus remediis coercendam ac caſtigandam cenſent, ut diſcant in poſterum Regem revereri. Ex horum itaque conſilio imprudens Rehabeam acerbe & ſevere populo hunc in modum reſpondit vſ. 14. *Pater meus grave reddidit jugum veſtrum, ego autem ſuperaddam jugo veſtro: pater meus caſtigavit vos ſcuticis, ego vero caſtigabo vos flagellis aculeatis.* Hoc imprudens regis reſponſum ſtatim arripit X tribuum populus; mox in hæc tumultuoſa erumpunt verba, vſ. 16. *quæ nobis portio in Davide, non nobis hæreditaria poſſeſſio in filio Iſai, ad tentoria veſtra o Iſrael, jam provide domui tuæ David!* Atque his magno clamore dictis Regem cum ſuis deſerunt, abeunt cum ſuo Jeroboamo, proprium ſibi electuri Regem, nullo unquam modo eo adducendi, ut ſe domui Davidicæ denuo ſubjiciant.

§. 16.

Quicunque hanc hiſtoriam paulo accuratius examinaverit, & ad animum revocaverit, quæ ſupra dicta ſunt, is ſe nonfacile

cile adduci patietur ut credat, veram cauſam, ob quam Israelitæ a Rehabeamo defecerunt, fuiſſe *durum Salomonis jugum a ſucceſſore non levandum ſed aggravandum:* Sed dicenda clarius adhuc certiusque demonſtrabunt, illud de quo querebantur merum fuiſſe prætextum, eum tantum in finem prolatum, ut ſub ſpecie juris a regno Judæ deficerent. Si Rehabeam vel mitiſſime reſpondiſſet, parum tamen promoviſſet, nam antequam reſponderat aut querelas audiverat jam certum populo erat Jeroboamum Regem conſtituere; alias enim capitalem hunc Salomonis hoſtem, ipſo vivo rebellantem & ad regnum adſpirantem non reduxiſſent ex Ægypto. Omnes docti & ſapientes norunt veras rerum cauſas ut plurimum latere, cum quæ publice proferuntur ſæpe numero meri ſint prætextus & fictæ rationes. POLYBIUS, TACITUS aliique prudentiores hiſtorici, inter veteres pariter ac recentiores, ſæpe cauſas veras a prætextibus ſedulo diſtinguunt, ut notum eſt. Ego vero nullus dubito hic adſeverare, querelam de gravi & moleſto Salomonis jugo prorſus iniquam & falſam eſſe; cauſam autem veram & principalem defectionis fuiſſe eam, quam dixi, æmulationem. Salomonis regnum nobis in hiſtoria ubique deſcribitur tamquam lætum, quietum, nullis

bellis nullis inteſtinis ſeditionibus turbatum, felix & omni parte, quantum fert humana in hac terra conditio, beatum, adeo ut Judæi ſub nullo alio rege tanta felicitate gaviſi fuerint. Regnum Davidis, etſi felix, tamen bellicoſum ac turbulentum erat, ſed nulla hoc reſpectu de *Salomone* poterat eſſe querela. 1 Reg. IV, 20. 25. Sub eo mercatura & commercium cum aliis gentibus, antea Judæis fere inuſitatum, maxime floruit, indeque immenſæ opes ac divitiæ ſupra fidem magnæ non tantum ad Regem ſed & univerſum populum redundarunt. 1 Reg. X, 21. & ſeq. 2 Chron. I, 12. & ſeq. Recte JOSEPHUS *A. l. VIII. c. II. p. 419.* de Salomonis ævo: *miro incremento auctæ ſunt res Hebræorum & tribus Judæ, populo ad agrorum colendorum curandorumque ſtudium converſo. Nam pace potiti, neque bellis, neque turbis inteſtinis diſtracti, ac præterea optatiſſima libertate ad ſatietatem usque fruentes, omni cura & cogitatione in hoc incubuerunt, ut ſua quisque augeret & majoris pretii faceret.* Tum in *S. hiſtoria* quam apud *Joſeph.* verba maxime emphatica accumulantur ad ſummam hanc felicitatem pro merito deſcribendam. Cum ergo populus pace gaviſus mercaturæ & agrorum culturæ deditus maximis divitiis ac opibus abundaverit, gravi

ac intolerabili jugo utique preſſus non fuit.

§. 17.

Sed tamen dices: reges ſplendidi & magnifici ſemper populo graves ſunt, Salomo cum tot reginis tam ſplendide lauteque vivens, tot magnifica palatia & templum adeo magnum ac excellens, ut merito in terræ miraculis recenſeatur, exſtruens, utique maximos ſumtus facere populumque *nimiis tributis* exhaurire neceſſe habuit: ſpeciem hoc habet, ſed evanidam, nam ſi vel maxime gravia tributa dare debuerint Judæi, poterant hoc facile, cum divitiis affluerent. Qui quæſo argentum Hieroſolumæ vile potuit eſſe inſtar ſtanni vel lapidum, ſi cives tributis fuerint exhauſti? Verum præterea ipſa hiſtoria clare contrarium teſtatur, ipſum nempe impenſas illas maximas feciſſe ex *tributis peregrinarum* gentium, quibus imperabat, ut innuitur 1 Reg. V, 1. & 4. & diſerte JOSEPHUS *A. l. VIII. c. II. p. 419. Erant autem regi & alii præfecti, qui & Syrorum & alienigenarum terræ omni, a fluvio Euphrate Ægyptum usque pertingenti, præerant, egentibus ipſi tributa colligentes. Atque iſti regis victui in ſingulos dies ejusque conviviis conferebant ſimilæ quidem coros triginta &c.*

Ad Templum vero maximum theſaurum immenſasque opes jam præparaverat David 1 Chron. XXIX. Jugum ergo Salomonis non fuit grave tributorum habita ratione. Aſt forte *Judæos* ad opera *moleſta* & *ſervilia* coëgit, multis enim ſervis & operariis indigebat ad ſtupenda illa, quæ ædificavit palatia: Sed & hoc hiſtoriæ contrarium eſt, nam ad ea uſus eſt *peregrinis*, qui inter Iſraelitas degebant, 2 Chron. II, 16. 17. 2 Chron. VIII, 7. & ſeq. ubi vſ. 9. clare dicitur Salomonem ex filiis Iſraelis nullos feciſſe ſervos ad opus ſuum, quia illi erant viri militares & principes &c. Ad militiam & officia honoratiora adhibebantur Judæi, de dura autem militia nullo modo queri poterant. JOSEPH. *A. l. VIII. c. VI. p. 436.* idem narrat, dicens peregrinos adhibitos fuiſſe πρὸς τὸ θητεύειν καὶ τὰς οἰκετικὰς χρείας &c. ubi addit τῶν γὰρ Ἑβραίων οὐδεὶς ἐδούλευεν. *Hebræorum enim nemo ſerviebat.* Quemadmodum igitur Seſoſtris, Ægyptiorum Rex, narrante DIODORO *Siculo*, *Biblioth. l. I. p. m. 52.* Templis a ſe ædificatis inſcribi curaverat οὐδεὶς ἐγχώριος εἰς αὐτὰ μεμόχθηκε *indigenarum nemo huc laborem impendit;* ita quoque vere Salomo facere potuiſſet, adeo ut & hæc querelæ cauſa ſublata ſit. At, inquies, forte *ſeverus nimis* ac *iniquus in Judicio* fuit: mirum ſane hoc foret, ſi idem

idem ille, qui in aliis rebus omnibus civium ſaluti, poſperitati & commodis providit, ſe mitem lenemque præſtitit, in Judicio crudelem ſe geſſiſſet Tyrannum. Hiſtoria quoque reclamat, cum ubique ejus ſumma prudentia & æquitas, primo non tantum judicii actu ſed & deinde probata, laudetur, nec ſors Judæorum tum adeo læta ac beata fuiſſet, ut deſcribitur. Bene rurſus JOSEPHUS *A. l. VIII. c. II. p. 416. Summa pacis tranquillitate deinde rempublicam adminiſtravit, nihil ei obſtante adoleſcentiæ fervore, quo minus vel Juſtitiam coleret & leges cuſtodiret, vel quæ a patre morituro acceperat memoria conſervaret: &c.* Ætate jam provectior deflexit quidem ex nimia in peregrinas mulieres indulgentia a recta Deum colendi ratione, ſed nuſpiam accuſatur de regno male adminiſtrato aut conſcientiarum Tyrannide, neque id crimen Iſraelitarum animis fuit obverſatum, dum de eo querebantur. Propter hanc cauſam Deus quidem imperium in X tribus ejus filio eripuit, non autem Iſraelitæ propterea defecerunt. Nihil ergo ingrati Judæi de Salomone querendum habuerunt, multo majore jure de Davide queri potuiſſent. Iniquum eſt eorum judicium, impia & rebellis expoſtulatio: Schebæ regina rectius multo, quam ingrati ſubditi, de eo

judicavit 1 Reg. X, 8. & ſeq. *Felices homines tuos, felices ſervos tuos, qui tibi perpetuo adſtant, & ſapientiam tuam audiunt, benedictus ſit Jehova, Deus tuus, qui te delectatus eſt, ita ut collocavit in ſolio Iſraelis, pro amore perpetuo in Iſraelem; & qui te conſtituit regem, ut jus diceres, juſtitiamque exerceres.* *Rehabeam* quidem male egit, quod Seniorum conſilium non fuerit ſecutus, illi enim optime populi indolem & ſtudia norant, æmulationem ac conſpirationem tribuum dudum ſenſerant, ut ſuo reſponſo non obſcure indicant; ſciebant nihil remedii ſupereſſe ad Schisma evitandum populumque a malo propoſito abducendum, quam mollia verba & ampla promiſſa, propterea ſuaſerant Regi, ut quam mitiſſime reſponderet, & oſtenderet ſe paratum ad omnia populi vota exſecutioni danda: Sed tamen, licet Rehabeam imprudenter ac importune reſponderet, æquum erat ei, populi tractandi ignaro, vel *propter Salomonem patrem & illius in Iſraelitas beneficia veniam indulſiſſe*, ut recte Abias filius ejus in oratione, quam tribuit ei JOSEPH. *A. l. VIII. c. XI. p. 452.* Ne jam dicam Iſraelitas impudenti in patrem ejus calumnia ac iniqua poſtulatione hoc reſponſum ei extorſiſſe. Ipſi juniores conſiliarii ſenſerant etiam molimina populi, quæ per vim coër-

coërcenda cenſebant, ne, ſi Rex ſe in imperii initio ſubditis ſubjiceret, Regia majeſtas vileſceret, forte etiam putarunt populum minis poſſe coërceri ac a propoſito abſterreri. Deſinite ergo nunc Iſraelitæ de duro Salomonis jugo queri, larvam vobis detraxi; *invidia*, *æmulatio* & *prava ambitio* veſtros animos faſcinarunt; hæc vera cauſa eſt, ob quam nunc a domo Davidis deficitis, ac triſtisſimo Schismate rempublicam laceratis & peſſundatis!

§. 18.

Schisma hoc, ex æmulatione ortum, funeſtam & prorſus lethalem reipublicæ attulit cladem; vires ejus per illud valde imminutæ ac fractæ ſunt, inde ab hoc tempore exterorum rapinis patere cœperunt. *Siſacus* Ægypti rex, ſtatim quinto poſt anno Rehabeamum bello adortus, multas munitas civitates cepit ac Templum & domum regiam ſpoliavit, ægre magno ære dicam an auro pacem redemit infelix Regis felicisſimi filius. Tam cito ſplendor, gloria & felicitas, quæ ſub Salomone vigebant, evanuerunt; Templum haud ita pridem exſtructum aureis, quibus ornatum erat, inſtrumentis carere cogitur 1 Reg. XIV, 25. 2 Chron. XII, 2-12. Populi a Davide devicti ſenſim defecerunt *Syri*, *Idumæi* & *Moa-*

Moabitæ. Sic Deus illa tribuum diviſione uſus eſt ad rempublicam debilitandam, ut Judæi ſuorum criminum pœnas luerent, ut non obſcure indicatur 2 Reg. XVII, 20. 21. ubi præterea de *Jeroboamo* dicitur וידח ירבעם *Iſraelem a Jehova.* Verbum וידא non intelligentes *Maſorethæ* mutandum ſciſcunt in וידח. a נדח *depulit*: ſed vulgata lectio bene ſe habet; verbum נדא Arabes nobis conſervarunt, apud quos نَدَّ inter alia notat *terruit, deterruit*, quod hic bonum ſenſum dat: *deterrebat Jeroboam Iſraelem a Jehova*, quo minus nempe Eum ſequeretur ac Hieroſolumæ coleret. Timebat enim, ne, ſi populus Hieroſolumam propter ſacra frequentaret, rurſus ad domum Davidicam defiieeret, hinc id callide impedivit, & Iſraelitas omni modo a cultu Jehovæ publico & legitimo, Hieroſolumæ exercendo, abſterruit: vel ſic tamen impedire non potuit, quo minus multi legis tenaciores cum Juda in gratiam redirent, ut ſub *Aſa* factum legimus 2 Chr. XV, 9. quando multi ex *Ephraimo*, *Menaſſe* & *Simeone* ad *Judam* defecerunt, cui malo ſe oppoſuit *Baëſa* 2 Chron. XVI. Judæ quoque Reges *religionis prætextu* Iſraelitas allicere conati ſunt, exemplum cape ex *Abia* 2 Chron. XIII, 8. Cæterum hoſtili modo

modo ut plurimum ſe invicem tractarunt Juda & Iſrael, inque propria ſævientes viſcera ſe invicem continuis bellis attriverunt. Baëſa & Aſa per omnem vitam ſe infeſtarunt 1 Reg. XV, 16.32. *Amaſia* Judæ rex, ob victoriam de Idumæis ſuperbiens, *Joaſum* Iſraelis ad prœlium provocavit, ſed valde infeliciter, cum ab eo victus, captus, ſpoliatus & non niſi datis obſidibus dimiſſus ſit 2 Reg. XIV. Horrenda deinde clade affecti ſunt Judæi ſub *Achaſo* a *Pekah* Remaliæ filio, conjuncto cum rege Syriæ 2 Chron. XXVIII, 5. Centum & viginti millia uno die proſtrata, & ducenta millia hominum abducta ſunt captiva, qui tamen intercesſione prophetæ Obedi libertate donati & remiſſi ſunt. Præterea *Zicri* potens *Ephraimita* tunc interfecit *Maaſeiam* regis filium, & *Azrikamum* anteceſſorem domus ejus, atque *Elkanam* ſecundum a Rege. Illa diviſio, odium & inimicitia durarunt usque ad deſtructionem Regni Ephraimitici, & Schisma non niſi poſt exilium Babylonicum coaluit. Ex dictis abunde patet defectionem X tribuum a domo Davidica ex æmulatione & invidia ortam, præcipuam cauſam fuiſſe ruinæ reipublicæ & populi Judaici. Deus enim ea uſus eſt ad Judæorum debilitationem & deſtructionem, ut graviſſimorum criminum pœnas luerent.

§. 19.

§. 19.

Odium, *invidia* indeque orta *diviſio* tribuum durarunt quidem usque ad exilium ac deſtructionem totius Judæorum reipublicæ, ſed in exilio & poſt illud prorſus ceſſarunt; reduces in patriam omnem hanc æmulationem prorſus depoſuerunt, id quod dudum ante clariſſimis verbis a prophetis prædictum erat. Præter vaticinia ſupra jam prolata huc pertinet locus Zach. X, 6. & ſeq. Sed in primis manifeſta omnique animadverſione digna eſt prædictio Ezechielis cap. XXXVII, 16. qua docemur omnes tribus rurſus coalituras in unam rempublicam, in unum regnum, adeo ut omnis diviſio prorſus ceſſaret; omnem tribuum æmulationem abolitum iri clare quoque dixerat Jeſ. XI, 13. loco ſupra jam citato. Quæ vaticinia omnia etiam eventu comprobata ſunt. Sub Cyro Hieroſolumam redierunt tribus *Juda & Benjamin* una cum Levitis, quibus ſe nonnulli quoque ex X tribubus adjunxiſſe videntur Esdræ II. Sed deinde plures, JOSEPH. *A. l. XI, c. V. p. 560.* narrat, quod *Esdras* litteras, quas a Rege Artaxerxe acceperat, quibus ipſi poteſtas dabatur cum Judæis redeundi in patriam ad Hieroſolymam templumque inſtaurandum, quod eas litteras in-

inquam, ſive earum ἀντίγραφον miſerit in *Mediam* ad omnes gentis ſuæ homines, hoc eſt *ad X tribus*, & quod omnes vehementer lætati ſint cognita regis erga Deum pietate & erga Esdram benevolentia: En jam ſpecimen mutuæ amicitiæ; nec Esdræ amica invitatio effectu caruit, nam inquit JOSEPH. πολλοὶ δ' αὐτῶν, καὶ τὰς κτήσεις ἀναλαβόντες, ἦλθον εἰς Βαβυλῶνα, ποθοῦντες τὴν εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα κάθοδον. *Multi ex illis cum re ſua familiari Babylonem ſe contulerunt, ut qui Hieroſolumam revertendi deſiderio tenebantur*: Omnes tamen deinde communi *Judæorum* nomine comprehenſi ſunt, facta denominatione a tribu *Judæ*, quæ prima reverſa erat, ut idem JOSEPH. *p. 565.* Cæterum ſignum ſublatæ æmulationis habemus in eo, quod Esdras Iſraelitas amice invitaverit, quod omnes lætati ſint, denique, quod multi cum Esdra Hieroſolumam ſe contulerint. Licet vero nonnulli ſe Judæ ac Benjamini junxerint, omnis tamen multitudo Iſraelitarum ſive X tribus manſerunt voluntarie in exilio, ut ibid. *p. 561.* nulla ergo integra tribus ſed multi ex omnibus reverſi ſunt, quod ſufficit. Præterea illi ipſi, qui in exilio manſerunt, amicitiam cum Judæis in patriam reverſis coluerunt, quotannis in feſtis majoribus Hieroſolumam frequentarunt, & hac parte ſe unam

cum

cum illis gentem demonſtrarunt. Sublatæ diviſionis indicium quoque in eo eſt, quod nomen Iſraelis, quod durante Schismate tantum X tribubus dabatur, nunc rurſus de Juda & Benjamine æque ac de omnibus Jacobi poſteris adhibeatur. Hiſce addatur, non potuiſſe æmulationem obtinere poſt reditum ex Babylonico exilio, cum quod nulla integra tribus, præter ſupra memoratas, redierit, tum quod Ephraimitarum terra maximam partem eſſet occupata a *Cuthæis*, ſive *Samaritanis*, ut recte Cl. VITRINGA ad *Jeſ. XI. p. 352.*

TANTUM.

IV.

JOH. PHIL. CASSELII P.P.

OBSERVATIONES PHILOLOGICO ANTIQUARIÆ DE SUE IN DIVINATIONIBUS ET MYSTERIIS MAGICIS AD JES. LXV, 4. ET LXVI, 17.

ARGUMENTUM.

§. 1. *Porcus* in Mysteriis Magicis. Explic. *Jes.* LXV, 4. & LXVI, 17. Mos frequentandi sepulchra, & pellibus animalium in Templis incubandi ad exploranda futura, & morbos curandos. *Sus & mus* ad februa apud Orient. Esus murium, suillæ, Hercules somnialis. §. 2. Sus in Auguriis apud *Cyprios & Lacedæm. Stryges* porca averruncantur, de Lilith, varia puerorum terriculamenta & *divinationum* genera ex porcis. §. 3. Mysteria magica in Papatu ope suum, St. *Thelmus* phænomenon marinum. S. *Blasius* & S. *Antonius* euratores gregum & porcorum castratorum. Porci S. *Antonii*. Mysterium magicum, ut porci quemque Sequantur. Alia. §. 4. Metamorphosis dæmonum & homi-

hominum in porcos. *Protei* variæ mutationes. Lycanthropia. §. 5. Homines libidinoſi & impuri poſt hanc vitam mutantur in ſues ſecundum gentiles & Turcas, item Chinenſes.

§. 1.

Inter immenſa, quibus Ebræorum populus a ſummo Numine donatus eſt, beneficia, haud ultimum meretur locum, quod & de cultu vero ſibi exhibendo non tantum per ſacerdotium proſpexerit, ſed & certa ad Religionem veram ſartam tectamque conſervandam & ad ſeros nepotes propagandam, media ordinaverit. (a) His tamen egregiis mediis non obſtantibus, gens illa non tantum ab avita religione, toties occaſione data deflexit, ſed & omnium idololatriæ deditorum orientis populorum cultus inter Iſraelitas citius ocius invaleſcere cœpit. Teſtantur illud tot Prophetarum Judæis a vero Deo apoſtaſiam opprobrantium loca, quibus amplius inhærere non volupe, cum hac vice ritus illos ſpecialiſſimos in locis Prophetæ contentos delibare, & ex antiquitate illuſtrare libet.

Por-

(a) Cum laude hoc argumentum exſecutus eſt JER. FRIDERICI *diſſ. de ſtudio gentium, ſpeciatim Ebræorum, in patria tuenda Religione. Lipſ.* 1718.

Porcum in myſteriis Magicis olim adhibitum fuiſſe Viri docti ex JESAIÆ *cap.* LXV. 4. elicere volunt. Locus ita ſe habet:

הַיֹּשְׁבִים בַּקְּבָרִים וּבַנְּצוּרִים יָלִינוּ
הָאֹכְלִים בְּשַׂר הַחֲזִיר וּפִרְק פִּגָּלִים כֵּלֵיהֶם:

Qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt, qui comedunt carnem ſuillam, & jus abominationum eſt in vaſis eorum. Interpretes fere omnes conſentiunt, hic agi de *Necromanteias* ſive Ψυχομαντειας nefando ritu, quo futurorum cognoſcendorum cupidi noctu apud ſepulchra in ſpeluncis, (b) lucis tenebricoſis, delubris aut ſolitariis locis verſabantur, ut vel evocarent manes, & fato functorum umbras, vel ſomnia de futuris & morborum reme-

(b) Mos enim magorum & veneficarum erat frequentare ſepulturas, ut oſſa mortuorum adhiberent ad uſus ſceleratos & execrabiles OVID. Epiſt. VI. *Heroid.* v. 89.

Per tumulos errat, paſſis diſcincta capillis
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis.

Plura collecta vides apud J. PASSERATIUM *in Propert.* p. 436 PHIL. PICINELLUM *in Lumin. Reſt ad Jeſ. l. c.* p. m. 547. Naſamones apud parentum ſepulcra manſitando propria oracula captare ſolebant, teſte TERTULLIANO *cap.* 57. *de Anima.* p. 306.

diis captarent, pellibus (c) ſacrificiorum incubantes. CELEB. SPENCERUS *de Legg. Hebr. Ritual.* p. 137. ex hoc prophetæ loco concludit, *Porcum animal magicum fuiſſe*, & ethnicos carnis ſuillæ vel juſculi e carne confecti comeſtione, tanquam ſacramento & ritu magico ſe Dæmoni conſecraſſe,

(c) De more Veterum pellibus animalium in Deorum templis & ſepulchris incubandi, dormiendi & res futuras explorandi agunt JOH. NICOLAI *diſquiſ. de ſubſtratione veſtium cap.* VI. p. 100 104. *Giſſæ* 1701. 12. G. DUCHOUL. *de Relig. Vett. Rom.* p. 261. DILHERRI *Diſputatt. Acad.*. T. 2. p. 255. CONRINGIUS *diſſ. de Incubatione in fanis Deorum medicinæ cauſa olim facta Helmſt.* 1659. *& in Opp. recuſa.* A. M. SALVINIUS *in notis ad Inſcriptiones Florentinas a Gorio editas.* p. 292. *Florent.* 1727. *fol.* C. FRID. HUNDERTMARCK *in eleg. diſſ. de Artis medicæ per ægrotorum apud Veteres in vias publicas & templa expoſitionem incrementis, ſect.* II. *p.* 17. *Lipſ.* 1739. PITISCUS *in Lex. Antiq. Roman.* voc. *Somnium & Incubare*; de morborum mediis explorandis ægrotorum in templis dormientium J MEURSIUS *ad Lycophr.* p. 88. præſertim in Templo Aſculapii in urbe Epidauro, MARMORA *Oxonienſ.* p. 109. In Inſcriptione apud SPONIUM *in Miſcell. Erud. Antiq.* occurrit *Hercules Somnialis*, qui ægrotos ad ædem ipſius ſe conferentes, in ſomnio de ægritudine curanda monebat. p. 101. & apud REINESIUM *Inſcript.* p. 600.

se, & δαιμονολήπτους evasisse, quod amplius probat ex binis *Pauli Veneti* locis, carnis scilicet Dæmoni oblatæ jusculum partem haud exiguam in cerem.oniis gentium magicis & idololatricis antiquitus habuisse.

Alter Prophetæ priorique parallelus locus legitur, *Cap.* LXVI, 17. המתקדשים והמטהרים אל הגנות אחר אחר בתוך אכלי בשר החזיר והשקץ והעכבר יחדו נאם-יהוה: יספו *Qui sanctificant se*, & *qui mundant se in hortis, post unum, in medio* (horti:) *comedentes carnem suillam*, & *abominationem*, *atque murem; simul consumentur*, *dixit Jehovah. Doctiss.* VITRINGA *in Comment. ad h. l.* p. 894. ex utroque loco non directe demonstrari posse vult *sacrificium porcinum*, sed mentionem tantum hic fieri *esus carnis suillæ*, non oblationis. Et cum fœdifragi in posteriori loco non tantum dicantur *suillam* edere, verum etiam *mures*, (d) dubium censeri queat, an mures vel oblati sint Diis vel in februis usum habuerint, licet viri docti, ut SELDENUS *de Diis Syris* L. I. c. VI.

(d) De *Porca* & *mure* apud Orientales inter februa adhibito: vid. SCHEDIUS *de Diis Germ.* p. 132. SAUBERTUS *de Sacrif. cap.* 23. *p.* 521. JOH. MARSHAMUS *Can. Chron.* p. 539. SPENCERUS *l. c.* p. 338.

p. 106. & SPENCERUS l. c. hoc ex illo loco adſtruere velint.

Quod vero eſum *ſuillæ* attinet, de quo heic Propheta loquitur, certe nullo unquam tempore Judæi ſe criminis hujus reos magis fecerunt, quam Antiochi Epiphanis ætate, qui Syrorum Rex partim blandis verbis, & pollicitationibus, partim etiam minis ac ſuppliciis diris Judæorum quam plurimos eo adegit, ut abnegato ritu patrio Græcum adoptarent, ac ſpreta lege Moſaica, carne ſuilla veſcerentur, quæ omnia uberius in *Maccabæorum libris* deſcripta leguntur. Judæos enim ad gentilium idololatriam pronisſimos, eorum etiam ritus ſacros ſtante templo primo ſpontanee imitatos eſſe, judicatu eſt facillimum, & demonſtratu. *Vid.* LAKEMACHERI *Obſerv. Philol. P. IV. p.* 39.

Eſum vero *murium ſummus* BOCHARTUS *Hieroz.* P. I. L. III. c. 33. p. 1015. refert ad morem Orientalium, quo mures agreſtes עכבר *achbar* dictos, his populis in deliciis fuiſſe probat. Conf. D. MILLII *Diſſertt. Sel.* loco mox citando. Incolas urbis Calechut Indiæ *mure* ac piſce ſole exuſto veſci, tradit LUD. VARTOMANNUS *Navigatt.* & *Rer. Indic.* L. V. c. 6. p. 272.

Mures

Mures & glires apud Romanos etiam in deliciis fuisse, & in conseptis & doliis eum in finem altos,, patet ex PLINIO *Histor. Natur.* L. VIII. *cap.* 82. unde MARTIALIS L. III. *Epigr.* 58.

Somniculosos ille porrigit GLIRES.

Romani colebant *Apollinem Sminthium*, a *muribus* dictum, de quo ejusque vera etymologia & cultu alibi acturi. vid. OUZELIUS *ad Minut. Fel.* p. 182. Bœotios Apollini *Parnopio* Sacra fecisse a *mure*, qui apud Æoles παρνοπιων dicitur, testatur JUL. AURELIUS *de cognom. Deorum Gentil.* L. I. 4. *Tomo IV.* J. G. *Clausingii Juris Publ. Roman.*. p. 38. Mos tamen ille apud Romanos mensæ *mures* imponendi sub consulatu M. Scauri legibus censoriis coërcitus & impeditus fuit, teste PLINIO L. XXXVI. c. I. ad utrumque Plinii locum conferatur HARDUINUS, vid. J. BRUYERINUS *de Re cibaria.* L. XIII, 33. & 34. p. 553. FR. M. GRAPALDUS *Onomast.* L. I. c. VII. p. 116. J. H. URSINI *Analecta S. P. I.* L. I, 10. p. 15. J. P. LOTICHIUS *ad Petron.* p. 23. & 96.

Quin *mures* ad manteian referebant, eosque futura præcognoscere credebant, conf. J. C. DIETERICI *Antiquitt. Bibl. V. T.* p. 460. PITISCI *Lex.* A. R. *voc. Mus.* Me-

moratu eſt dignum quod OVIDIUS *Faſt.* L. II. 571. *ſq.* narrat, ubi de Feralium feſto agit, cum *Deæ Tacitæ* ſacra facerent, ibi ab anu thura tria repoſita fuiſſe ſub limine, qua *mus* ſibi iter fecerat. CAR. NEAPOLIS *Anapt. ad h. l.* p. 89. refert hoc ad detractores maledicos & quorum linguam ratione vita functorum compeſcere volebant. PHILASTRIUS *in Catal. hæret. cap.* XII. ex Philiſtæorum *aureis muribus* I. SAM. VI. finxit hæreticos, qui ab ipſo *Muſoritæ* (e) dicuntur, & ſorices coluerunt, quos quia CEL. BOCHARTUS pro hæreticis Chriſtianis habuit, ille merito vapulat a FABRICIO *in Annotatt. ad Philaſtr.* p. 26. Ad bina hæc Prophetæ loca ex antiquis ritibus illuſtranda, ſcilicet ex februis, luſtrationibus, ſacrificiis porcinis, omnibus fere Diis Deabusque oblatis, latius hic divagari poſſem, niſi ea omnia in antiquitatibus meis de *ſacrificio porcino* per capita diſtributis & partem adhuc ineditis fuſius eſſent expedita, & explanata. Cæterum evolvere non pigebit ad illa, diſſertationum cum cura elaboratarum trigam ſive quadrigam, ſcil. THEOPH. GRABNERI *diſſ. 2. de Sacris Judæorum peregrino in hortis ritu factis*

(e) De Muſoritis, qui *mures* coluere vid. SELDENUS *de Diis Syris.* p. 106.

ctis. Witt. 1710. NIC. GERH. MEIER *de* אחר *sive uno Deo Assyriorum ab Esaia rejecto ad Es. LXVI, 17. sub præsidio J. Conr. Schrammii. Helmst.* 1734. DAV. MILLII *Dissertatt. sel.* no. VI. p. 265. *sq. Traj.* 1743. 4.

§. 2.

Quemadmodum vero Augurum disciplina ex quatuor generibus constabat, ex *avibus*, earum scilicet volatu, occentu, & tripudio, ex *cælo*, qua parte aliquid se ostentaret, unde divinationem instituerent; ex *diris*, & denique *terrenis animalibus*. Ex his omnibus Augures auspicia captabant, cujus disciplinæ Romani veteres erant observantissimi. Inter animalia (f) *Sus* non infimum locum habebat, exque eo, veteres, nescio quid, divinabant. Sic PAUSANIAS L. VI. non longe ab initio, p. 455. refert, *Cyprios* inspectis suibus primum divinasse. *Vetus est*, inquit, *& ab initio instituta ex hoedis, agnis, vitulis, aruspicina*, SUEM PRIMI OMNIUM CYPRII *addidere.* IDEM *in Laconicis* affirmat ex *apro* divinatum esse: *Apud Lacedæmonios noctur*

(f) J. J. HAFNERUS *in diss. de Auguriis Vett.* inserta A. C. ESCHENBACHII *Dissertt. Academ.* No. IX. p. 551-596. nullum ex porcino genere augurium annotavit.

na inter ephebos Sacra fiunt. Committunt ii ad pugnam in illis Sacris APROS CICUROS DUOS. *Solet vero uſu evenire, ut utrius claſſis aper victor diſceſſerit, ea de juvenum ludis in plataneto palmam auferat.* UBBO EMMIUS *Vett. Græciæ* T. III. p. 89.

Romani in ſacris Magicis *Stryges* (g) *nocte pueros in cunis infeſtantes averruncari porca*

(g) Huc pertinent varia terriculamenta, quibus ad pueriles animos in obſequio continendos uti veteres ethnici ſolebant, ut *Lamia*, *Gorgo*, *Mormolyca*, *Empuſa*, & alia monſtrorum nomina terrorem incutientia, ſub tutela & adjumento Celeb. & Eruditiſſ. Göttingenſium Muſarum Statoris J. M. GESNERI pluribus deſcripta a J. C. L. BRUGGEMANNO *in diſſ. de Terriculis puerorum. Gött.* 1745. J. P. PFEIFFER & BEYER *in theſ. philol.* (priore) T. I. p. 651. & 656. Nocturnorum horum præſes ſpectrorum *Hecate* erat. teſte J. MEURSIO *in Lycophr.* p. 93. *edit. Pott.* Striges illæ & *volaticæ* ob nocturnum volatum dictæ a TERTULLIANO *de Pallio* p. 34. conf. SALMASIUS *ad h. l.* p. 444. Commentum hoc ethnicorum de Strigibus nocturnis ubera lactantibus pueris præbentibus, originem duxiſſe quidam volunt ab uxore prima Adami *Lilith*, de qua MOYNE *Varia* S. T. 2. p. 456. ſq. A. AUSTEN (*diſſ.*) *Trias quæſtionum* p. 3. *Rintel.* 1688. SELDENUS *de Diis Syris* p. 174. & BAYERUS *ibid. in notr.*

porca immolata (†) credebant. OVIDIUS L. VI. *Fast.* 158.

Spargit aquis aditus, & aquæ medicamen habebant
EXTA*que de* PORCA *cruda bimestre tenet.*
Atque ita noctis aves extis puerilibus inquit
Parcite: pro parvo victima parva cadit.
Cor pro corde precor, pro fibris sumite fibras,
Hanc animam vobis pro meliore damus.

D. MILLII *Diss. Sel.* p. 156.

Aliud divinationis ex *apro* genus recenset ZONARAS apud P. F. ARPE *de Talism. & Amuletis* p. 41. Alexander nempe Imperator Leonis philosophi frater, magos rogans, an diu regnaturus esset, audivit ex

nott. p. 296. FRISCHMUTH *in Thes. Phil. T.* I. p. 869. GAFFARELLUS *in Curios. inaud.* p. 215. & MICHAELIS *in nott. ib.* p. 365. CELEB. & irreconciliatus J. C. SCHLÆGERUS *meus Illustriss. Ducis Saxo Gothani a consiliis aulicis, &c.* rei nummariæ tam antiquæ quam recentioris promus condus, in eleg. diss. *de Diana Lysizona p. 64. sq. Hamb.* 1735. 4.

(†) Præter alia antidota, ut allium, & carmina quædam, de quibus C. NEAPOLIS *ad l. Ovid. cit. p.* 261.

ex illis, ſe diu victurum, ſi *apro*, qui in theatro ex ære factus erat, dentes & pudenda apponerentur, quia ea figura tua eſt, quæ e regione ſita eſt Leonis fratris tui. IDEM *ibidem* p. 42. refert, *Aprum Caledonium* ex ære fuſum, (Herculis fuiſſe ſtatuam a Lyſimacho ſculptam), quo *Alexii Angeli* Imperatoris conjugem Euphroſynam magiæ deditam uſam, atque aliis ſtatuis, quibus membra decuti juſſit. &c. Memoranda eſt divinatio THEODATI *Gothorum Regis*, curioſius futura ſcrutantis; Juſſiſſe ſcilicet inſigni vanitate Judæum hominem *porcos triginta*, parvis ædificiis tribus occludi, ac decimo cuique nomina Gothorum facere, & Imperatoris præfectorum, indeque ad certum diem quieſcere. Peractis vero uti erat injunctum, omnibus, ad præſtitum Theodatus cum Hebræo *porcos* pergit inviſere: ubi mortuos comperit, quibus Gotorum facta erant nomina, vivos autem, quibus erant præfectorum nomina impoſita. Verum ſetas e dorſo defluxiſſe, quarum viſeretur dimidium. Quo ſane conjectatum, fore ut Romani exercitus aboleretur dimidium, Gotis ad internecionem occiſis. RHODIGINUS *Antiq. Lect.* c. 35. *p.* 723.

§. 3.

§. 3.

In Ecclesia Romana, sicut Exorcismorum & Benedictionum larga copia datur, & proventus illarum uberrimus est, adeo ut per singulos annos & anni dies escas non solum & quicquid victui necessarium, sed etiam animalium vivorum carnes ejus asseclæ consecrent; ita etiam in conservandis gregibus, illusionibus & portentis instructi sunt, uti mira quædam de subulci cujusdam præstigiis, ut gregem porcorum sartum tectumque conservaret, narrat GEORGIUS PICTORIUS *Isag. de Dæmon. sublun.* Subulcum sc. quendam fuisse, qui in baculo pastorali scedulam nomine D. BLASII inscriptam habebat, cujus baculi vi & potentia, *porcos suos ab omni luporum vi & raptu tutos credebat*, ac tantum scedulæ numinis tribuebat, ut etiam porcos in agris solos pascendos abigeret. Contingente tamen quodam tempore cum gregis pastor abesset, & quidam præteriens dæmonem custodire vidisset, illique dixisset, quid ipse hic custodiret, qui hominum salutis persecutor foret pessimus? respondit *porcos* (h) *custo-*

(h) Porcos *familiare dæmonum pecus* appellat TERTULLIANUS *cap.* IX. *de Pudicitia.* p. m. 562.

custodio, retulit alter, cujus jussu? dæmon inquit, stulti pastoris confidentia. Nam scedulam quandam suo bacillo inclusit, cui divinam adscribit virtutem, vel inde quod *Sancti Blasii* nomine est inscripta; & eam porcos suos a luporum injuria defendere contra legem suam credit, mihi falsa superstitione inhærens: ubi cum per me fuisset vocatus, & denuo vocatus, & non comparuisset, me Sancti Blasii vice huc custodiendum contuli. Ut enim semper libens Dei & sanctorum vices gero; ita & nunc libentissime pro suo S. Blasio illi porcos custodio, ut stultum hominem in sua vana confidentia extollam, ac roborem, ac eo perducam, ut talem scedulam pluris quam Deum faciat. MART. DELRIO P. III. *Disquisitt. Magic.* p. 928. En Diabolum sanctorum operæ & ministerio invigilantem! Et cui non dictus hylas singulis sanctis sua propria in Papatu officia data; ita s. THELMUS (i) invocatur a nautis, quando naves eli-

(i) S. *Thelmum* enim sub quodam in aëre vel in antennis vel malo viso phœnomeno cernere & invocare solent. A. M. MYLLERI *Jes. Peregrinus in Jerusalem* p. 18.19. ANT. SEPP & ANT. BÖHM Soc. *J. Reisebeschr. aus Hispan. nach Paraquaria.* p. 65. DECHALES T. IV. *Mundi Mathem.* p. 692. J. M. LANCISIUS de

eliduntur, vel de naufragio timent; & S. BLASIUS Martyr & Epiſcopus, ut imbecilliora animalia contra crudeliora tueatur; ſic mulier quædam ipſum rogaſſe dicitur, ut ſibi *porcus* a lupo abſtractus redderetur, qui precibus mulieri fuerit reſtitutus. Sic etiam St. *Antonio* cura caſtrationis animalium, ut equorum, aſinorum & *porcorum* propria eſt, eumque invocant, ut animalibus illis ſub ſuo præſidio præſtet ſanitatis auxilium. Dignus hoc munere ſanctus! Quare porci STO. ANTONIO conſecrati, inviolabiles & ſagaciores aliis porcis. Item porcos St. Antonii campanella ſignatos, in domus priores nunquam revertentes (k) aut reverſuros, pro ut faciunt alii porci, qui fuerunt ipſorum conſodales, quæ nugæ & Dæmonum præſtigiæ leguntur in FELICIS MALLEOLI *tractatu de Exorcismo*, T. II. *Malleorum quorundam*

de Natura & præſagio Dioſcurorum nautis in tempeſtate apparentium, adjecta CAM. SYLVESTRI *Interpretationi Anaglyphi Græci*, *Romæ*, 1720. 8.

(k) Apud veteres magos nefandus ille mos etiam in uſu erat, quo efficiebant, ut porci, quem vellent, ſequerentur; Medicinam ad hunc dolum adhibitam PLINIUS *Hiſt. Nat.* L. XXIX, 4. indicat: *Tradunt magi, Jocinere muris dato porcis in fico, ſequi dantem id animal.*

dam Maleficarum p. 387. *Francof.* 1582. 8. (1) Ita fratres & sodales st. ANTONII facillime & sine nummis comparare sibi possunt vicinorum sues, campanella illius signatos, ne *Antoniani* hi importuna sua mendicitate hominibus molestissimi esse cogantur, & larga manu non dantibus extemplo ignem St. Antonii minari. Hunc in finem superstitiosuli singulis annis *porcellum*, qui vulgo eis in picturis appingitur, *bene saginatum* illis dant, ut hoc pacto gratiam eorum & preces ad Deum promereantur. Vid. JOH. WOLFIUS *Lection. Memorab.* Tom. II. p. 946. *edit. poster.* Sic in JEREM. SIMONIS *Eilenburgischen Chronick* p. 215. asseritur, *denen Antonius München hat ein jeder Hauswirth jährlich ein fettes Schwein, und eine Kanne voll Bier geben müssen.* Simile quid refert I. H. HÆVECKER *in Chronica und Beschreib. der Stædte Calbe &c.* p. 114. de pago *Brumby* in ducatu Magdeburgico, quod ibi ante bellum tricen-

(1) Ideo etiam insigne horum fratrum *porcus* est. Nec negligendi sunt rhytmi germanici ex J. A. LONICERO *apud Doctiss. Kappium diss. citanda* p. 25.

Ein blaues Creutz und magers Schwein
Soll stetig um und bey ihn seyn.

cennale LIV. incolæ fuerint, *welche im Pabsthum schuldig gewesen seyn, dem heiligen Antonio ein Schwein zu halten, und zu ernehren, welches denen Tempelherren zuständig gewesen. &c.* Plura alia lectu dignissima de Antonianis his eorumque sodalibus porcis docte congesit J. E. KAPPIUS *in diss. de Antonianis seu fratribus S. Antonii. Lips.* 1737.

§. 4.

Priusquam rei huic finem imponamus addere lubet, Veteres credidisse, & etiam superstitioni nimium deditos recentiores, tam *Dæmones* (m) in quamcunque voluerint formam, sese transformare posse, quam homines ab iis mutari, & etiam *porcorum* spe-

(m) JAMBLICHUS eum in finem affirmat apparitiones sive phasmata Deorum simplicia esse, sed Dæmonum varia. *de Myster.* L. II. *c.* 3. *p.* 41. De varia apparitione Dæmonum legendi BARTHOL. *de* SPINA *In Quæst. de Strigibus cap.* VI. *p.* 488. & spirituum, HEIDEGGERI *Dissertt. Sel.* T. 2. p. 97. CAMERARII *Horæ subcess. cent.* II. c. XV. p. 58. J. J. BOISSARDUS *de divinatione & Magicis præstigiis*, cap. X. M. DELRIO *Disquis. Magic.* L. II. *quæst.* 26. p. 225. *sq.*

ſpecie (n) apparere, ut luculentum hac de re teſtimonium affert MICHAEL PSELLUS *de Operatt. Dæmonum.* p. 115. Ποτε μεν ὡς ἀνηρ ἐμφανιζεται, ποτε δε προς γυναικα μεταβαλλει μορφην, ὡς λεων τεθυμωται, καὶ ὡς παρδαλις ἁλλεται, καὶ ὡσπερ ΣΥΣ ἀγριος ἐφορμα, καν αὐτω ποτε δοξη, προς ἀσκα μεταπιπτει σχημα. Ex quo fit, ut Dæmon *nunc quidem viri ſpecie appareat*, (o) *nunc in mulieris formam transmutetur, quin ut leo animetur, ut pardalis inſiliat, ut aper irruat, & ſi quando ei placuerit, in utris figuram convertatur; &c.* Ita etiam *Diabolus in figura Porci per populum exiviſſe*, cum Eccleſia Arianorum catholice conſecraretur, in loco ſuburæ prope Romam, introductis in eam ſancti Sebaſtiani & S. Agathæ reliquiis, dicitur apud

(n) *Urſorum* ſpecie & *aſinorum* dæmones olim aliquando apparuiſſe dicuntur: *vid.*. J. CROJI *ſpecimen Conjecturarum & Obſervatt. in quædam loca Origenis, Irenæi &c.* p. 15.21. 1632. 8. absque loco.

(o) NIC. HENELIUS *in Otio Wratisl.* p. 506. refert: "Alexandro VI. Papa ægrotante miniſtrum ad conſulendum librum magicum „ miſſum, qui Satanam invenit habitu Pontificio indutum, ſellæ Pontificiæ inſidentem, dicentemque, *Ego ſum Papa.*" Itane Cacodæmon mentiris filii lucis & Chriſti in terris unici Vicarii imaginem! Dic mihi cum tenebris quæ ſit communio luci?

apud MARIANUM SCOTUM *in Chronico* T. I. *Scriptorum Rer. German.* J. PISTORII, & B. G. STRUVII p. 621. Quid quod dæmones pravi non tantum varias animalium figuras induunt, ſed etiam in comitatu & ſatellitio ſuo ſecum habere dicuntur *feras noxias, & ſanguivoras, & truculentas* θηρια βλαβερα, και αιμοβορα και αγρια. JAMBLICHUS *de Myſter.* L. II. c. 7. p. 48. Mogolis ſubditi, ſive Aſiæ cis Gangem incolæ in eodem fere erroris hærent luto, qui, quamvis unum tantum agnoſcant Deum, miras tamen de eo fovent fabulas: Eum videlicet in mundo diverſas induiſſe figuras, ut *Piſcis*, *teſtudinis*, *porci*, &c. teſte A. ROGERIO in libro belgico, *Opene Deure tot het Heydendom*, L. II. c. 3. p. 119. qui ſingulari cum ſtudio illud ex Brachmanorum Theologia recenſuit, de quo nos alibi pluribus acturi. Ita etiam arte Magica (p) homines mutari in varia animalia dicuntur, ut BERNH. STEPHONIUS apud J. B. GANDUTIUM *in Deſcript. Poeticis p.* 606.

(p) Quo modo maleficæ & Dæmones homines in beſtiarum formas transforment, exponit JAC. SPRENGER *in Malleo Malefic.* T. I. p. 296. *ſq.* SCHOTTUS *in Phyſ. Cur.* L. I. c. 26.

— — *E sepulchretis domum*
Remeare functa corpora, & vulgo cavis
Volitare formis, frontis humanæ modo
Animas ferarum terga sævarum truces
Induere setis horrida, & solis vagas
Errare campis.

Quomodo Ulyssis socii in sues pharmaco Circes conversi enarrat HOMERUS L.X. *Odyss.* v. 239. *sq.*. Incolæ urbis Arabiæ *Ailah*, natione Judæi, ob profanationem sabbathi in porcos & simias mutati dicuntur. LA ROQUE *Beschreib. der Reise nach Palæstina &c.* p. 252. (*Lipsi.* 1740. 8.) Ita *Proteus* in varias animalium (q) species mutatus, *apri* etiam figuram repræsentasse legitur apud HERACLIDEM PONTICUM *in Alle-*

(q) Homines etiam in *lupos* verti & rursum sibi restitui rebantur, quam Metamorphosin nuncupabant Λυκανθρωπιαν. Lycanthropiam, de qua Veterum plurima & recentiorum loca collecta sunt apud Celeb. quondam Viadrinæ theologum & Historicum J. C. BECMANUM *in diss.* quæ *Miscellanea Historica* inscribitur p. 1. *sq.* Francof. 1662. SCHOTTUM *in Physica curiosa* L. I, 26. §. 5. PRÆTORIUM *in Weltbeschreibung &c.* p. 317. WIERUM *de præstigiis Dæmonum* L. V. 10. p. 647. ANT. THYSIUM *Exercitt. Miscell. cap.* XVI. *in* CRENII *Fasciculo* IV. *Opuscul.* p. 506.

Allegoriis Homeri, p. 490. Δια τυτο μια τε πριν ων φυσις ὁ Πρωτευς, εις πολλας ἐμεριζετο μορφας ὑπο της προνοιας διαπλαττομενος.

Ητοι μεν πρωτιστα λεων γενετ' ἠυγενειος,
Αυταρ ἐπειτα δρακων, και παρδαλις ἠδε μεγας
ΣΤΟ.

Quo circa PROTEUS, *qui una prius natura fuerat, in multas deinde ſpecies a providentia formatus dividitur.*

Principio eſt viſus ſpeciem ſubiiſſe leonis,
Mox aper, inde draco fieri, fera pardalis inde.

Latinorum poëtarum Principes itidem Proteum in omnia rerum miracula ſe transformantem prædicant. HORAT. L. II. *Satyr.* 3. 71.

Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus,
Cum rapies in jus malis ridentem alienis,
Fiet APER, *modo avis, modo ſaxum, &, cum volet arbor.*

OVIDIUS L. VIII. *Metam.* v. 730.

Sunt, quibus in plures jus eſt tranſire figuras:

Ut tibi, complexi terram maris incola,
PROTEU.
Nam modo te juvenem, modo te videre leonem,
Nunc VIOLENTUS APER; *nunc, quem tetigisse timerent,*
Anguis eras: modo te faciebant cornua taurum.

§. 5.

Neque minus homines post hanc vitam secundum malas passiones suas puniri, illorumque animas in varia illorum animalium, aut volatilium corpora transire, quæ simili affectu vel inclinatione gaudent, gentes revelationis divinæ non participes credebant. Unde Rhadamanthus Iudex infernalis homines luxui & gulæ deditos in *sues* transformare dicitur apud CLAUDIANUM L. II. *in Ruffin.* v. 487.

At qui desidia semper vinoque gravatus
Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu
Hunc SUIS IMMUNDÆ *pingues detrudit in artus.*

TIMÆUS LOCRUS in fine libelli *de Anima mundi* fusius hac de re ita sermocinatur, & concinna quadam imagine integrum fe-

re

re ſuppliciorum ſyſtema exhibet, quæ homines poſt hanc vitam ſubire oportet. p. 566. Λεγοιντο δ' ἀναγκαιως και τιμωριαι ξεναι, ὡς μετενδυομεναν ταν Ψυχαν, των μεν δειλων ἐς γυναικεα σκανεα, ποθ' ὑβριν ἐκδιδομενα. Των δε μιαιφονων, ἐς θηριων σωματα, ποτι κολασιν. Λαγνων δ' ἐς Συων ἠ καπρων μορφας. Κυφων δε και μετεωρων, ἐς πτηνων ἀεροπορων. ἀργων δε και ἀπρακτων ἀμαθων τε και ἀνοητων, ἐς των των ενυδρων ιδεαν. *Hac igitur de cauſa hoc concedatur, quod neceſſario commemorentur peregrina ſupplicia, quaſi animæ commigrent ultro citroque in varia corpora: Ignavorum quidem in corpora muliebria, corporibus tributis ad ignominiam: Homicidarum in ferarum corpora, ad pœnam & ſupplicium:* LIBIDINOSORUM, IN SUUM VEL APRORUM FORMAS. *Levium & temerariorum hominum in ſpecies volantium animantium, quæ in aëre ſolent verſari: ſegnium denique otioſorum, imperitorum, ſtolidorum, in aquatilium ſpeciem.* Ab ethnicis ad TURCAS hæc hæreſis etiam tranſiit, ut colligitur ex ALCORANO *Sur.* V. §. 69. p. 107. edit. Reineccii: *An enarrabo vobis aliquid pejus hoc circa retributionem pœnæ apud Deum? Ille, cui maledixit Deus, & itatus eſt contra eum, & fecit ex iis ſimias &* PORCOS, *& coluerunt Tagut* (id eſt Satanam) Quod confirmat RICAUTIUS, qui ex A. BOBOVIO

Chriſtiano Turca refert, "qu'il y à des „Turcs, qui crojent que les ames des hom„mes, qui meurent, entrent dans les corps „des betes, dont le temperament aproche „le plus de celui du corps qu'elles viennent „de quitter," &c. *Etat preſent de l'Empire Ottoman* p. 406. conf. BAYLII *Diction, voce Hali-Beigh*, T. II. p. 685. Et CHINENSES, cujus rei notabile exemplum extat apud BOLLANDUM *in Vitis Sanctorum, Menſis Januar.* T. I. *ad 15. Jan.* c. 4. *Odericum in Monaſterium Camſanæ urbis in regno Chinenſi a monacho invitatum, & in viridarium deductum, mox ad ſonitum campanulæ vidiſſe ex adſito monte prodeuntem ingentem diverſorum animalium catervam, reſpondiſſeque quærenti Odorico monachum, hæc animalia omnia ad paſtum congregari, moxque prandio brutali finito ad campanulæ ſonitum interiora montis repetitura eſſe: non autem aliud eſſe, quam* NOBILIUM VIRORUM ANIMAS, *easque ſe amore Dei hic paſcere.*

TANTUM.

V.

V.

THOMÆ VIEROOT,

V. D. M. WORMERIENSIS

DISQUISITIO IN LOCUM,

UBI

GEHASI DONA DOLO MALO à NAAMANE ACCEPTA REPOSUIT

AD 2. REG. V, 24.

§. 1.

Infideliſſimus ille Eliſæi ſervus Gehaſi, voti ſui compos factus, atque ſat magno theſauro per fraudem ab Imperatore Syrorum, Naamane accepto ditatus, jam ab itinere redux non auſus fuit ſeſe cum hacce præda coram Hero ſuo ſiſtere. E re ſua duxit argentum & veſtes mutatorias in loco quodam ſecuro reponere, quem locum delineaturus SPIRITUS SANCTI Amanuenſis hiſce utitur verbis ויבא אל העפל.

§. 2.

Verba hæc ὁι LXX. ita reddunt και ηλθεν εις το σκοτεινον, quos ſecutus Vulgatus habet,

cumque veniſſet jam veſperi. In verſione JUNII & TREMELLII legitur: *Sed cum pervenit ad clivum.*

DEODATUS hoc modo tranſtulit, *quando egli fugiunto alla Rocca.*

GALLICA VERSIO *Et quand il fut venu en quelque lieu ſecret*, ſed in margine notat, *ou au guicher de la porte.*

LUTHERUS, und da er kam gen Ophel.

BELGÆ, Als hy nu op de Hoogte kwam.

§. 3.

Cuique textum inſpicienti Hebræum facile liquet Scriptorem Sacrum hic non adeo notare tempus quo, quam quidem locum, ad quem venit Gehaſi, atque hunc ab eo dici *Ophel*, Hebr. עפל, quod non attendentes Græci LXX, vel neſcientes, quem locum hic per illud *Ophel* intelligi poſſe, ſignificationem του אפל, quod *Caliginem* denotat, arripuere, atque illud tanquam tempus veſpertinum, caliginoſum definiens intellexerunt; quos ſecutæ ſunt verſiones Vulgata & Gallica, quæ tamen poſterior ſibi non ſatis conſtat, dum in margine habet *ou au guichet de la porte*, quo ipſo oſtendit ei veroſimile eſſe hic intendi locum.

§. 4.

§. 4.

In hocce uno fere omnes, quos mihi per curtam meam ſupellectilem inſpicere licitum fuit, Interpretes conſentiunt, locum hunc fuiſſe *clivum aliquem*, ſive *locum editum*: Sed qualis in ſpecie fuerit clivus, & ubi ſitus, de eo maximum apud eos offendi ſententiarum divortium.

JUNIUS & TREMELLIUS exiſtimant fuiſſe clivum, ſive collem præputiorum in *Gilgal* juxta Joſ. V, 3. coll. v. 9. & in vicinio Hierichuntis Orientem verſus c. IV, 19. prope Jordanem 2. Sam. XIX, 15. hac ducti ratione, quod Eliſa Gilgale habitaſſet juxta 2. Reg. IV, 38.

FR. BVRMANNVS, *Avus*, in opere belgico dicit, fuiſſe vel *prope Gilgal*, vel *prope Samariam*, ſed ita ut potius inclinet in eorum ſententiam, qui locum hunc collocant *prope Samariam*.

DIODATI opinatur rupem hanc eſſe *arcem* vel *munimentum*, ſitum in regione viæ vel illius loci, ubi commorabatur Eliza.

PETRUS MARTYR intelligit locum *eminentem*, ſed de ejus ſitu nihil addit, quem ſecuti ſunt quamplurimi inter recentiores.

§. 5.

§. 5.

Forſan quis putabit non tanti intereſſe, num ſciamus accurate hujus loci qualitatem ſitumque, atque adeo nos a moleſta abſtinere poſſe disquiſitione. Lubens concedo absque ſalutis detrimento nos hacce poſſe carere ſcientia: nemo tamen ſanus & hoc inficias iverit, ſi tantum ea, quæ ad ſalutem ſunt ſcitu neceſſaria, prætereaque nihil indagatione dignum cenſendum, plerosque jam dudum magni nominis atque eruditione præclariſſimos viros oleum atque operam perdidiſſe. Quid! nonne omnia, quæ in Sacra leguntur pagina noſtra inquiſitione digniſſima cenſenda, quæ ſapientiſſimus S. S. Auctor, Spiritus Sanctus procul dubio non ſine graviſſima ratione ſcribi curavit & juſſit?

§. 6.

Sed ad rem: Loci nomen, uti jam dictum, eſt juxta textum Hebr. עפל *Ophel*, & quidem cum ה *hajedich*, ut loqui amant Hebræorum filii.

Vox hæc Ophel præter hic loci etiam occurrit 2. Chron. XXVII, 3. XXXIII, 14. Neh. III, 26. 27. XI, 21. Jeſ. XXXII, 14. Mich. IV, 8. atque omnibus hiſce locis ut no-

nomen proprium loci cujusdam in urbe Jeruſalem, ubi commorati ſunt Nethinim, venit. Aſt etiam circa illud Ophel Doctorum omnium conſenſum fruſtra quæres Lector. Nam LIGTFOOTUS, Anglus Doctiſſimus, illud quidem pro monte habet in *deſcript. Templi Hieroſol. Opp.* T. I. p. 557. ſed juxta RELANDUM in *Palæſtina* p. 855. absque ſolido fundamento, qui in generalioribus hæret, vultque fuiſſe locum ad Auſtrum Templi, qua in re DRUSIUM habet conſentientem, quippe qui ad Mich. IV, 8. dicit eſſe locum in urbe Jeruſalem. *Cel.* c. VITRINGA in Comment. ad Jeſ. XXXII, 14. per Ophel intelligi vult clivum Orientalem montis Sionis proprio muro circundatum & a Sione ſeparatum ad meridiem Templi excurrentem ad murum usque Orientalem; neque ab hoc diſſentit M. COCCEJUS, uti videre eſt in ejus *Lexico* voce עפל & *Comment. ad Pſ. XLVIII, 3.*

§ 7.

Nos quod attinet, in ea ſumus hæreſi, æque hic *Ophel nomen proprium* eſſe *loci*, ac in omnibus iam ſupra citatis S. S. locis. Qualis vero, & ubi locus hic Ophel ſitus fuerit ex circumſtantiis erui debet, quare operæ pretium erit haſce accuratius inveſtigare. Circumſtantias ruminanti apparebit, has exigere

1. Locum hunc fuiſſe non procul a domicilio Eliſæ, inde enim Gehaſi directe ivit ad ſeſe coram Domino ſuo ſiſtendum 2. Reg. V, 25.

2. Talem fuiſſe in quo Domus juxta vſ. 24.

3. Fuiſſe locum nomine Ophel notum, ſaltem cui nomen illud competebat, quia cum ה demonſtrativo dicitur *illud Ophel* ibid.

§. 8.

Horum requiſitorum primum atque tertium evertit ſententiam eorum, qui putant fuiſſe clivum præputiorum in Gilgal in vicinia Hierichuntis ad Jordanem verſus Orientem. Quamvis enim Eliza juxta cap. IV. duplex fecerit miraculum in Gilgal, minime tamen ſequitur, eum ibi fixum habuiſſe domicilium, vel tempore adventus Naamanis ibidem fuiſſe commoratum, quemadmodum hujus ſententiæ patroni volunt. Contra ex deſcriptione puellæ Israeliticæ, quam heræ ſuæ dedit de Propheta, quem aſſeveravit ſanaturum Naamanem a lepra, ſi ſe coram eo ſiſteret, liquet Eliſam, ſi non aliorſum muneris cauſa vocaretur, fixum in urbe Samaria habuiſſe domicilium V. Cap. v. 3. Quin & hoc tempore jam heic fuiſſe Prophetam ex toto con-

contextu facili negotio erui poteſt. Qui enim tam cito ſcire potuiſſet Regis, ob Syriaci per litteras petitionem de ſanando ſervo ſuo conturbationem, niſi ponamus prope aulam Regis ejus habitaculum. Quod ſi ſit, cum etiam hoc tempore Samariæ habitaſſe nemo eſt, qui pernegare auſus fuerit, quia ex hiſtoria S. conſtat, a tempore Omri (qui montem a Semer emit, atque ei inædificatæ urbi nomen Samariæ dedit, ibique locum reſidentiæ, venia ſit verbo, fixit) omnes Iſraelis Reges in Samaria aulam habuiſſe.

§. 9.

Hisce addo, hunc clivum in Gilgal nusquam in S. S. nomine Ophel venire, tantamque clivum illum inter & locum nomine Ophel ſemper & ubique inſignitum convenientiam dari non poſſe, cujus cauſa hic hoc nomine nuncuparetur.

§. 10.

Idem illud Ophel quod in citatis ſupra locis venit, hic minime intendi quisque facile dabit, qui animadvertit Ophel illud ſitum fuiſſe in urbe Jeruſalem atque adeo procul a domicilio Eliſæ, quod in Samaria fuiſſe jam evicimus.

§. 11.

§. 11.

Quid itaque? me Judice Ophel hoc in urbe Samaria quærendum eſt. Non me latet nullibi ſive ſacram hiſtoriam ſive rerum Hebr. ſcriptores talis loci Ophel dicti mentionem injicere. Verum enim vero quamvis hoc quidem impediat apodictice loci ſitum & qualitatem demonſtrare, illud tamen ipſum nomen huic loco inditum fundamentum præbet vero ſimillimæ conjecturæ, quam jam Lectori benevolo communicare non erubeſcimus.

§. 12.

In ea ſc. ſum opinione tria illa requiſita ſupra §. 9. ex circumſtantiis textus elicita exigere, ut Ophel hoc in ipſa urbe Samaria collocemus, & quia hanc ob rem ipſum illud Ophel, quod in omnibus aliis locis, hic intendi nequit, talem locum intelligamus, qui cum illo Hieroſolymarum fano usque adeo convenit, ut recte hic nomine illo appellari queat.

§. 13.

Ut itaque hujus loci qualitatem ſitumque cognoſcamus, agedum, examinemus Ophelis illius Hieroſol. qualitates. Scilicet de Ophele Hieroſol. legimus habitaſſe ibidem Ne-

Nethinim Neh. III, 26. Erant hi propagines Gibeonitarum illorum, quos Josua ad vilissimum Sanctuarii ministerium condemnavit, ut ligna cæderent aquasque haurirent Jos. IX, 23. hocce nomine præcipue noti, postquam David atque Principes eos dedere ad ministrandum Levitis Ezr. VIII, 20. atque hinc constaret Ophel illud haud procul a Templo collocandum esse.

§. 14.

Nomen עפל si peritissimis in linguis Orientalibus viris credere fas est, derivandum a verbo, quod *spernere*, *fastidire* significat, [*) forsan locus hic sortitus fuit pro

(*) Verbi hujus notionem nuperrime diligenter admodum erutam dedit Cl. SCHROEDERUS, Philologus Goninganus Doctissimus, in *Observat. Selectis ad Origines Hebræas c. IV.* docens primariam potestatem hujus verbi esse positam in notione *tumendi*, hinc עפל *tumor*, *locus tumens* pro *tumulo* vel *colle*. Verisimile itaque non est hunc clivum a contemtu vilissimorum ejus habitatorum nomen accepisse. Cetera, quæ Pl. Rev. Auctor, variis eruditis scriptis vernacula sua editis celebris, de *Ophel Samariæ* habet, placent, præsertim, quod Ophel hoc cum *illo Hierosolymarum* comparaverit, quia maxime probabile, Samariam per æmula-

propter contemtum habitatorum vilissimæ conditionis, quibus binis decretis conjugium cum genuinis Israelitis interdictum fuit, quorum alterum, licet temporarium ab ipso Josua conditum fuit, alterum deinde a Davide restauratum semper observari debebat ob illam Gibeonitarum crudelitatem, quæ haud alia ratione quam suspendio septem filiorum Sauli placari poterat, notante NICOLAI ad SIGONIUM *de republ. Hebr.* L. V. c. VII. p. m. 499.

§. 15.

His perpensis subnata mihi est conjectura, locum hunc ubi Gehasi venit, atque thesauros reposuit, habitatum fuisse a vilissimis sanctuarii Baalis in Samaria ab Achabo exstructi ministris, non procul ab Idoli illius templo dissitum, & a contemtu quoque vilissimorum ejus habitatorum Ophel dictum.

§. 16.

Obstare huic conjecturæ mihi quidem videbantur loca 2. Chron. XXVII, 3. & XXXIII, 14. ubi de duobus Regibus Jothamo & Manasse in eorum laudem narratur, eos

mulatiunem a Regibus Israelil ad formam urbis Hierosolymæ exstru&um fuisse. N. B.

eos Ophelis murum probe reſtauraſſe & quam maxime extuliſſe, ex quo poſſit inferri, Principes hos locum hunc Ophel non contemtu, ſed curæ ſuæ digniſſimum habuiſſe. Verum enim vero habeo, quod huic difficultati reſpondeam. Scilicet, ex ſitu Ophelis hujus prope Templum cum appareat illum fuiſſe ad montem Sion, cujus partem Templum occupavit æque ac arx regia, munimentum illud a Davide Jebuſitis ereptum, atque hinc urbs Davidis dictum, haud a veroſimili nobis abludere videtur, Reges illos e re ſua duxiſſe murum Ophelis hunc in finem reſtaurare & ut propugnaculum erigere, ut mons Sion ab omni parte contra primum hoſtium impetum tanto magis ſecurus eſſet: addo, licet hoc modo temporibus ſequentibus elatum & munitum fuerit Ophel, hoc tamen haud impedire, quo minus ob contemtum viliſſimæ conditionis incolarum nomen Ophel a contemtu ſit ſortitum.

§. 17.

Eodem modo de loco, ad quem venit Gehaſi, dicere poſſumus, illum, quamvis a viliſſimis habitatum hominibus, tamen quia proximus fuit ſanctuario Baalis dilectiſſimi illius idoli, regiæque aulæ, etiam a Regibus Iſraelitarum in ſui ſecuritatem mu-

nitum fuisse; quorsum forsan respexit Deodatus, vocans Ophel, Arcem vel Munimentum.

§. 18.

Et revera talis locus videtur commodus, ut eo se contulerit Gehasi ad ibi in domo aliqua fidelissimi amici vel consanguinei thesaurum reponendum, sibi persuasus illum ibi securum neque facili negotio ab hero suo detegendum esse.

§. 19.

Admissa hac nostra per conjecturam hypothesi, denique Scriptor Sacer non immerito locum, quem sibi Gehasi elegit thesauri male parti conditorium, nomine Ophel descripsit. Docuit nimirum eo ipso, huncce a ministro veri Dei Apostatam, jam Mammonis per avaritiam ministrum factum, sese in omnibus gessisse tanquam Satanæ mancipium; quippe qui castris Veri Dei relictis ad Baalis ministros transivit, hisque potius se quam fidelibus Dei servis credidit.

§. 20.

Neque hoc mirum cuique videri debet: Etenim si ad domum unius ex Prophetarum filiis hunc detulisset thesaurum ibique ser-

ſervandum dediſſet hic absque dubio talem injuſtitiæ Mammona abominatus fuiſſet, Eliſam de ſervi ſui infidelitate atque impietate monuiſſet, atque ita ſcelus illud facili negotio per viam ordinariam detectum fuiſſet. Hoc ab iis, qui cum Propheta Viro illo Dei extraordinario nihil commune habebant, haud erat timendum, quippe, qui materiam gaudii in hac ipſius Prophetæ ſervi infidelitate inveniebant, quæ ipſis videbatur factura ad minuendam Prophetarum Dei exiſtimationem.

§. 21.

Elucet autem in hac re provida Dei gubernatio, quæ negotium hoc ita direxit, ne quid detrimenti caperet miniſterii ſui dignitas, creſcretque potius per extraordinariam Divinamque ſceleris commiſſi detectionem. Interim & Gehaſi exemplo ſuo docuit, filios hujus ſeculi prudentiores eſſe filiis lucis in generatione ſua.

TANTUM.

VI.

EJUSDEM DISSERTATIO THEOLOGICA DE VANITATE CONAMINIS GEHASII AD FALLENDUM MENDACIO PROPHETAM IN 2. REG. V, 26.

§. I.

Repoſito in Ophel theſauro, illico Gehaſius, ne mali quid ſuſpicaretur Herus, ſe ſe ad eum contulit, cui percontanti undenam veniret, præfricta reſpondit fronte, *ſervus tuus neque huc, neque illuc fuit*, atque ita Elizæum perſuadere conatus eſt, occupationibus ſe quotidianis affixum manſiſſe. Sed mendacium eſſe refugium vanitatis, atque in hocce negotio ſuum ipſum fefelliſſe magiſtrum, rerum eventus docuit; etenim Propheta non ita facile ſe mendacio deludi poſſe declarat dicen-

dicendo, *Nonne cor meum tecum ibat, quando vir ille &c.*

Non eſt mihi animus in totum hoc comma prolixum perhibere commentarium, verbis tantum prioris periodi revera δυσνοητοις lumen aliquod adferre conabor. Ea in textu Heb. ita ſe habent לא לבי הלך כאשר וגו atque

a LXX. Græcis hoc modo vertuntur.

ουχι ηκαρδια μου επορευθη μετα σου.

Verſio *latina* (VULGATA) ita habet:

Nonne cor meum in præſenti erat. atque ita potius ſenſum quam verſionem verborum exhibet.

JUNII & TREMELLII; *Non abierat animus meus.*

Italica DIODATI, *Il cuor mio non era egli andato la.*

Germanica LUTHERI: *Wandelt nicht mein Herts.*

Gallica, Mon coeur n'eſtoit il pas alle la?

Belgica, ging niet myn Hart mede.

§. 3.

In hiſce verſionibus omnibus ſupponi

videmus, verba textus Heb. non tantum in genere ellipticam continere orationem, ſed & in ſpecie, in iis eſſe ellipſin particulæ, litteræ, aut notæ interrogationis, dum hic, ubi nulla particula, littera, aut nota interrogationis occurrit, ea per modum interrogationis legunt.

§. 4.

Quamvis jam dudum in ea fuerim ſententia, non facili negotio in S. S. ellipſin verbi &c. invehendam eſſe; (a) atque ambabus amplectar ulnis, non temere in Sacro codice Hebræo interrogationes eſſe admittendas, ubi nulla exſtat interrogandi nota, nec indicium: non tamen temeritatis notam inurere auſim tantis de re litteraria ac Theologica bene meritis viris, qui hic, uti & alibi, particulæ, litteræ, aut notæ interrogationis ellipſin admiſerunt; cum perſuaſum mihi habeam, præſtantiſſimos illos viros omnes, qui hæcce verba elliptice, uti &, qui per modum interrogationis acceperunt, illud feciſſe, quia ſecus bonum, ſcopoque dicentis Prophetæ ſatis facien-

(a) Hoc & in Diſſertatione belgico idiomate conſcripta ad Pſ. XXII, 30. obſervavi vid. *Bundel van Godgeleerde Oeffeningen 2. Deel p.* 523.

facientem in iis ſenſum non deprehenderunt.

§. 5.

Pace tamen tantorum virorum palam profiteor, me nullam hic videre neceſſitatem cogentem ad ellipticam confugere orationem, aut verba per modum interrogationis vertere; contra in ea ſum opinione, verba uti jacent in textu Heb. absque ellipſi, & poſitive eſſe vertenda, hoc modo, *non ivit*, aut, *ambulavit cor meum*, utpote, quæ ita absque ellipſi, & poſitive ſumpta, perſpicuum ſatis, ſcopoque Prophetæ non minus convenientem fundant ſenſum, quam qui ex ſententia eorum, qui hic ellipſin ſtatuunt, & interrogationem invehunt, eruitur. Quod ſi evicerim, facile aſſenſum mihi dabit doctorum chorus. Scopum itaque Prophetæ definire, atque ad illum hujus dicti ſenſum, tam juxta aliorum, quam juxta meam examinare explicationem, jam noſtrum erit opus atque labor.

§. 6.

Scopus Prophetæ in tota hujus 26. commatis pericopa non difficile eſt detectu: Scilicet in eo eſt Elizæus, ut ab una parte infideli ſuo ſervo detegat conaminis ſui ad

scelus mendacio tegendum vanitatem, ab altera parte ei perpetrati sceleris indecentiam &c. ob oculos ponat, atque ita viam sternat ad justam ipsi pœnam denuntiandum.

§. 7.

Priorem hujus scopi partem hisce absolvi verbis, *Non ambulavit cor meum, cum vir ille &c.* plerique adfirmare non dubitabunt interpretes: hinc, sive verba, *non ambulavit cor meum,* positive accipiant, & ita vertant, *non abivit cor meum a te,* id est præsens fuit; sive per modum interrogationis legant, & vertant, *nonne ambulavit,* vel *ivit cor meum tecum*, id est, revera cor meum tecum ivit, unanimi consensu hanc nobis eorum dant explicationem: "dicere „vult Propheta, tam clare scio, quid in „hocce contigerit occursu, acsi corpore „præsens adfuissem.

§. 8.

In unum tantum mihi incidere contigit SEB. SCHMIDIUM, qui, quamvis non plane videatur ab hac abhorrere sententia, tamen verbis hisce alium eligit dare sensum, atque ita eorum scopum ab hoc nostro diversum ponere: hæc enim sunt Viri docti verba in suo ad h. l. commentario. "Posset „quidem de revelatione & scientia tam cla-

„ra,

„ra, quasi præsens fuisset & simul ambu-
„lasset Propheta cum Gehasio ut Chald.
„& Kimchius, malim tamen subaudire
„מאתי vel ממני q. d. nonne cor meum
„ambulavit a me, h. e. nonne præ dolore
„vita & mens, cujus sedes cor, a me fere
„discesserunt, & me deseruerunt, cum in
„Spiritu Dominus mihi revelaret, quod
„Naaman tibi obviam iret? Ut hac ratio-
„ne non tantum mendacii Gehazium Eli-
„za convincat, sed & indignationem suam
„exponat, ostendatque, rem quidem le-
„vem visam Gehazio, sed sibi nimis in-
„dignam atque gravem, quæ propterea in-
„signem mereatur pœnam. Certe & R.
„Levi observavit subaudiendum esse ממני.
„quanquam longe alium sensum fecit. Est
„autem oratio interrogativa לא pro הלא
„ut recte David Kimchi, licet R. Levi pro
„simplici negativo accipiat. Estque interro-
„gatio pro assertione, unde Chald. in Spi-
„ritu Prophetiæ indicatum est mihi.„

§. 9.

Ad hanc *Seb. Schmidii* paraphrasin notare possem, nimia parrhesia Virum doctissimum adfirmare, hic esse duplicem ellipsin, non tantum notæ interrogationis ה sed & vocis, & quidem definite ממני τοῦ

pau-

paucis tamen tantum jam dicam, me nullum videre, undenam huic phraſi, *non abiit cor meum*, hunc adplicuerit ſenſum, niſi forte putaverit, hanc phraſin eſſe oppoſitam illi, qua dicitur *anima rediiſſe* intra eum, qui ex morte ad vitam ab Elia fuit reſtitutus, viduæ puerum. 1. Reg. XVII, 21. 22. At hoc validiſſimis probari nequit rationibus: quin & hiſce verbis indignationem ſuam ob turpe factum Gehaſii declarare velle Prophetam, non facile cuiquam probabitur, cum in poſteriori id ab Elizæo fieri hemiſtichio in aperto ſit.

§. 10.

Priorum explicationem quod attinet, lubens ei adſtipularer, ſi modo perſuaſum mihi haberem verba לא לבי הלך ita eſſe vertenda, *non abiit cor meum a te.* Vel per modum interrogationis, *nonne cor meum tecum ivit.* atque iſtud, animus meus tecum fuit, dicere: probe novi quid factum ſit. Sed hic mihi hæret aqua; nondum enim hactenus mihi probatum dederunt eruditiſſimi hujus ſententiæ defenſores, illud לא לבי הלך eſſe ellipticam locutionem dicentem, *cor*, ſive, *animus meus tecum ivit.* Multo minus illud, *animus meus tecum ivit*, ſignificare, *probe novi quid*

quid factum sit. Quænam enim hæc est consequentia? quia favor, & cura mea a te non recedit, quamvis corpore absens sim, ideo probe novi, quid me absente apud te fiat.

§. II.

Non me latet, hujus sententiæ patronos ad duo N. T. loca provocare tanquam simile loquendi genus continentia, nimirum ad 1. Cor. V, 3. ubi Apostolus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens.* & ad Colos. II, 5. ubi sic habetur: *nam etsi corpore absens, sed Spiritu vobiscum sim, gaudens & videns ordinem vestrum* &c.

Illustrissimus enim ille HUGO GROTIUS verba Prophetæ nostri interrogative vertens, *nonne cor meum præsens erat?* addit, id est, videbam ita intus in animo. Simile loquendi genus 1. Cor. V, 3. 4. atque ad hunc locum ita scribit: Dicit se absentem corpore, spiritu vero præsentem, id est, animo, ideo quod omnia viderit, quæ ibi gerebantur, ut Elizæus quæ se absente faciebat Giezi 2. Reg. V, 26.

Commentarius *Ambrosio* inscriptus, notante J. CROCIO, ad Colos. II, 5. huc refert, quod virtute Spiritus omnia viderit, quæ

quæ apud Coloſſenſes fierent. "Si, in-
„quit, Spiritus Elizæi Prophetæ vidit frau-
„dem Giezi euntis ad Naaman Syrum &c.
„quanto magis Apoſtolus ea, quæ dixerat,
„poterat in Spiritu videre? major enim fu-
„it gratia in Apoſtolo, quam in Prophetis."
Illum ſequitur ANSHELMUS & LOMBARDUS nec videtur displicere ZANCHIO. (b) Et ſane (ita pergit CROCIUS) non prorſus improbabile, ſi de Spiritu non permanente, ſed tranſeunte accipiatur. Apoſtolos enim ſemper abſentes vidiſſe, quæ paſſim fierent, minime probabile &c. in eadem & eſt ſententia CLEMENS STRESO in h. l.

§. 12.

Verum enim vero, aut me hic plane cæcutire,

(b) *Ad Coloſſ. II, 6.* Ita habet, occurrens tacitæ interrogationi Coloſſenſium, quomodo Paulus, cum tam procul abeſſet, nec unquam ſe viderit, noſſet hujus Eccleſiæ, imo Laodicenſis etiam & aliarum quarundam Eccleſiarum neceſſitates, eoque ad illas tum dare tales literas voluerit, reſpondet: Etſi abſens ſit corpore, Spiritu tamen ſe eſſe cum illis præſentem, qua locutione ſignificare voluit, ſe non tam ex relatione Epaphræ, & aliorum audiviſſe, quam ex intuitu Spiritus Dei, quo erat donatus, tanquam præſentem vidiſſe, quomodo ſe haberet illarum Eccleſiarum ſtatus &c.

cutire, aut rem acu non tetigiſſe viros modo laudatos, extra aleam eſt. (Imo.) Apodictice enim probari nequit hæc hypotheſis parallelia horum trium locorum (Ildo) poſito, ſed non conceſſo, hæcce loca eſſe parallela, non tamen inde ſequitur quod volunt viri eruditiſſimi, ſcilicet, iis in locis dictum, *præſens ſum Spiritu*, ſignificare, omnia video quæ me abſente fiunt. Sed ipſa inſpiciamus loca.

§. 13.

Quod itaque attinet locum. 1. Cor. V, 3. lubens quidem concedo, ex eo liquere Dei miniſtros, quanquam corpore abſentes, tamen Spiritu præſentes eſſe, atque Eccleſiæ curam gerere poſſe: aſt vero ex eo ſequi, hanc Spiritus præſentiam ipſis notitiam rerum tempore abſentiæ corporis contingentium dare, nego atque pernego: cuique enim contextum inſpicienti ex vſ. 1. apparebit, medium, quod Paulo notitiam impurarum dederat ſcortationum atque inceſſus, fuiſſe auditum, ita ut, vel per litteras, vel per narrationem intellexerit, quid inter Corinthios Chriſtianæ religionis confeſſores ageretur.

Quod ad Coloſſ. II, 5. ibi quidem docetur, Apoſtolum corpore abſentem, Spiritu

tu & inclinatione fuiſſe præſentem, atque cum lætitia vidiſſe ordinem, firmitatemque fidei Coloſſenſium: nequaquam tamen ex eo demonſtrari poteſt, eum, per hanc animi præſentiam vidiſſe, id eſt, noſſe ordinem, firmitatemque fidei eorum. Nexus rerum docet, Apoſtolum, quamvis a Coloſſenſibus abſentem, ita fidelibus arcto ligatum fuiſſe vinculo, ut intellectus ordinis firmitatisque fidei eorum nuntius, etiam talium, quos nunquam viderat, oculisve corporis conſpexerat, ei lætitiam adfuderit. Lectu digniſſima ſunt quæ Cl. H. A. ROELLIUS in *commentario ſuo ad h. l.* habet.

Verbis ergo hiſce (ſunt hæc ipſiſſima viri ſagaciſſimi verba) indicat fontem iſtius ſtudii erga Coloſſenſes, Laodicenſes, omnesque eos, qui facem ejus non viderant. Dixerat enim vſ. 4. *hæc dico ne quis* &c. per voculam γὰρ ergo annectit id, quod hic de ſe teſtatur. Eſt ergo acſi dicat: *quia etſi abſens corpore ſpiritu tamen vobiscum ſum, inde eſt quod hæc dico* ad conſolationem veſtram, & ad promovendam & confirmandam perſeverantiam in fide & charitate. *Quod & quomodo abſens fuerit carne*, ſive *corpore* per ſe evidens eſt ex tota epiſtola quam ſcribebat ad abſentes abſens: Sed quid ſibi velit, quod dicat

τῶ

τῶ πνευματι συν ὑμῖν ειμι), in eo disputant interpretes: quidam inde quod dicat, se *videre ipsorum* ταξιν, colligunt, intelligi debere *angelum aliquem nuntium*, per quem ipsi omnia revelentur & innotescant, alii *Spiritum Sanctum*, qui illi ista revelaverit, vel animo contemplanda stiterit. Non negamus, Deum potuisse uti ministerio angelorum ad hæc vel illa revelanda Apostolo Paulo, uti hoc sæpe factum circa alios: neque etiam inficiamur, Prophetis per Spiritum S. res varias, ut præsentes, sive in visione, sive in somniis, contemplandas exhibitas fuisse, illosque ita per Spiritum Propheticum ea cernere potuisse, quæ oculis corporis non videbant; ut tamen, quod res est, dicam, dubito, an hoc modo verba interpretanda sint. Quando σαρξ & πνευμα distinguuntur & sibi opponuntur hoc modo, intelligitur *mens & corpus* ut 2. Cor. VII, 1. confer. 1. Cor. VI, 20. ubi σωμα & πνευμα opponuntur ut & 1. Thess. V, 23. Et utique Apostolus ut de *sua carne* seu corpore, ita *de suo Spiritu*, sive mente, loquitur: neque etiam videtur commode dici posse, *Spiritu vobiscum sum*, si dicere voluisset, *Spiritus S. ea, quæ apud vos geruntur, cernit, & mihi revelat:* etsi hoc etiam factum fuisset, non potuisser tamen fieri,

fieri, niſi Spiritus S. ſpiritum Pauli, ſive mentem ejus quocunque etiam modo, illuſtraſſet, ut, quæ apud ipſos fiebant, coram quaſi intueretur.

Sed utique ſimpliciſſimum eſt, verba illa ita interpretari, uti fert communis loquendi uſus, quo, qui corpore abſunt, cum iis animo eſſe dicuntur, quos amant, de quibus ſolliciti ſunt, quorum curam gerunt, quibus bene volunt. Anima eſt, ut dicitur, ubi amat, non, ubi animat. Neque opus habebat Apoſtolus extraordinaria revelatione ad cognoſcendum ſtatum Coloſſenſium, quem ex aliis audiverat, & ſpeciatim ex Epaphra, uti viſum Cap. I, 4, 7. 8. - -

Quomodo vero cum illis ſit Spiritu, diſtinctius indicat. Scilicet gaudebat de præſenti ipſorum ſtatu, id unum non optabat tantum, ſed & agebat, ut ne ab eo dimoverentur, ſed potius in eo magis magisque confirmarentur Huc usque ROELLIUS.

§. 14.

Alia nobis itaque procedendum erit via ad hujus Prophetæ dicti, *non ivit cor meum*, verum ſenſum detegendum, atque ad ſcopum reducendum, nempe ex conſideratione

ne

ne ſignificationis verbi הלך *ire*, *ambulare*; quando in S. S. cordi hominis adplicatur.

Hocce autem verbum הלך nullibi a ſcriptoribus ſacris de corde hominis adhibetur, præterquam apud Prophetam Ezechielem, qui eo bis utitur de impio & a vero Deo deficiente Iſraelis populo, ſcilicet Cap. XX, 16. ubi hoc *ambulare cordis* opponitur τῳ *ambulare* in Dei inſtitutis, atque ita ſubindicat cordis abſtractionem a vero Deo ejusque cultu, atque totalem inclinationem in idololatriam; & Cap. XXXIII, 31. ubi idem illud *ambulare cordis* opponitur τῳ facere verba Prophetæ; depingit itaque abstractionem cordis a peractione verborum, quæ Propheta in nomine Dei loquebatur, & affixionem animi peccato avaritiæ culpabilis.

Cum itaque tota phraſis, *ambulare cordis*, hiſce locis in malum veniat ſenſum ad indicandum turpem relictionem Dei, ejusque cultus, contemptum verborum ejus, & adhæſionem ad Idololatriam, & avaritiam, atque illa phraſis nullibi alio occurrat ſenſu, nullus dubito, quin & hic in malam ſit accipienda partem, atque ita Elizæus negando *cor ſuum ambulaſſe*, a ſe amovebat omne turpe vitium idololatriæ, atque impiæ avaritiæ, docebitque, ſe ſuo animo

Deo fidelem manſiſſe, etiam eo tempore, quo vir ille de curru ſuo Gehaſio in occurſum verteret.

§. 15.

Haud equidem neſcio, citatis illis ex Ezechiele locis hoc *ambulare cordis* non abſolute adhiberi, ſed cum additamento, *poſt idola*, & *poſt avaritiam*. Hæc autem difficultas nullius eſt momenti: hoc enim iis in locis additur, ad declarandum, quibusnam peccatis ſe ſe, Deum atque ejus cultum deſerentes dederant impii Iſraelitæ; neque demit, *ambulare cordis*, malæ eſſe notæ, cum ea phraſis per ſe animi inconſtantiam deſignet, atque de Propheta adhibita procul dubio declaret, eum in curſu muneris non recta incedere via, motioque cordis (quam verbum *ire*, vel *ambulare*, quod dicit movendo corpus ab uno termino ad alium procedere, ſemper includit) demonſtret, illud Deo minime eſſe affixum. Aut ſi hoc non ſatisfaciat, & ellipſis ſit ponenda, nil mihi ſe magis commendat, quam, ex collatione ſupra citatorum ex Ezechiele locorum, hic eſſe ellipſin τῶ *poſt idola*, aut *poſt avaritiam*, tumque ſenſus dicti idem manebit.

§. 16.

Sed quid jam hocce ad ſcopum Prophetæ?

tæ? quænam hæc eſt conſequentia? *non ivit, ambulavit cor meum*, id eſt, Deo infidelis non fui, vel cum impiis in duas claudicavi partes, Deum atque Baal colendo eo tempore, quo &c. ergo fruſtra, & in vanum mendacio ſcelus tuum mihi occultare, atque me fallere conatus es Gehazi. Hoc jam demonſtrare noſtrum erit, neque difficile eſt factu, ſi modo ad munus, quo fungebatur Elizæus, atque ad viam, quam Deus tenere ſolebat olim cum iis, quos ad magna vocabat officia ſive in Politicis, ſive in Eccleſiaſticis, attendamus.

§. 17.

De munere, quo fungebatur Elizæus, illud fuiſſe Propheticum, nemo eſt, qui dubitat, cum ex ejus hiſtoria liqueat, eum a Deo eſſe vocatum, ut in Prophetico munere Eliæ ſuccederet 1. Reg. XIX, 16. atque poſt Eliæ raptum in cœlum, illico reapſe hocce munus ſubiiſſe juxta 2. Reg. II, 13.

§. 18.

Quod ad viam, quam Deus olim tenere ſolebat iiscum, quos ad altiora vocabat munera: notum eſt.

1. Dominum iis etiam extraordinaria largi-

tum fuiſſe Spiritus Sancti dona, quibus apti fiebant ad illud munus, decenter exſequendum. Videas hoc in ſeptuaginta ſenioribus Iſraelis, quos Deus vocavit, ut cum Moſe onus gubernationis populi ferrent, quibus Deus de Spiritu ſuo impoſuit juxta Num. XL, 16. 17. in Saulo, quem ad Regium vocavit munus 1. Sam. X, 9. 10. in Davide 1. Sam. XVI, 13. in ipſo Elizæo, quem vocavit ad munus Propheticum 2. Reg. II, 9. coll. vſ. 15.

2. Hiſce donis quidem frui dediſſe, quam diu eos in hoc munere retinebat Deus, aſt quando ſe eo indignos gerebant, atque Deus illud munus in alium deferebat, etiam ab iis extraordinaria illa Spiritus ſui dona dempſiſſe juxta 1. Sam. XVI, 14.

§. 19.

Hæc ſi vera ſunt, uti revera ſunt, ultro ſequitur, Gehaſium, ſi Elizæi *cor non ambulavit*, id eſt Deo fidelis manſit, etiam eo tempore, quando vir ille de curru ſe vertebat &c. fruſtra mendacio ſcelus ſuum perpetratum ei occultare voluiſſe. Si Deus enim ei, quem ad munus Propheticum vocavit, extraordinaria Spiritus S. dona, quibus eo munere rite fungi poteſt,

eſt, tamdiu concedat, quamdiu ſe in munere fidelem gerit, neceſſe eſt, & eum, eo tempore, quo fidelis adhuc fuit Deo, gaviſum fuiſſe tali Spiritus dono, quo Deus ipſi revelabat quæcunque ſcitu erant neceſſaria, atque ita probe noviſſe quæ contigerant, eo abſente, Gehaſium inter & Naamanem, quippe quæ neceſſario noſcere debebat ad munus ſuum Propheticum in coargutione peccati ſervi ſui exſequendum.

Opponit itaque Propheta, quaſi per antanaclaſin, hocce dicto, *non ambulavit cor meum*, ſuam vitæ rationem illi Gehaſii, atque copſe illi indicat.

1. Rationem, quare Spiritus veritatis ab illo receſſerat, & Spiritus malus ejus cor occupaverat, quia nempe, corde ſuo a Deo defecerat, atque poſt idola, ſaltem poſt avaritiam ſuam ambulaverat,

2. Vanitatem conaminis ejus ad mendacio tegendum ſcelus, quod Elizæo tanquam in munere Prophetico Dei fideli ſervo per Spiritum veritatis revelatum erat.

§. 20.

Hoc & facili negotio intelligere poterat Gehaſius, quia ſæpius variis temporibus, modisque demonstraverat Elizæus, De-

um, qui ipſum miſerat, ut tanquam Propheta munus ſuum exſequeretur apud Iſraelem, pravum atque peccaminoſum populum, hoc tempore per idololatriam, atque omnis generis ſcelera viam ſuam corrumpentem, ſibi occulta revelaſſe, non ſolum talia, quæ adhucdum erant futura, & quæ nemo mortalium, qui in conſilio Dei non præſto fuerat, noſcere poterat: ſed &, quæ jam facta, vel in præſenti erant, aſt quibus præſens ipſe non fuerat, & quorum notitiam a quoquam non acceperat, vel accipere poterat, uti videre ex Cap. III, 17. IV, 16. & hoc Cap. V, 10. idque eo magis, quia hujus rei ſæpe teſtis oculatus fuerat Gehaſius.

§. 21.

Ut jam vela contraliam, in hac brevi paraphraſi Prophetæ mentem exponam: fallere me, atque impudenti mendacio ſcelus perpetratum mihi occultare ſatagis Gehaſi! facile hoc tibi ſucceſſiſſet negotio, ſi & ego memet tibi ſimilem geſſiſſem, *cor meum* æque ac tuum, eo tempore, quo tu corpore Naamanem ambulando perſequebaris, illeque tibi occurtebat de curru, *abiiſſet*, Deum reliquiſſet, atque idola, præcipue avaritiam ſectatum ſuiſſet; cum juſte ob tale delictum me, ut munere Prophetico

tico indignum, donis extraordinariis Spiritus ſui Sancti, quibus mihi omnia, quæ mihi ad munus exſequendum ſcitu ſunt neceſſaria, revelare ſolet, privaſſet; quippe tum plane ignarus eſſem eorum, quæ clam me, ate, æque ac ab aliis facta ſunt. Sed cum ſecus ſe res habeat, *cor meum non ambulaverit*, Deoque fidelis manſerit, Spiritus Dei mihi, ut Propheræ fideli, revelavit, quid feceris in occurſu Naamanis, atque ita fruſtra Spiritui Sancto me agenti mentitus es. (c)

§. 22.

Coronidis loco hoc tantum addam, ex hiſce vero ſimiliorem meam fieri conjecturam in diſſertatione ad vſ. 24. propoſitam, nimirum: Gehaſium a vero Deo ad idola defeciſſe, ſaltim ab hujus mundi Deo per avaritiam ita actum fuiſſe, ut potius idolorum miniſtris, quam Prophetarum filiis ſe ſe crediderit; hinc & eum poſtmodum familiari modo videmus cum Rege idololatra colloquentem Cap. VIII, 4. 5.

Sed manum de tabula!

(c) Eodem modo ſuo damno Ananias & Saphira fruſtra Spiritui Sancto Apoſtolum Petrum agenti mentiti fuere Act. V, 1-10.

VII.
CHRISTIANI LUDOVICI SCHLICHTER
APOLOGIA,

IN QUA

VIR ILLUSTRIS

SAM. BOCHARTUS

AB

ERUDITORUM QUORUNDAM SINISTRIS CRIMINATIONIBUS MODESTE VINDICATUR.

PROOEMIUM.

ARGUMENTUM.

Scriptores *Zoologiæ* varii. Eminet SAM. BOCHARTUS, cujus vitam & ſcripta dederunt STEPH. MORINUS & alii. *Cadomi* urbis & agri origines ab ill. HUETIO editæ, BOCH. merito laudatur. Ab aliis nimis taxatur, æque ac GROTIUS. Nemo ab omni nævo liber. Fatentur id varii. Ipſe BOCH. qui & ex DILHERRO ſe profeciſſe, gratus agnoſcit. Galli alias Germanos non æſtimant. Viros magnos non ubivis ſequi licet. Nævi tamen eorum non multiplicandi. Libertas diſſentiendi non prohibenda- Interim abuſus evitandus. J. FR. BUDDEUS laudatus. *Senecæ* dictum eximium, nec non *Lipſii*.

Inter

Inter Auctores præclaros qui *Zoologiam ſacram* ſcriptis ſingularibus (*) expoſuere, ceu luna ſtellas inter minores effulget SAM. BOCHARTUS, patria *Rhotomagenſis*, qui dein per XL. annos & amplius Miniſter Eccleſiæ *Cadomenſis* (**) anno ætatis ſuæ LXVIII. Chriſti MDCLXVI. die decimo ſexto Maii diem ſuum obiit. (***) Huic præter ſcripta alia debemus *Hierozoicon*, in *Anglia* editum, & dein in *Belgio* ac *Germania*

(*) Vid. VV. DD. quos excitant præter JO. ALB. FABRICIUM in *biblogr. antiq.* PFAFFIUS tom. I. *hiſt. lit.* p. 88. 93. JOACH. LANGIUS *inſtitutt. lit.* p. 360. BURCH. GOTTH. STRUVIUS *biblioth. philoſ.* p. 81. GISB. VOETIUS tom. I. *diſp. ſelect.* p. 719. ſq. & JO. CONR. DIETERICUS *antiq. bibl.* Part. I. f. 419. b.

(**) Cujus urbis & agri *Cadomenſis* origines edidit PETR. DAN. HUETIUS. Rhotomagi 1702. (8) licet liber ille nomen Viri Ill. præfixum non habeat vid. *Acta Erudit.* Lipſ. 1704. p. 184.

(***) Vitam & ſcripta BOCHARTI uberius recenſent STEPH. MORINUS & alii, ſedulo allati a V. Cl. G'OTTLIEB STOLLEN in *obſervatt.* ad Cel. HEUMANNI *conſpect. reipubl. lit.* p. 294. & JO. PHIL. CASSELIO in *obſerv. crit. geogr.* ad SAM. BOCHARTI *Canaan*, tomo I. SATURÆ HELVET, p. 210. in notis. EX MORINO nonnulla excerpta extant in *Actis Erudit.* 1693. p. 104. *ſq.*

mania noſtra mox recuſum, quo de volumine prorſus eximio orbis literatus ſibi merito gratulatur. Quanti opus illud, ceu reliqua ejus ſcripta, fecerint viri celebres, neminem fugit & nos infra uberius. Recte omnino *Acta Eruditorum*, *Lipſiæ* Calendis Martii MDCXCIII. publicata judicant, *commentationes a conſummatæ doctrinæ Viro* SAM. BOCHARTO *luci publicæ expoſitas iis doctorum virorum ſcriptis, quæ illo ævo ſumma ſolertia reperta, admirabili arte elaborata, judicio ſingulari perfecta, accenſendas, imo plerisque anteferendas eſſe, ſicuti etiam vix adſpectæ inſtar Phidiæ ſignum communi Eruditorum calculo prouatæ fuerint.*

Interim, quod diffiteri minime licet, fuerunt varii, & ſæpius tales, in quibus omnia vulgaria ſunt, qui nullam prætermittere conſueverunt occaſionem illius non refellendi tantum, ſed & cum contemptu traducendi, ac ſibi res eſſet cum homine gregario, & ſui multorumque aliorum ſimili, ſicuti etiam cum HUGONE GROTIO magno illo Scripturarum Interprete ab iniquis Cenſoribus actum non ſine indignatione CAMPEG. VITRINGA in præfat' ἀνακρισ. Apoc. teſtatur, conf. quæ hac de re in *Decimis ſacris*, obſerv. L. jamdudum diximus.

Nos

Nos igitur licet Virum ſummum ab omni nævo abſolvere non auſimus, bene memores verborum QUINTILIANI (†) *Inſtitutt. Orat.* lib. X. cap. 1. *Neque id ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni Auctores dixerunt utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur: cum Ciceroni dormitare interdum Demosthenes, Horatio vero Homerus ipſe videatur, Summi enim ſunt, homines tantum.* Nec non PETRI CUNÆI V. Cl. *Non ſumus tam ſuperbæ impoteintisque arrogantiæ, ut in tanta communis naturæ imbecillitate ſolos nos ſupereſſe exiſtimemus, quibus interdum opus venia non ſit. Hallucinamur omnes, alii gravia, alii leviora. Nec eſt quisquam, qui-*

(†) Quæ *erudita & profecto vera* recte prædicat JO. MICH. DILHERRUS tom II. *diſſertatt. academ.* p. 315. ſicuti & ipſe QUINTILIANUS ſe hominem eſſe, bene noverat, unde candorem ejus in agnoſcendis & revocandis erroribus celebrat HENR. DODWELLUS in *annalibus Vellejanis, Quintilianis & Statianis.* 1698. (8) conf. A. E. L. 1699. p. 115. & adde, quæ ex MURETO attulere FRANC. WOERGERUS ad Mare. XIV, 25. cap. I. in fine f. 278. b. & NIC. RICHTER diſſ. de in *ſtauratione regni Iſraelis* ad *Actorum* cap. I, 6. f. 403. tom. II. *theſauri Amſtelodamenſis.*

qui tam bene animum ſuum diſciplinis obfirmavit, ut nihil fugere eum poſſit amplius aut fallere, apud DILHERRUM tomo I. p. 328. Sicuti & ipſemet BOCHARTUS ex ſingulari, quæ in eo conſpicua fuit, *modeſtia*, aliorum judicio lubens ſe ſubmiſit, atque hoc vel illo ex auctore ſeſe *profeciſſe*, gratus agnovit. (††)

Licet etiam non ignoremus multos autoritate Virorum magnorum frequenter moveri, ut cæcis oculis calculum iis addant: quod vitium Ven. MOSHEMIUS aliique paſſim non immerito deteſtantur, vid. Doct. WOERGERUS loc. cit. f. 277. ſq. neutiquam tamen concoquere potuimus cenſuras ſatis acres, quæ de tanto Viro frequen-

(††) v. g. ex DILHERRO, cujus tract. de *παιδοζηλια* gentilium vocat *Doctiſſimum*, atque ex eo non *pauca ſe didiciſſe*, ingenue fatetur. Part. I. *Hieroz.* lib. II. cap. XXXIII. f. 324. in fine. conf. JO FRISCHMUTH tom. II. *theſauri Amſtelod.* f. 926. Quæ confeſſio eo magis æſtimanda in homine *Gallo*, cujus cives, ut plerisque aliis nationibus infeſti, ſic *Germanis* cumprimis *obliqui*, *eorumque ingeniorum* ac *ſtudiorum obtrectatores eſſe ſolent*. vid. ANON. in *vindiciis nominis germanici* contra quosdam obtrectatores *Gallos*. Berol, 1694. 8. & ex eo A. E. L. 1695. p. 38.

quenter obviæ leguntur. Neque enim ingenium eorum, qui in magnis Viris nil nisi *defectus* & *nævos* observant, probamus cum cel. JO. HENR. MICHAELIS in præfat. *bibliis hebr.* præmissa p. 18. in notis, licet cæteroquin haud diffiteamur, non cessare debere liberratem *sentiendi* & *dissentiendi* in republica literaria, sicuti jam olim nos monuimus in *vindiciis crucis panibus facierum impressis*, statim ab initio, si modo modeste id fiat, ceu & Viri docti varii nominatim JO. COCCEJUS in *lexico* voc. יובל cont. Cl. MAJUS in *supplem.* f. 52. nec non B. JO. FRANCISCUS BUDDEUS, Theologus quondam *Jenensis*, ob modestiam aliasque virtutes eximias a multis laudatus, in *Hist. Eccles.* V. T. passim a BOCHARTO abierunt, cogitantes cum LIPSIO: *Parcite boni Manes, non ego vos sollicito; tamen hic largiter* erraftis, apud JO. MASSON in *templo Jani, Christo nascente reserato.* Sect. III. cap. IV. p. 105.

Operæ ergo pretium omnino fore duximus, si *schediasmate* hoc *apologetico* liberius doceremus, quænam de BOCHARTO nostro Virorum Doctorum judicia vera sint quæ falsa, ne Lector, quid tandem de eo sentiendum sit, dubius hæreat. Quod nostro, quo vivimus, seculo eo magis necef-

ceſſarium arbitramur, dum maxima eruditorum pars libertate *judicandi* peſſime abuti ſoleat, ſicuti ſuo jam tempore fieri olim conqueſtus eſt SENECA: *Quisque ſibi indulget, ex libidine judicat, & audire non vult, & ea quæ invaſit tenet, & eripi ſibi judicium ſuum, etiamſi pravum eſt, non ſinit.* (†††)

(†††) Quo dicto veriſſimo ſuum in *Arriani Nicomed.* expeditionis ALEXANDRI lib. VII. & hiſt. *Indicam*, opus *Lugd. Batav.* 1704. fol. editum, claudit JAC. GRONOVIUS, Vir præclarus, ac ut ille in *diſputando* character a Viris doctis quibuscunque *alieniſſimus* ſit, merito optat, & cum eo, qui librum illum eximium recenſuere in A. E. L. 1705. p. 298.

SECTIO PRIMA,

QUÆ

SAM. BOCHARTUM A VIRIS DOCTIS MIRIFICE LAUDATUM SISTIT.

ARGUMENTUM.

§. 1. BOCHARTI *elogia* multa in genere. §. 2. In ſpecie *ingenium* & *judicium* ejus laudamur. §. 3. In *linguis* OO. necnon in ſcriptis *Hebr. Græc.* & *Rom.*

Rom. verſatiſſimus. JO. BUXTORFIUS laudatur, notatur nec non EZ. SPANHEMIUS & ROB. SERINGHAMIUS §. 4. Scripta BOCHARTI generatim celebrantur. §. 5. *Hierozoicon* ſpeciatim. §. 6. Nec non *Geographia* S. quæ tamen *Hierozoico* non æquiparanda. BOCHARTUS *Huetii* Præceptor in linguis *hebr. & græca*, ſed diſcipulus dein ingratus. §. 7. BOCHARTI ſcripta nonnulla deſiderantur. De ejus diſſ. epiſt. *num Æneas unquam fuerit in Italia?* judicium Cl. REIMMANNI laudatur. M. HILLERI *Hierophyticon* cujus pretii?

§. 1.

Quantus in orbe literato Vir BOCHARTUS noſter fuerit, & quanti ubivis terrarum ſcripta ejus Eruditi fecerint ex tot *elogiis*, quibus ipſum cumulare ſolent, facile patet. Sunt qui eum in genere extollunt, ſunt, qui dotes varias in ipſo ſpeciatim mirantur. *Ingens omnigenæ eruditionis miraculum* dicit ST MORINUS, Theologus Cadomenſis in epiſt. ad FRANC. TURRETINUM, quæ octo ipſius diſſertationibus præmiſſa legitur. *Vir mirabiliter doctus* ab HIER. GUIL. SNABELIO in *amœnitatt. Th. embl. & typicæ* p. 293. nec non *ad miraculum doctus* ab ALB. GUIL. MELCHIORIS in *ſicilimentis* variis p. 139. appellatur; ſicuti & *admirandum* nominat DAV. FLUD. a GIFFEN in epiſt. ad cel. BRAUNIUM p. 35.

35. Vir consummatæ Eruditionis audit ADR. RELANDO Part. I. *dissertt. miscell.* p. 210. imo *Philologus consummatissimus* JO. GOD. LAKEMACHERO Part. II. *observatt. philologg.* p. 21. *Phœnix* ille *Cadomensis* dicitur a JO. CHRISTOPH. WICHMANSHAUSENIO diss. de *lingua hebr. de Cananæa triumphante* p. 16. nec non JO. CHRISTIANO CLODIO *in lexico hebr. selecto* p. 293. imo GALLIÆ PHOENIX ab EDM. CASTELLO orat. de *lingua arab.* p. 84. collect. *Kappianæ*, cum quibus conferri possunt JO. HENR. HEIDEGGERUS, nec non CAMP. VITRINGA, Fil. Duum Viri præstantissimi, quorum prior *Galliæ sidus Fulgidissimum* in *Hist. Patriarch.* Tom. I. p. 673. *Galliæ immortale decus* p. 395. & *grande seculi sui decus* p. 227. posterior *Galliæ t. t. veluti oraculum* diss. de *Serpente Veteratore* p. 18. eum appellarunt, imo non solum Patriæ suæ, Galliæ, sed & *totius eruditi*, qua patet, *orbis lumen & decus* extitisse, scribit JO. PHIL. CASSELIUS in *Satura Helvet.* p. 209. sicuti & insigne illud *Galliæ orbisque literarii omnis decus* JO. CHR. WICHMANSHAUSEN diss. de *portu Kittæorum* §. 6. nec non *gentis ac seculi sui decus*, ipsa fatente invidia, H. WITSIUS Tom II. *miscell. sacr.* p. 144. eum dixerunt. Ut taceamus reliquos, qui Virum *utique magnum* cum JO. HENR. MA-

JO

JO *observatt. phil.* Part. II. p. 96. *in omni doctrinarum genere magnum* cum JO. ALBERTI *obs. phil.* N. T. p. 290. *doctrina excellentissimum* cum JO. DOUGTÆO tract. de *calicibus eucharist. vet. Christianorum* p. 42. *Auctorem de re literaria præclare meritum, & Virum notæ primariæ* cum JO. SPENCERO de *legg. hebr.* f. I. *profundæ eruditionis Virum & ocellum Musarum orientalium* cum JO, CHRISTOPH. WAGENSEILIO de *uxore adulterii suspecta* p. 1032. *stupendæ* πολυμαθησεως cum MART. CASP. WOLFFBURGIO *obs. sacr.* in N. T. p. 150. imo *Virorum doctissimum* cum JO. HENR. SCHULZIO diss. de *nummis Thasiorum* p. 5. agnoverunt.

§. 2.

Dotes mentis, quas a summo Numine haud parca manu acceperat, quod attinet, Viri docti mox ejus *ingenium*, mox *judicium*, mox *utrumque* mirifice prædicare solent. *Humani ingenii miraculum* eam ob rem a JO. CHR. WOLFFIO diss. ad 1. Sam. XIII, 5. Tom. I. thesauri *Hasæo Ikeniani* f. 602. nec non *ingeniosus & merito suo illustris* a Cl. WERNERO ibidem f. 616. appellatur, sicuti & *mirandum ingenii acumen, in quavis pagina eluceſcens* ubique præter infinitam lectionem & reconditam doctrinam admi-

ratus est *Theologus* quidam *inclytus* (THEOD. HASÆUS) (*) teste Cl. CASSELIO, loco supra citato. Doctrinam ejus singularem, & *ingenium acre* maximi facit *Adrian.* RELANDUS. *dissertatt. miscell.* Part. I. p. 62. & *Virum adeo ingeniosum* p. 65. dicit; unde non mirum, quod Jesuitarum artibus sæpe impetitus *subacto* suo *ingenio*, solida eruditione, perspicua in argumentando & respondendo adversariorum strophis solertia & *subtili acumine* semper eorum consilia callida everterit, teste STEPH. MORINO, *Collega* BOCHARTI dignissimo. conf. A. E. L. A. 1693. p. 98. Similiter *judicium* ejus merito extollunt. Vir *acutissimus* fuit ex sententia CASTELLI & RELANDI, locis citatis, atque Virum *acerrimi judicii* Cel. LAKEMACHERUS *observ. phil.* Part. III. p. 360. nec non *sagacissimum* p. 373. appellat.

§. 3.

In *linguis* quid præstiterit BOCHARTUS noster, Viri Docti non minus grati agnoscunt. Literas OO. nullum eo *doctiorem* & *nobiliorem* habuisse *Vindicem*, STEPH. LE MOYNE

(*) Qui & alibi quærit: *Quis illo Viro in indagandis maxime δυσνοητοις SS. locis alias vel felicior vel sagacior est?* disp. de *Naphthalitide, patria Apostolorum* ad locum Gen. 49, 21. Bremæ 1724.

MOYNE optime ſcribit. An eo *doctiorem Philologum linguarumque OO. peritiorem* Reformati in Galliis unquam habuerint, *ſe neſcire*, pariter judicat THOMAS CRENIUS in præfat. *Muſei phil. & hiſt.* Tom. I. p. 25. *Exactam* LL. OO. *cognitionem*, nec non *ingenii felicitatem* miratur alicubi JO. CHR. WICHMANSHAUSEN, ſicuti & *ſacram* ejus *eruditionem*, *admirabilem induſtriam*, juncta LL. OO. *Geographiæ ſacræ* & *Orientalis*, *naturalis hiſtoriæ* atque *linguarum Occidentalium* ſtudia celebrat NIC. NONNEN, Theologus in Eccleſia & Schola Bremenſium primus, in præfat. THEOD. HASÆI *diſſertatt.* & *obſervationibus* præmiſſa. Ut taceamus WOLFFBURGIUM, qui *exactam linguarum notitiam*, *vaſtiſſimam eruditionem*, atque *exactam rerum examinationem*, in *præfat.* prima ei vindicat. Imo in ſcriptis *Hebræorum* legendis quantos fecerit progreſſus, vel exinde conſtat, quod *illuſtriſſimum totius Germaniæ*, *imo mundi*, *Profeſſorem* (JO. BUXTORFIUM) (**) *in transferen-*

(**) Eundem' Virum doctum ad illuſtrandum codicem *Joma pauca in ſuo Lexico Talmudico* notaſſe, ſed *ubique fere lapſum*, ROB. SERINGHAMIUS in *præfat.* ad *Joma* ſcribere non veretur, Aſt *tali caſtigatione non opus habere opus* BUXTORFII, *ſed vulpeculæ adverſus*

da una tantum Talmudis linea ter (***) *ceſpitaſſe*, obſervaverit, referente EDMUNDO CASTELLO, Viro itidem ſummo, orat. de *lingua Arab.* p. 84. collect. *Kappianæ.*

§. 4.

Simili modo ſcripta Viri maximi verbis valde magnificis orbis literatus extollere ſolet. *Doctiſſima & ætatem latura, ſine quibus ſexcenta SS. loca & vocabula nobis adhuc*

verus leonem gloriolam eſſe, recte exiſtimat MART. MAURITIUS in tract. quem *eruditum* merito JO. HENR. MAJUS in *ſupplem.* ad JO. COCCEJI *lexicon hebr.* f. 26. appellat, de *ſortitione veterum, Hebræorum*: *inprimis* pag. 289. unde & *rigidus nævorum alienorum animadverſor notatorque* dictus SERINGHAMIUS audit DANIELI LUNDIO, Sueco, ad Cod. *Taanith* p. 5. & THEOD. DASSOVIO diſſ. de *ingreſſu Pontificis in SS.* §. 15. Pariter BUXTORFIUS contra SERINGHAMIUM vindicatur a cel. IKENIO in notis ad *Tamid.* p. 26. *ſq.*

(***) Quod & in aliorum Auctorum ſcriptis vertendis & illuſtrandis, fieri poteſt, ſi nimis perfunctorie a Viris doctis legantur: ſicuti v. g. EZECH. SPANHEMIUS, Vir ill. in uno loco *Dionis* illuſtrando occupatus multa errata commiſit, eam ob rem notatus JOHANNI MASSON in *Templo Jani reſerato* p. 158. in notis.

huc essent obscura, atque ignorata, in præfatione tomi primi *Thesauri Amstelod.* appellantur, imo *edecumata eruditione, & stupenda LL. OO. cognitione referta* aliquoties laudatus CASSELIUS recte dixit. Addi omnino meretur JAC. FRID. REIMMANNUS, cujus ex judicio BOCHARTUS *antecedentium omnium* in similibus argumentis occupatorum *gloriam plane obscuravit, & succendentibus spem ea reddendi illustriora penitus præscidit. Usque adeo scriptis suis ornandis omne tulit punctum, atque stupendam suam polyhistoriam in linguis librisque cum editis, tum ineditis, rebus etiam iisque abstrusis maxime illustrandis prodidit, catal. crit. biblioth. theol.* p. 608.

§. 5.

Hierozoicon BOCHARTI inprimis summis cumulant laudibus Viri docti, qui in republica literaria locum non infimum tenent. *Opus immortale & stupendum* STEPH. LE MOYNE in *variis Sacris* tom. II. p. 551. 812. & JO. HENR. HEIDEGGERUS in *Hist. Patriarch.* tom. I. p. 395. prædicant. *Opus illustre* & *multæ industriæ* JO. CHR. WOLFIUS loc. cit. f. 601. *densissima eruditione refertum* JO. HENR. MAJUS *obs. sacr.* Part. II. p. 96. & *admirandæ doctrinæ* THOMAS CRENIUS *fasce* primo p. 292. in notis dicunt,

cunt, ſicuti quoque HIERON. GUIL. SNABELIO *eſt opus admirandum, & quo ſibi non ævum, quo vixit modo, ſed etiam ſecula, quæ olim erunt, devinxerit. amænit. theol.* p. 233. 237. Similiter *vaſtum pretioſumque opus* cenſet JO. CONR. DIETERICUS *antiq. biblic.* Part. I. f. 419. quo *majori variorique ſtipatum eruditione nec dum foras datum eſſe meminit* THEOD. HASÆUS tract. de *Leviathane Jobi &c.* p. 135. imo *opus* eſt *immortale, quo docuit, quid efficere queat juncta cum acri ingenio ſolida LL. OO. cognitio* judice OLAVO CELSIO in *Actis lit. Sueciæ.* A. 1721. p. 157. Ut taceamus DAN. WYTTENBACHIUM, qui *eximium & vaſtæ eruditionis opus* tom. I. *Theolog. dogmat.* p. 182. recte dixit.

§. 6.

Nec vili in pretio apud Viros doctos eſt *Geographia* BOCHARTI *ſacra, opus laborioſum, & varia eruditione refertum,* judice GISB. VOETIO in *Bibliotheca Studioſi Th.* lib. II. p. 420. *Opus eruditiſſimum & ſtupendum* dicit JO. HENR. HEIDEGGERUS *hiſt. Patriarch.* tom. I. p. 640. 673. addita ratione, quod nemo in hac materia majorem ἀκριβειαν præſtiterit p. 677. imo *opus divinum* JO. GODOFR. LAKEMACHERUS loc. cit.

cit. appellat, (†) ſicuti & STEPH. MORINUS *incomparabile Phaleg* prædicat VIII. diſſertatt. p. 25. nec immerito: palmam enim reliquis omnibus præripuiſſe videtur in *Phaleg.* licet forte non ubique rem tetigerit, & lucem maximam dat in *Chanaan*, ex ſententia B. BUDDEI Tom. I. *Hiſt. Eccl. V. T.* p. 25. a. & p. 174. b. Interim *Geographiam* hanc *ſacram* ejusdem Auctoris *Hierozoico* non æquiparandam eſſe liberius forte cenſeremus, niſi idem ab aliis jam ante nos animadverſum videremus. Certe *magnam inter Hierozoicon & Phaleg oppido differentiam* eſſe recte ſcribit THOMAS

(†) Idem Vir Doctus docet, ill. PETR. DAN. HUETIUM in lectione hujus operis occupatum, tanta ſtatim linguarum hebraicæ & græcæ, quas antea non curaverat, addiſcendarum cupiditate accenſum fuiſſe, ut non obſtante ſacrorum diverſitate illico ſe in diſciplinam Auctori tradiderit, nec illo Magiſtro uti ante deſtiterit, quam ſcientiam harum linguarum accuratam adeptus eſſet: conf. Commentarius eximius, quem ipſe HUETIUS de *rebus ad ipſum pertinentibus* conſcripſit, Amſtelodami 1718. (8) editus, licet poſtea per controverſiam theologicam a BOCHARTO offenſus odium ſuum in linguas iterum evomuerit, obſervante JO. CHR. CLODIO in *præfatione* ad JAC. GOUSSETII *lexicon hebraicum.*

CRENIUS in *præfat.* tom. I. *Muſei philol.* & *hiſt.* p. 25.

§. 7.

Quid denique non expectandum fuiſſet, ſi commentarios de *Paradiſo*, nec non de *gemmis*, *unionibus*, *lapillisque pretioſis* in SS. memoratis egregie animo deſtinatos abſolvere, atque in iis ampliſſimæ ſuæ eruditionis dotes orbi literato exponere ei licuiſſet, unde utrumque fatorum injuria nobis ereptum interceptumque etiam atque etiam cum Viris doctis in *Actis lat. Lipſ.* A. 1691. p. 393. & A. 1693. p. 98. dolemus, haud inſcii, quam egregia hac in arena, ſi quisquam alius, ſpatia fecerit BOCHARTUS noſter. Similiter *Hiero-botanicon* condere in animo habuit, ceu ex *Hierozoici* Part. II. f. 847. l. 3. edit. anglic. OLAUS CELSIUS cum aliis ſuſpicatur. Hunc autem ſi ingredi licuiſſet *Paradiſum*, vidiſſes omnino ex ſententia Viri modo laudati arbores, flores atque fructus, paucis in noſtro orbe viſos deguſtatosque. Certe LEMNIOS & URSINOS ſuorum hortorum pœniteret. Addimus HILLEROS; quanquam enim labor ille, quem in *Hierophytico* ſacro adornando exantlavit MATTHÆUS HILLERUS, ſit inſignis, nec ſua defraudandus laude, eaque ampliſſima, non tamen ille totum nobis

bis BOCHARTUM per omnia reddidisse videtur, judice THEOD. HASÆO *observ. phil.* p. 173. qui & alibi *Hiero-botanicum* illud *incomparabile Hierozoicon* futurum fuisse, haud immerito censet tom. VI. *Biblioth. Brem.* p. 748. add. Cl. TENZELIUS *colloq. menstr.* A. 1694. p. 728. (†)

(†) Nec aliter omnino judicandum erit de scriptis ejus reliquis exiguæ quidem molis, sed multa doctrina refertis v. g. dissert. epist. de *quæstione*: *Num Æneas unquam fuerit in Italia?* Hamburgi 1672. (12) in qua quidem παραδοξως contendit, Virgilium fumos vendidisse Lectoribus, Æneam enim cum suis nunquam Asia egressum, nec ullum in Italia condidisse regnum, sed tamen *ingeniose* & *exquisite*, atque eo doctrinæ apparatu, ut appareat, Auctorem fuisse Virum, *in linguis & lectione Auctorum veterum & Antiquitatibus cumprimis Phrygum ac Romanorum versatissimum*, pronuntiante JAC FRID. REIMMANNO *catal. Biblioth. theol. crit.* p. 538. Subjungi merentur, quæ eadem de *quæstione* habent *Anonymus* in præfat Opp. BOCHARTI nostri f. 3. & BURCH. GOTTHELFF STRUVIUS in *selecta Bibliotheca historica* cap. IV. §. 2.

SECTIO

SECTIO SECUNDA,

QUÆ

SAM. BOCHARTUM

A VIRIS DOCTIS

VALDE TAXATUM COMPLECTITUR.

ARGUMENTUM.

§. 1. BOCHARTUS antea *laudatus* ab iisdem nimis *taxatur*. Sicuti dein AUG. CALMETUS a Cl. MOSHEMIO, §. 2. Nævi XVI. BOCHARTI. Lapsus in Arabicis. Defectus *judicii*. Luxus in *conjecturis*. *Plagium*. Nimis credulus. Abusus *libertatis* in hebraicis. Nomina omnia ex *Phœnicia* petit. Gentium *origines* non attigit, ne *Gallorum* quidem. SS. nugis gentilium commaculat. Lapsus in hebraicis. Auctores veteres injuste carpit. Pauca de rebus *magnis*, multa de *levioribus* habet. *Alcoranum* non legit ipse. *Aloen Or*, ignoravit. In studio *nummism.* plane hospes. *Orator* miser. §. 3. Scopus plurimorum, eum taxantium, indicatur. EZECH. SPANHEMIUS notatus.

§. 1.

Quanta, quanta autem sint Virorum Doctorum *encomia*, quibus BOCHARTUM nostrum ac scripta ejus cedro digna extollere solent, judicia tamen valde siniſtra eodem de Viro magno passim lata, atque nævos *plagii*, *ignorantiæ*, *credulitatis*, *audaciæ*,

ciæ, *defectus judicii* & longe plures, ab iisdem & aliis ei imputatos primo obtutu si conferamus, encomiis supra adductis vix fidem habendam esse, non sine causa forte quis suspicaretur. Agunt cum ipso, ceu JO. LAUR. MOSHEMIUS nostris diebus egit cum AUGUSTINO CALMETO, Abbate *Benedictino*, quem primo multis & magnis cumulat laudibus, ceu *Virum varia eruditione excellentem*, in quo *multæ literæ, eæque exquisitæ & reconditæ*, quique *cum ratione cogitare, & providenter judicare, & argute conjectare & cogitata deinceps, & dijudicata vel conjectata eleganti orationis genere describere* didicerit, dein vero tot vituperia adfert, tot maculis ipsum polluit, v. g. eum *infeliciter hariolari*, *plura dicere, quam permittat sincera veritas*, *manifestis fraudibus & fallaciis suffundere frigidam, sibimet ipsi contradicere*, *ineptias jam pridem e republica literaria ejectas denuo revocare*, & quæ alia, ut, quid de encomiis antea allatis sit sentiendum, incertum prorsus lectorem faciat, judice JAC. FRID. REIMMANNO in *accessionibus* uberioribus ad *Catalogum Bibliothecæ theol. criticum* p. 165. sq. Brunsuigæ 1747. (8)

§. 2.

In iis quidem tantummodo a quibusdam nota-

notari BOCHARTUM, quod *tricis apinisque grammaticis delectetur nimium, & earum dulcedine illectus evagetur liberius interdum & audacius, quam permittunt leges criticæ, de materia ſubjecta vel judicet, vel conjectet*, obſervat. REIMMANNUS modo laudatus in *Catalogo biblioth. theol. critico* p. 608. ſed longe plura in ipſo deſiderari & acerbe notari ſolent. En ſpecimen nævorum, ſaltem præcipuorum, quos data occaſione, nec tamen ſine omni indignatione, collegimus.

1) BOCHARTUS in multis *hallucinatur*, ut in *arabicis* ſolet, judice Cl. GUISIO ad כלאים c. VIII. m. 5. apud doct. CASSELIUM loc. cit. p. 211. qui JO. HENR. MAJUM in *Hiſt. Animalium* aliosque ſimul conferri vult.

2) *Judicii* ejus *acumen* ubivis inter *miracula mundi* nemo facile retulerit, ex ſententia MART. CASP. WOLFFBURGII *obſervatt. Sacr.* præfat. I.

3) *Tolle divinationes* ex BOCHARTI *Geographia ſacra*, & *maximam propemodum eorum, quæ ibi ſcripta ſunt, partem auferes*, ſunt verba JO. GODOFR. LAKEMACHERI Part. II. *obſervatt. phil.* p. 79. Pariter JO. HENR. VON SEELEN: *Ingenio magnum Virum indulſiſſe, & conjectaſſe*

classe tantum quis non videt? in notis ad GUIL. BURTONI, Angli, λειψανα veteris linguæ persicæ. p. 3.

4) *Hierozoicon* BOCHARTI *licet sit præstantissimum, multa tamen* transsumpsisse *videtur ex* JO. BUSTAMANTINI *tomis* duobus *de animalibus sacræ Scripturæ* Compluti 1595. 4. Lugd. 1620. 8. Ita suspicatur BURCH. GOTTHELF. STRUVIUS *Biblioth. philos.* p. 81. Jenæ 1707. (8) & pro certo affirmat idem CHRISTIAN GOTTLIEB JOECHER im allgem. Gelehrten-Lexico ad nomen JO. DE BUSTAMANTE.

5) Aliquando nimis credulum eum fuisse, singulari exemplo confirmare conatur GUIL. ERNESTUS TENZELIUS in *colloq. menstruis* A. 1689. p. 1133.

6) *Nimiam per literarum additiones, summotionesque & permutationes licentiam sibi sumpsit* BOCHARTUS, judice JO. CHRISTOPH. WICHMANSHAVSENIO differt. *Lingua Hebræa de Cananæa triumphans.* p. 17. imo *improba mutandi corrigendique libidine* divinarum literarum autoritati, duo vocabula בת אשרים in unam בתאשרים Ezech. 27, 6. contrahens, judice eodem in diss. de *portu Kittæorum* §. 5. Sicuti & cum versione *Ale-*

Alexandrina liberius egiſſe dicitur in *Actis Erudit. lat.* A. 1708. p. 197.

7) Pro *libidine* ſua fere omnia regionum populorumque *nomina* ex lingua *Phœnicum* ſine conſonantia arceſſit, poſt habitis veterum teſtimoniis, eorumque unanimi conſenſu, judice PHIL. A TVRRE *in monumentis veteris Antii.* Romæ 1700. 4. conf. A. E. L. 1701. p. 258. Ubique quid *Phœnicium* inveniſſe ſe, putat, eam ob rem notatus doct. CASSELIO in *Satura Helvet.* p. 213. & paſſim. Nec in infinitis vocabulis, quæ ex lingua *Phœnicia* deducit, animadvertit, ut, priusquam in vocum originem *Punicam* inquireret, terminationes Græcorum & Latinorum reſcinderet, obſervante eodem V. Cl. in *Symb. lit.* Tom. I. p. 166.

8) Similiter in argumento de *Gentium originibus omne punctum vulgo cenſetur tuliſſe, ſed & in multis, iisque haud exigui momenti rebus fallitur*, & *Celtarum*, ſeu *Gallorum, originem ne quidem attigit.* Ita PAVLVS PEZRONIVS in *antiquitate nationis & linguæ Celtarum ſeu Gallorum.* Paris: 1703. (12) conf. A. E. L.: 1704. p. 10.

9) Vanus eſt BOCHARTI aliorumque conatus, dum ſæpe *Gentilia*, quandoque

aut

aut temere aut maligne conficta *conferre*, istisque *nugis* S. *literarum Soli lucem affundere* conantur: Ex ANTONII VAN DALEN differt. super *Sanchoniathone* A. E. L. 1705. p. 527.

10) In lingua *hebræa* eum sæpius *hallucinatum*, non pauci contendunt. De voce מצרים varia contra eum monuit A. RELANDUS passim. *Ex sola duarum vocum cognatione eandem rem significari*, male censuit BOCHARTUS, judice LAKEMACHERO *observatt. phil.* Part. II. p. 21. *Omnes geminatas radicales intendere significationem*, itidem male dixit, notatus eam ob rem CHRIST. NOLDIO in libro de *particulis Ebræo-Chald.* p. 738. b. edit. Jen. 1734. 4. Nomen יונה nec non ipsam *columbarum* originem ex *Græcia* infeliciter petit ex sententia IO. HENR. MAJI *observ. Sacr.* Part. II. p. 96. & WOLFFBVRGII loc. cit. p. 195. Vocem denique אגמן *Juncum* frustra explicat, repugnante OL. CELSIO in *Actis lit. Sueciæ* A. 1731. p. 75.

11) Injuriam facit *Auctoribus antiquis*, quos *turpiter erravisse* scribit v.g. PLINIO, quem defendit TH. HASÆVS t. V. *Biblioth. Brem.* p. 286. & PHILONI, quem vindicat DAV. MILLIVS *dissertatt. select.*

select. p. m. 48. edit primæ. Ut taceamus, OLYMPIODORVM in quo Vir summus aliquid legisse videtur, quod neque *se*, neque quenquam *alium*, *etsi lyncei illi sint oculi*, ibi deprehendere, testatur HASÆVS tract. de *Leviathane* &c. p. 137. sicuti & versioni *Alexandrinæ* portentosum errorem frustra tribuerit.

12) In *rebus levioris momenti uberrimus est*, *sed de iis*, *quæ difficiliora videntur*, *non nisi perpauca attulit.* WOLFFBVRGIVS loc. cit. p. 144. & *Acta lit. Sueciæ* A. 1733. p. 76.

13) Ipsum *Alcoranum* fortasse non inspexit BOCHARTVS, sed fide lexici *Alcamus* scripsit. Ita JO. VORSTIVS de *Adagiis* N.T. p. 490. collect. *Rhenferdianæ.*

14) *Aloe Orientalis* eum forte latuit, ex conjectura WOLFFBVRGII p. 150. sicuti &

15) Studium *nummismaticum*, ad notitiam *Geographiæ* valde necessarium, ignoravit, judice Cl. TENZELTO in *colloquiis menstr.* A. 1695. p. 403.

16) Bochart war ein viel wissender Mann; aber ein elender Redner. ANONYMVS im Antwort-Schreiben auf etliche Frag-Stück eines gelehrten Edelmanns, welcher in einer Preußischen Pro-

Provintz wohnet. Gedruckt im Jahr 1710. (8).

§. 3.

Scopus, si non omnium, multorum tamen, præcipuus hic esse videtur, ut MAGNO BOCHARTO *majores videantur.* Eodem modo cum Viris magnis egerunt alii. Ipsemet EZECH. SPANHEMIVS, Vir illustris, in opere plurima eruditione referto, quod de *præstantia & usu Numismatum antiquorum* agit, omnes temporum recentiorum *magnos Viros*, non parcendo SCALIGERO, SALMASIO, SELDENO, aliisque pluribus, *traducere* nimis affectat, eosque propter leves tricas atque nugas, tanquam maximi momenti errores damnat. vid. le *Journal des Scavans*, seu *Ephemerides Eruditorum* Anni MDCLXV. in linguam latinam versæ a M. F. NITSCHIO 1667. p. 48.

Potiorem hujus Apologiæ partem, quam Sectio Tertia comprehendit, quæque rei litterariæ pluris interest, alia & forsan proxima vice dabimus. N. B.

VIII.

N. BARKEY CODICUM ALIQUOT BIBLICORUM MSCT.

ET TYPIS EXPRESSI AMERICANI RARIORIS NOTATIO.

Ut viris eruditis, qui Bibliothecæ huic favent, quibusque, instituto maxime laudando, collatio Codicum Hebraicorum Manuscriptorum curæ cordique est, constet, ubinam unus alterve lateat, duorum Codicum Mſct. notitia illis communicanda est.

I.

Habetur Codex Mſct. in Bibliotheca Patrum Societatis Jesu, Coloniæ Agrippinæ, cui hæc est Inscriptio.

אני יצחק הסופר בר יעקב זצ״ל כתבתי
עשרים וארבעה ספרים מבראשית עד
ויעל בלא תרגום וסיימתים ביום
עשרים וארבעה לירח אלול שנת חמשת
אלפים ארבעים ושש לבריאת עולם
וה׳

והי וקבלתי שכרי משלם יזכהו להגות
בו הוא וזרעו עד סוף כל הדורות אמן
ואמן סלה חזק.

Verſio huic Inſcriptioni ſubjuncta eſt iſta, ex qua Interpretis lepidam linguarum peritiam cognoſcas & mireris.

Ego Iſaac legis peritus, filius Jacobi Satzel *ſcripſi viginti quatuor libros a Geneſi ad* Joelem *usque.* Continet Targum *ſive Interpretationem, & perfeci* die viceſimo quarto menſis Auguſti *anno 5046. a creatione mundi & accipiam mercedem perfectam a Deo immenſo. Purum ſive incorruptum judicabit* meditatis in ipſo, *& ſemen ipſius ad finem omnium generationum. Amen & Amen, finis.*

Secundum hanc Inſcriptionem & differentiam æræ Chriſtianæ a computo Judaico ſcriptus erit hic Codex anno poſt Chriſtum N. 1286.

Hanc Codicis hujus notationem gratus debeo ſummo Trajectinorum Philologo *Cel.* SEBALDO RAVIO.

II.

Pentateuchus Membranaceus cum Haphtharis & Megilloth maſoraque eleganter ſcripta, de quo v. J. C. WOLFII *Bibl. Hebr. T. II. p. 301.* Jure emtionis ex Bibliotheca Cl. JAC. HENR. VAN BASHUISEN, Profeſ-

ſoris olim Hanovienſis ac demum Serveſtani, tranſiit ad exquiſitiſſimam & nitidiſſimam Bibliothecam ſumme Venerandi & Doctiſſimi JACOBI WILLEMSENII, apud Medioburgenſes meos *S. S. Theologiæ Profeſſoris & Eccleſiaſtæ fideliſſimi & facundiſſimi*, Collegæ olim & in Chriſto Patris, tum Conjunctiſſimi, tum Chariſſimi. Narrat WOLFIUS *l. c.* hoc exemplari uſum fuiſſe JOH. HENR. MAJUM *ad editionem Bibliorum Hebr. Francof. ad Mœnum 1716. in cujus præfatione Codex multi pretii vocatur.* Hunc autem Codicem variantes habere, ſaltim in Haphtharis, lectiones, ſpecimine aliquo facile probatu eſt. Contulit mecum Vir Amantiſſimus in Tuſculano ſuo amoeniſſimo, cum elapſo anno me, quod gratiſſima mente recordor, per menſem integrum lautiſſimo & amiciſſimo ſuo hoſpitio exciperet, *Caput XXII. ex 1. Samuelis* cum Bibliis impreſſis *Hooghtianis.* Tres in hoc uno capite occurrebant Variantes ſc.

v. 8. loco מוסדות השמים *legimus* מוסדות הרים, quod pæne coincidit cum Pſ. XVIII, 8.

v. 12. loco סְכוֹת vel uti Pſ. XVIII, 12. habetur, loco סֻכֹּתוֹ *legimus* סֻכּוֹ

v. 30. loco באלהי *legimus* ובאלהי

Sedet

Sedet animo Viri optimi collationem ulteriorem inſtituere cum ingenuis quibusdam Juvenibus, ſuis in Litteris Hebraicis diſcipulis. Ut quæ in h. Codice obſervaturi ſunt, mihi ſuo tempore communicet Vir Hebraicarum Litterarum ſtator & promotor indefeſſus, publice & enixe rogo.

III.

In eadem Bibliotheca *Venerabilis* WILLEMSENII exſtat *Vetus Teſtamentum cum Pſalmis rythmicis lingua Americana, litteris Romanis impreſſum, ſine Titulo*, de quo in frontiſpicio hæc notatu digna verba exſtant, ex quibus patet, quod, ſi ita vera ſunt ac probabilia, quæ narrantur, codex hic elegantiſſime compactus, qui Bibliothecam *Willemſenianam* ornat, hujus generis unicus forte ſit in orbe terrarum.

Onderichting

Meeſt alle, die dit Boek inzien, zullen het qualyk kunnen leezen, en nog minder verſtaan, alleen uyt de Tytels of Opſchriften kan men zien, dat het een Bybel, en verder naziende, dat het het gantſche Oude Teſtament is.

De Tale, daar het in beſchreven is, is Americaans, Indiaans of Wilts, gebruike-

lyk in 't Noord-Oosterdeel, omtrent en rondzom Nieuw-Engelandt.

De Overzetters zyn Engelschen geweest, het welk men kan afnemen uit verscheyde Engelsche Woorden, daarin invloeyende, als Lord, God, Jehovah en andere, alsmede de Opschriften der Stoffen, daarover gesproken word.

De Reden, waarom deze aan die Tale vreemde woorden daarin gevoegt zyn, is, om dat die Tale geen woorden had, of om de Perzonen en Zaken uittedrukken, als haar gantsch onbekend, of niet wel uittedrukken, indien het haar niet wel of duisterlyk en verwerd opdeed.

De Letter R. r. is en blyft gantsch buiten den kreits van deeze Tale, en zo zy daarin gevonden word, zo is het in zulke woorden die daarin gevoegt zyn, om reden, die wy daar even gezegt hebben.

De klank van de Woorden en Syllaben moet na de Engelsche Accent gevoegt worden in het lezen of spreken, nadien het Engelsche zyn geweest, die het hebben overgezet.

Dat het nieuwe T. hier niet by, is, om dat na den tyt van oversetting dit voor het ander, yder bysonder- is afgedaan, en alhoewel dat se beyde lang genoeg in wezen waren geweest, zo zyn in een fatalen Oorlog,

log, tusschen de Engelschen (waar by hen de Christen Wilden voegden,) tegen de Heydensche Wilden, en die dezelve bystonden, gelyk men gelooft, de Franschen uyt Canada *in de Jaren 1672. 1673. 1674*

Door deeze Heydensche Wilden alle Bybels der Christen Wilden verbrand en weggeraakt. Dit Deel alleen is daarvan behouden gebleven, volgens welk een nieuwe Druk met Verbeteringe, en een gantsch nieuwe Overzetting van het N. T. ondernomen is. Ik heb het O. T. afgedrukt, en van het Nieuwe eenige vellen gezien te Rockberri omtrent een uur buiten Boston in Nieuw-Engeland in 't Jaar 1680.

De Drukkery was te Cambrits 3. uuren buyten Boston, alwaar mede het Collegie der Studenten, het zy der wilde of andere Natien was. De Psalmen Davids zyn hier agter bygevoegt op de Engelsche Zangmaat.

Te Rockberri woonde eenen Mr. Hailot een zeer godzalig Predikant aldaar, hy was in dien tyt omtrent de 70. Jaren oudt, zyn Zoon was Predikant binnen Boston. T' is desen goeden ouden man, die een van de eerste Independente Predikanten was, de welke om hare vryheidt te zoeken, zich in deze Quartieren hebben neergeset. Deze was de voornaamste Overzetter

zetter en Beſtierder van 't Drukken van beide; zoo eerſte als tweede Druk van deze Indiaanſche Bybels; deze was het, die my dit Deel van den eerſten Druk uyt een byſonderen yver en liefde vereerde, waarvoor hem dankbaar was, en zal blyven

Het was Juny 1680.

JASPER DANCKAERTS.

Ut linguæ hujus Americanæ ſibi aliquam ideam formare, eandemque cum aliis linguis conferre poſſint, eruditi linguarum cultores, Deo volente, Caput Primum Geneſeos accurate deſcriptum ſequenti aliquo Faſciculo exhibebimus.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS SECUNDÆ
FASCICVLVS SECVNDVS

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXII.

VIRO

CELEBERRIMO ET ERUDITISSIMO

PETRO HEMSTERHUIS

LINGUÆ GRÆCÆ ET HISTORIÆ PATRIÆ

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

PROFESSORI ORDINARIO,

QUEM DUDUM

RESPUBLICA LITTERARIA

SUSPICIT ET VENERATUR

UT

ERUDITIONIS MASCULÆ

IMPRIMIS GRÆCÆ

CORYPHÆUM,

QUINTUM

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ

FASCICULUM

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

INSCRIBIT,

ET UT

ALTERO HESYCHII GEMELLO,

QUEM

CELEBERRIMUS

J. ALBERTIUS,

CUJUS OSSA MOLLITER CUBENT,

PRÆMATURA SUA

ET

DEPLORANDA MORTE

ORPHANUM RELIQUIT,

PRÆBEAT

UBERA SUA

LITTERATÆ SENECTUTIS PLENA,

PUBLICO NOMINE

FLAGITAT,

IPSIQUE

PROPITIUM NUMEN,

VIRIDEMQUE NON SOLUM ET VEGETAM,

DE QUA GRATULAMUR,

SED ETIAM

FERTILISSIMAM ET LONGAM

QUIN

NESTOREAM SENECTUTEM

APPRECATUR

EDITOR.

SERIES SYMBOLARUM FASICULI SECUNDI CLASSIS SECUNDÆ.

I. JOHANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, *Præpositi Capituli S. Laurentii prope Scheningam, & Professoris Carolini Brunsvicensis*, Meletema *de Pericopis Biblicis recte constituendis & dijudicandis.* Pars prima pag. 203.

II. JOHANNIS MEDHURSTII, *V. D. M. Bremensis*, Observatio *in Tit. II, v. 12.* pag. 276.

III. CHRISTIANI LUDOVICI SCHLICHTERI, *Theologi Cothenensis, Apologiæ pro Viro Illustri Samuele Bochar-*

to

to Sectio Tertia, *quæ Bochartum modeſte vindicat, atque* επικρισιν *uberiorem complectitur* pag. 302

IV. JOHANNIS NICOLAI RICHTERI, *V. D. M. Rhebornenſis*, Diſſertatio *ad Phil. II, 9. 10. 11.* pag. 362

V. LITTERARIA pag. 392

I.

JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, MELETEMA DE PERICOPIS BIBLICIS RECTE CONSTITUENDIS ET DIJUDICANDIS.

§. 1.

Complexus partium, quæ ad unum Scripti vel orationis argumentum & ad unam ejusdem argumenti tractationem referendæ sunt, jam olim *pericope* fuit appellatus. Patres Græci sæpius nomen pericopes indiderunt enuntiato, quod aliun-

de, verbi causa ex V. T. in N. T. adsumtum fuit seu traductum (a). Priorem eamque latiorem notionem secutus fuit ATHANASIUS (b), cujus testimonium, latine a BERNARDO *de* MONTFAUCON factum, huc transscribam, multis nominibus commemorabile. En illum: *Observandum est, ordinem Psalmorum nequaquam historiæ temporumque seriem tenere; sed in multis mutilari temporum ordinem, ut commonstrat Liber Regum - - Quum Judæi prophetas interemissent, quod hi eorum impietates coarguerent: ac propterea, in manus Assyriorum traditi, in captivitatem abducti essent; sub hæc quidam propheta, qui Synagogam eorum strenue curabat, cum aliis scripturis librum quoque Psalmorum collegit: non quod simul unoque tempore Psalmos universos repererit, sed diversis temporibus ac primum ordine posuit eos, qui primi reperti fuerant: quo factum est, ut ne omnes quidem ipsius Davidis Psalmi ordine ponantur, atque Psalmi filiorum Core & Asaph & Salomonis, Mosis quoque, Aethan Esrahitæ* (c), *Æman, rursum-*

(a) C. SUICERUS in *Thesauro* ecclesiastico p. 673. To. II. *Amstelod.* 1682. fol.

(b) To. II. p. 70. *Collectionis Patrum & Scriptorum Græcorum, Parisiis* 1706. fol.

(c) Ita legendum pro Ισραηλίτης, quod est apud MONTFAUCONUM.

sumque Davidis permixtim positi in libro occurrant, non quo tempore editi, sed quo inventi fuere; quod ipsum in prophetarum periodis, ἐν ταῖς τῶν προφητῶν περικοπαῖς, reperias. Hactenus vere haud secus ac solide *Athanasius*. Alucinatus fuit MONTFAUCONUS, quum *pericopas* vertit in *periodos*. Pericopæ enim hoc loco sunt vaticinia singularia, ad idem argumentum eodem tempore edita ac congruentia ad ejusdem Scopi complexum. Designat *Athanasius* non tam periodos, quam sectiones, quæ idem vaticinium, aliud post aliud, ratione & successu temporis constituunt. LUTHERUS in *Præfat. ad Jesaiam* & JO. BRENTIUS *ad Jes.* I, 1. & præcipue magnus ille phosphorus in Jesaiam, VITRINGA, P. passim, idem ac olim *Athanasius* monuerunt. Nonnunquam præmittitur initio ejusmodi pericoparum nota temporis & interdum nomen מַשָּׂא, *massa*, id est, oraculum singulare & separandum ab aliis enuntiatum propheticum. *Jes.* XIII, 1. *Jer.* XXIII, 23. 24. *Nah.* I, 1. *Zach.* IX, 1. alibique. Uni plerumque pelli seu membranæ u a inscribi solebat pericopa, nisi esset longior. Membrana ejusmodi litteris consignata convolvebatur extra lectionis usum, & volumen ipsum adpellabatur *Gillajon*, גִּלָּיוֹן,

Jeſ. VIII, 1, item *Megillah*, מְגִלָּה, *Jer.* XXXVI, 6. 14. 20. *Ezech.* III, 1. 2. 3. II, 4. *Pſ.* XL, 8. *Eſr.* VI, 2, eo quod circa bacillum, lateri uni adfixum, convolvi ſolebat. Niſi *Chriſt. Gottl.* SCHWARZIUS d) et *B. de* MONTFAUCON e) heic nobis feciſſent otia et de membranis litteratis ac voluminum forma copioſe expoſuiſſent, plura adjungi poſſent, vel nos varia ex *Hermanno* HUGONE *de prima ſcribendi origine* ejusque novo editore, et ex aliis libris huc poſſemus transferre. Singularia vaticinia vix fuerunt divulſa et per partes transpoſita, quoties uni membranæ fuerunt inſcripta. At membranæ omnes ad temporis ordinem in prophetis majoribus non fuerunt a collectoribus poſitæ. Ad ordinem hunc dijudicandum et definiendum opus eſt multiplex notitia, haud vulgaris cautio et alia adjumenta.

§. 2.

d) *Diſſ.* II. *de Ornamentis Librorum apud Vet.* Lips. 1706, 4. 1758, 4.

e) *Palæographia Græca* I, 4. *Paris.* 1705, Fol. Conf. IO. MABILLONIUS *de Re diplomatica* I, 8. *H.* VALESIUS *ad Euſebii Hiſtoriam Conſtantini* IV, 7. *C. H.* TROTZ *ad H. Hugonem de prima ſcribendi origine* p. 89, *ſ. Trajecti ad Rhenum* 1738, 8.

§. 2.

Impedimenta dantur varia, quæ nos circumdant, ordinem pericoparum chronologicum inveſtigaturos. Interdum initia et finis pericoparum majorum non indicantur verbis luculentis, ſed demum ex argumento ejusque partibus ſcopo conſentaneis ſunt eruenda. Alibi turbant nos diviſiones in capita et horum diſtributiones in minora inciſa, ſæpius ordini pericoparum adverſæ. Sæculo III et IV, nec non quinto cœperunt Critici Chriſtiani libros biblicos, e variis pericopis collectos, dividere in κεφάλαια, *capita*, et στίχες, *enuntiationes*, unam ſententiam integram complectentes. Ubi earum diviſionum auctores ſenſum ſcripti non ſatis perſpexerunt; ad parentheſes ſecernendas non attendebant ſatis: nec quæſtiones ab enuntiatis ſimplicibus ſepararunt: nec objectiones a reſponſionibus, quæ illis ſubjunctæ ſunt, diſcreverunt; diviſionis ſuæ adminicula verterunt in lectorum offendicula, et in cauſſa fuerunt, ut difficilior f) his evaſerit inventio ſententiæ Autoris. Succeſſit priori illi diviſioni in capita et ſtichos tandem ſæculis XII et XIII diviſio in capita lon-

f) Conf. *Io. Iac.* WETSTENII *Diſſ. de Interpretatione Novi Teſtamenti* pag. 875, *in calce To. II. N. T. Græci.*

longiora, ad pericopas definiendas et dignoſcendas inhabilis et ſæpius incommoda. Si qua pericopa erat longior, quam ut uni membranæ inſcribi poſſet, pluribus membranis ea inſcriberetur neceſſum erat. Id ſi uſu venerit, membranæ earundem materiarum erant Indiciis ſeu notis litterarum numerandæ. Quis vero auſit contendere ſacramento, indicia illa ex crebro uſu membranarum vel ex aliis caſibus nunquam fuiſſe obliterata? nunquam fuiſſe detrita? nunquam evanuiſſe? Id ſi contigit forte, membranæ ſeu volumina ſic potuerunt collocari, ut pericopæ veterem amiſerint locum. Ubi ſeries rerum geſtarum juvabat magiſtros rei criticæ, ibi induſtria eorum in diſponendis tractationum ac narrationum partibus non facile aberrabat. At ſimulac incidebant in volumina, quæ ſeparatim complectebantur ſpecialiores Hiſtorias, in diſpoſitione ſua fallebantur facilius, quam primum negligebant filum chronologicum, ejusque telam recte perſpiciendam et obſervandam. Rectius ipſi feciſſent propoſito ſatis, ſi, in hunc caſum conjecti, pericopas ſegregaſſent a reliquo corpore, et, præmiſſa nova inſcriptione, ſeorſim poſuiſſent. Dum enim adfinitatem argumenti citra ordinem chronologicum ſecuti ſunt in inſertione nonnullarum pericoparum

rum inter ea, quæ de argumento eodem erant ſcripta, facile labi potuerunt et ſeriem temporis turbare, atque lectorem impedire, quo minus genuinum ſequeretur ſenſum. Accedit quod hac conditione lectores erroribus exponi potuerunt, nequid dicam de objectionibus, quas homines juſto liberiores inde ſacris litteris earumque auctoritati obmoliri tentarunt, vel in poſterum poterunt intentare.

§. 3.

Ut igitur pericopas voluminum diviniorum recte internoſcamus et diſtinguamus, neceſſum eſt, ut

1) volumen univerſum diligenter perlegamus, idque nobis reddamus familiariſſimum: ut

2) ad diviſionem in capita et inciſa minora tantisper non attendamus: ut

3) Chronologiam, ſi ei locus eſt, Geographiam veterem et hiſtoriam populi Dei æque ac nationum circumvicinarum ob oculos poſitam ſervemus nec unquam | ex attentione dimittamus: ut

4) ea, quæ inſtar membrorum conſpirant cum uno capite, cum uno ſcopo primario, cum Cronologia per modum

dum ejusdem rei articulorum, eodem argumento junctorum, ut ne dilaceremus, sed potius pro uno corpore, pro una compage et una pericopa habeamus: ut

5) ea, quæ produnt diversitatem scopi, nationis, temporis, locorum et argumenti, versemus, relegamus et mediremur, nec non intra corpus voluminis integrum dignoscamus: ut

6) totum volumen iterum iterumque, postquam pericopas distinguere cœpimus, attente perlegamus, atque ut observata vel emendemus vel confirmemus: ut

7) novam pericopam ibi ne inchoemus, ubi caput novum inchoatur, ubi Rabbini vel Exegetæ alii, nullis rationibus commoti, pericopam novam deprehendere sibi visi sunt. Exemplum hujus regulæ est caput Iesaiæ XXIX, quod ad Sancheribum referri solet, nullo argumento prælucente: ut

8) libellorum seu pericoparum ætatem, si fieri potest, eruamus:

9) historiam et ritus ætatis illius in promtu habeamus, siquidem sæpius per ignorationem illorum a tramite discedimus: ut

10)

10) pietatem, quam Deo debemus, dimittamus nunquam, ne pravitas critica animum occupet, neu illa finem, quem Deus benigniſſimus litteris ſacris prædefinivit, ſolicitare audeat.

§. 4.

Ea, quæ tanquam partes ad ſcopum voluminis primarium collineare debent, per pericopas particulares dividantur neceſſum eſt, quotiescunque ex omiſſione illius diviſionis naſcitur vel obſcuritas vel occaſio ſiniſtre ſentiendi de ſententiis, quarum interpretatio non ſolum ſcopo primario eſt conſentanea, ſed etiam intra argumenti complexum lucida et ab omni errore remota. Huc ſpectat ea cautio, qua in prophetis eorumque pericopis interpretandis non ubique verba futuri temporis ſunt indicia eventuum futurorum, ſed non raro ſunt formulæ præceptionibus onuſtæ. Nam Hebræi utuntur etiam tempore futuro, quum, quid ſit faciendum quidve fugiendum, ſignificant. Quotiescunque igitur prophetæ ſubjungunt vaticiniis pœnarumque prædictionibus vel liberationibus indicia futuri temporis, quibus virtutum cultura et vitiorum evitatio ſignificatur; præcepta et admonitiones exhibentur, præcipue ſi eo eventu ſic conſtiterit res ipſa, ut

homines, ad quos vaticinium ſpectavit, exitu ipſius impleto haud reſipuerint.

§. 5.

In cenſum hunc venit diviſio pericoparum *Eccleſiaſtæ* Salomonis. Rex hic, vanitatem rerum humanarum tandem aliquando perſentiens et expertus, animum ad id quærendum et definiendum adpulit, quod mentem avocare a rerum fluxarum amore, et eam tranquillare excellentioribusque bonis adficere poſſet. Eum in finem univerſitatem quorumdam virorum ſtatis diebus coire juſſit in locum communem ſuasque cum cœtu ſententias communicare, quæ collectæ exierunt tandem ita in lucem et ea ratione litteris proditæ fuerunt, ut ignoremus fere numerum eorum, et quid hi ſenſerint ſigillatim. Congregatio illa ſeu academia ſcientiæ moralis adpellata fuit *Koheleth*, *congregatrix*, et Salomo nomen geſtavit in ea *Jſch koheleth* et elliptice *koheleth* I, 1. 2. XII, 8. 9, quippe autor Societatis et ſocius conſortii, quod e pluribus coaluerat viris ſapientibus ſeu magiſtris collectionum, quibus magiſtris ſententiæ morales ac dogmaticæ, ut videtur, fuerunt infixæ ac traditæ a *paſtore uno*, XII, 11, qui ab Ezechiele XXXIV, 23, haud aliter deſignatur ac ipſe Meſſias. Conf. *Ies.* XL,

XL, 10. 11. *Io.* X, 11. Sunt tamen, qui Salomonem ipsum existimant fuisse pastorem seu principem unum, sententiarum præstantissimarum autorem, quas collegerint *magistri collectaneorum* בעלי אספות. Sunt tamen, qui metonymice per duo hæc nomina intelligi volunt ipsa *collectorum scripta.* Pluribus certe sapientibus ibi tribuuntur verba in litteras redacta, hominibus quasi insita et instar seminum in animos plantata, ab uno pastore tradita, quibus adjungitur admonitio, de compluribus ejusmodi voluminibus elaborandis et in litteras redigendis. Innituntur hæc interpretationi huic in XII, 11. 12. 13. *Verba sapientum instar stimulorum*, quibus pecora et jumenta propelluntur, *et instar clavorum* sunt, *insita* et inserenda animis tanquam plantarum semina. *Magistri collectionum* seu collectores illorum verborum, earum sententiarum, *dati* ac constituti *sunt a pastore uno. Et quod est ex istis amplius* atque excellentius, *fili mi*, lector, *commonefactus esto.* Faciendi *volumina multa ne esto finis, et studium* ejusmodi *multum* esto *defatigatio carnis* seu hominis, ita tamen ut *meta cujusque sententiæ audiatur*, quæ in reverentia, Numini supremo testanda, atque in cultura præceptorum ejus nec non

in

in exſpectatione judicii tandem univerſalis, quod nulla recte maleque facta effugere poterunt, conſiſtit. In præſens interpretationem accuratius eviſceratam promere non licet. Alexandrinus græcus Interpres ab ea interpretatione non abhorruit, excepto quod *baale asüphoth* vertit per παρὼ τῶν συναγμάτων, ſeu, ut in aliis Codicibus legitur, παρὰ τῶν συνθεμάτων, *a collectionibus* ſeu congregationibus: et id in incerto relinquit, an homines congregatos, an verba collecta, intelligi velit. Utraque tamen notio, ad verba Sapientum relata, in ſignificationem et hominum et collectaneorum, ab illis profectorum, conſpirant. Si ſapientum verba ſimul et per unam compoſitionis juncturam fuiſſent exhibita, Salomoni non adtributa fuiſſet ſententia prima, quæ docet, omnibus hominum conatis et actionibus, ſi a Deo et ab amicitia cum illo ineunda diceſſeris, eſſe vana omnia, nec ſolidam mentibus hominum felicitatem ſuppeditare. Salomo ipſe hoc tradidit c. I. II. ſubjiciens epiphonema de fructu actionum, Deo probatarum c. II, 26. Tum vero videtur alius Sapiens induci III, 1-13, qui tranquillitatem animi in eo mentis ſtatu collocat, quo homines non in laboribus ſuis, convenienti tempore peractis, ſed in providentia Dei omnia regentis læti adquieſcunt.

escunt. Clauditur hæc tractatio epiphonemate, quod docet, donum Dei esse, si homines laboribus suis defungentes bono et tranquillo sint animo. Succedere videtur sententia tertii Sapientis, qui cum Dei dominatu comparat ea, quæ vulgo inter homines improbos fiunt et adparent, quorum vix ullus animum serio adtendit ad excellentiam hominum præ bestiis. Subjungit tandem judicium suum, III, 22, hominum esse, lætitiam inter labores ex dominatu Dei conceptam tenere et Deo futura committere. Pergere videtur Sapiens alius ad injurias et calamitates, quas homo homini in hac vita creat IV, 1-5. Idem claudit sententiam suam gnome hac: Pugnus unus cum tranquillitate conjunctus excellit pugnis duobus, ærumna et calamitate animi plenis. IV, 6. Singuli Sapientes videntur sententiam suam passim inchoasse præmissis verbis וְשַׁבְתִּי אֲנִי, *tum redii ego & vidi*, id est, *denuo consideravi*. Alius Sapiens videtur IV, 6-16 induci, qui vanitatem actionum humanarum perstringit, socialem laborem laudat, et spei fragilis fatigationem damnat. Deinceps videtur induci Sapiens, qui officia in Deum inculcat V, 1-8. Alius Sapiens vanitatem & ærumnas divitiarum enarrat, subjicitque cautionem, ut ei, qui aliis potentia

ac

ac divitiis anteeunt, lætitiam a Deo & ex ejus dono recipiant ac ita tranquillo animo bonis ſuis utantur. V, 9-19. VI, 1-11. Conſiderationem vitæ brevis ac mortis inevitabilis videtur alius Sapiens hominibus ſuadere, VII, 1-15, inculcans tranquillitatem animi, quæ in rebus anguſtis non ſit deſerenda. Excipere eum videtur ſuaſio alius Sapientis, qua docemur ſapientia recte uti, & Deo nos approbare, ut inſidias improborum effugiamus, VII, 16-27. Tum ſequitur ſententia totius congregationis, VII, 28, non eccleſiaſtæ ſeu præſidis ſolius. Nam offeruntur lectori hæc verba: אָמְרָה קֹהֶלֶת, *dixit congregatio.* Exhibentur deinde congregationis hujus variæ doctrinæ VII, 29. 30. VIII, 1-15, quarum ſumma eſt, piis fore bene & improbis tandem male, hominique ſtudendum eſſe, ut a Deo obtineat donum lætitiæ, quam inter laborandum, inter edendum atque bibendum, percipere ac vitam ſuam jucunde poſſit tranſigere. Alius Sapiens ad ſcientiæ ſtudium propius conſiderandum ſeſe accingit VIII, 16, ſ. idque eſſe mancum, tenebroſum & vanum, ac ſtultitia imbutum probat. Additur ab eo monitum, ut quisque hac vita lætus, animoque bono ſuſtentatus utatur, IX, 7-10. Sapiens alius in-

duci-

ducitur per verba, *tum redii ego & vidi*, IX, 11, qui ſapientiam quidem laudat, at, ei ſæpius locum non relinqui, monet, ſiquidem caſus ubique valeat, ſtultique eam oppugnent. Ea propter ſuadet continentiam animi & moderationem, ne nobismet noceamus neu a ſtultis peſſumdemur. X, 1-20. XI, 8. Tandem Salomo, congregationis præſes, ſubjungit præceptum de Deo a teneris reverendo, de vitæ decurrentis vanitate, ac de actionum meritis demeritisque in judicio pantocritico recte penſandis atque de mercede æterna, XII, 1-8. 13. 14. Inciſa duo 9 & 10 parentheſi ſunt includenda. Si ordo harum pericoparum in lucem fuerit collocatus, opportunitas major lectoribus oborietur. Nolim tamen hanc Eccleſiaſtæ in pericopas diviſionem aliis obtrudere, quin potius eam aliis trado examinandam & emendandam. *Canticum Canticorum* eſt diviſum per colloquentes ſponſum, ſponſam, & chorum ſubinde intercinentem I, 12. III, 21. V, 9-17. VI, 7. 8. fin. 12, fin. VIII, 11. Caput tamen ultimum videtur ponendum inter II, 16 & 17.

§. 6.

Obſervantur mihi loca & exempla alia, quæ faciliori diligentia in ordinem peri-

pericoparum rediguntur, tempori & argumento consentanearum. Recolere memoriam libet capitis XX. *Geneseos*. Id quondam constituisse videtur volumen unum, uni membranæ insculptum vel inscriptum. Volumen id si ad ordinem temporis servandum fuisset suo loco positum inter reliquas Abrahami res gestas, adpareret id c. XIII inter incisum secundum ac tertium. Nam Abrahamus, ex Aegypto redux, secessit in oram Cananææ australem. Eo tempore Sara adhuc pulcritudine erat eximia. At paullo antequam Sodoma & Gomorrha perirent, ipsa jam vetulam agebat, ac a risu sibi non poterat temperare, quum angelus Dei nuntiaret, fore, ut puer ex ipsa nasceretur. XVIII, 12. Ipsa tunc temporis jam habebat annos nonaginta. XVII, 17. Quomodo Abimelech, Rex Geraræ, quæ videtur esse Rhinocorura, quomodo pulchritudine Saræ, quæ tot expleverat vitæ annos, potuit oblectari? Succurrit ejusdem Abimelechi Regis fœdus cum Abrahamo juxta locum, qui postea Beersseba vetus adpellatus fuit, initum ac firmatum. XXI, 21-34. Non omittendum est, Abrahamo ea ætate diuturnum fuisse domicilium inter Philistæos. Id, quod traditur XXI, 21-34, adjungendum omnino est superiori notitiæ de Abimele-

melecho, olim volumini peculiari inſcriptum. Ordo itinerum Abrahami ſuadet, ut ſic rationes oporteat putare. Abrahamus enim ex terra Philiſtæorum migravit Bethelam, XIII, 3. Inde tabernacula ſua movit ac ſe tranſtulit in *Aulonem*, a *Mamre* dictum. XIII, 18. Aulon ille nunc vocatur campus Sabe, & Mamre eſt Sichem, PLINIO teſte, ab incolis dicta *Mamortha*, &, Joſepho teſte, *Mabharta*. In hebræo fonte hæc leguntur: וישב באלני ממרא אשר בחברון Ea ſunt ſic interpretanda: *Habitavit*, ſedem cepit, *juxta aulonas Mamorthæ, qui ſunt circa Chebronem.* COTOVICUS f), MAUNDRELLUS aliique iſtas valles, inter montium juga ſinuoſas, deſcripſerunt ſatis ſuperque, quas EUSEBIUS & HIERONYMUS adpellarunt hebræo vocabulo *aulonas* g). Haud procul Sichema ſeu Neapoli ſitus fuit locus Chebron borealis, ab auſtrali urbe cognomine diverſus ſatisque disjunctus. *Aulon More* ſeu Mevareh, Mabartæ, prope Sichemum in Canaanæorum terra tunc obvius erat proficiſcentibus ac beſtiarum pascendarum ſtudioſis. XII, 6. Quum Lothus, ex fratre Abra-

f) Pag. 356.
g) RELANDUS *in Palæſtina* I, 55. p. 364.

Abrahami nepos a Kedor Laomer in captivitatem abriperetur, Abrahamus ſedem habebat ac domicilium juxta *Aulonem Mamre*, viri primarii, a quo urbs Mamre nomen traxit. XIV, 13. Ex eo domicilio Agar fugam capeſſivit, Ægyptum petitura, quam tandem juxta viam, quæ *Schuram* ferebat ante Ægyptum, Angelus deprehendit inter *Beredam* & *Kadeſch*, locum auſtralem. XVI, 7. 14. Utrumque locum indicarunt Euſebius ac Hieronymus, & non procul Beerſeba vetuſtiori ſitum fuiſſe, docuerunt. Tentoria ſua ex Aulone Mamorthenſi, *Elon Mamre*, uondum moverat, quum a tribus Angelis inviſeretur. XVIII, 1. Iſaaco nato illuſit Iſmaël. Expulit itaque ob preces Saræ Abrahamus Iſmaëlem cum matre & utrumque cibariis ac potu inſtruxit, itineri convenientibus. Mater a via, in Ægyptum ferente, aberravit intra deſerta Beerſebenſia. XXI, 14. Si Abrahamus ad Beerſeba tunc habuiſſet domicilia, potus in vicinia non defeciſſet Saram, nec ipſa deſperaſſet de vita Iſmaëlis, ſiquidem potum denuo ab Abrahamo recipere potuiſſet. Commoratus fuit Abrahamus, quum moreretur Sarah uxor, eodem in loco ad *Mamre juxta Chebronem*, ac haud procul inde in *Machpelah* Saram ſepeliri curavit. XXIII, 20. *Aulon Chebronis*

bronis hujus non multum abfuit ab urbe *Sichem* XXXVII, 14. Videtur hic aulon fuiſſe pars regionis Acrabattenes borealis, quæ ab Accrabbim verſus Ierichuntem tendebat. *Accrabbim* olim vicus erat verſus Orientem novem milliaribus Romanis ab urbe Sichemo erga Jordanem diſtans, ad viam regiam, EUSEBIO teſte, idemque fuit vicus. Circa *Sichemum* enim ſepulti fuerunt Sarah, Abraham, Iſaac & Iacobus, *Act.* VII, 16. Stephani hoc teſtimonium elevare & profligare ſtuduerunt cenſores nonnulli. At fide illud eſt pleniſſimum. Nam Patriarchæ illi ſepulti fuerunt ad unum omnes in caverna *Machpelah*. Hæc vero non multum aberat a *Mamre*, *Gen.* XXV, 9, ſeu Mamortha, id eſt, *Sichem*. Plerumque Commentatores *Chebronem* ſeptemtrionalem ignorant, quia ad auſtralem inde ex Sæculo IV indigenæ lucro peregrinatorum inhiantes, ibi ſepulcra patriarcharum monſtrarunt gg). Adde locum *Joſ.* XXIV, 32. Conf. *Gen.* L, 13. Planitiem ſeu Aulona Moreh fuiſſe ad Sichenam, miſchnici doctores tradunt in *Sotah* VII, 5. Et RELANDUS h) docuit, nomen

gg) *Hiſtoire univerſelle d'une Compagnie.* Tom. II. pag. 128.

h) *Part.* I. *Diſſertationum miſcellanearum.*

men *Mavartha* ex *Moreh* ab indigenis fuisse ortum, qui id pronuntiaverint per *Mevarah*. Pronunciatio certe non eadem fuit per singulos Palæstinæ tractus & circumvicinas regiones. Unde in ipso sacro codice non eadem eorumdem locorum semper leguntur nomina. Olim LIGHTFOOTUS id studebat, ut pericopas sua sede motas restitueret locis suis. At fidem suam haud liberavit. Ipse volebat (i) *mire numerum omnium textuum atque historiarum, quæcunque per* V. T. *sede sua sunt motæ, quod locis oppido multis factum est; ostendere item, quæ propria iis sedes & ordo sit, & causam exponere tralationis in aliam sedem: quæ quum adeo in* V. T. *frequens occurrat, facile intelligit quilibet, minus mirum atque alienum videri debere, si idem contingat in Novo.* Hæc ille.

§. 7.

Sunt, qui ad notationes ejusmodi criticas, quales exhibuimus, contremiscunt, rati, ita actum esse & conclamatum de integritate Bibliorum sacrorum, de doctrinis ad veritatem & beatitudinem tendentibus, nec non de ea auctoritate, quam divinioribus litteris debemus. Id vero commentitium esse & effictum terriculamentum, facile

i) *Epistola ad Lectorem* p. 236. To. I. Opp.

facile est intellectu. Nam, sententiæ singulæ complexuum orationis manent intactæ & illibatæ, licet volumen hoc vel illud ordine chronologico non fuerit collocatum. Perstant, quia retinentur & permanent sententiæ eædem, singula dogmata fidei & præcepta morum adhuc stant salva, & ne hilum quidem eorum excutitur, mutatur, vel perit. Auctoritati igitur sacrorum voluminum inde nihil decedit, nihil deteritur, nihil subducitur. Avertuntur vero per ordinem pericoparum chronologicum restitutum errores historici, & frivolæ objectiones, quas malesani Bibliorum obtrectatores codicibus sacris, e quibus Biblia sunt composita, inferunt, repelluntur vel potius sua sponte collabuntur & evanescunt. Quum igitur non contemnendus inde elucet usus & damnum inde nascitur nullum, de fructibus ex tractatione hac decerpendis dubitandum non est. Et hæc est causa, cur calamum nondum ponere libeat, & ratio quæ me adducit, ut institutum meum persequar & ad ea, quæ huc spectant, gradum porro promoveam.

§ 8.

Offerunt profecto se ibi nonnumquam distinguenda & separanda in priscis Autoribus, ubi id faciendum esse lectores

nequidem ſuspicantur. Volumen enim unum & alterum membranaceum, eo quod numeri litteris notati in dorſo detriti fuerant, contextui orationis ibi a poſteris inſerti fuerunt, ubi volumen vel ei inſcriptum opus non debebat locum occupare. Unum volumen membranaceum olim complexum fuiſſe videtur capita noſtra *Matthæi* XII & XIII, quod librarius priſcæ ætatis collocare debuerat ante *Matthæi* IX, 28. Conſule ordinem chronologicum, quem ſervant & exhibent *Marcus* atque *Lucas* k), ſiqua tuo animo inſedit dubitandi anſa. Volumen aliud ea continebat olim, quæ leguntur in *Actis* inde ab XVIII, 22, usque ad finem verborum ποιήσας τε μῆνας τρεῖς XX, 3. l) Id ipſum ponendum erat ante caput XVI, 7. Connectenda enim ſunt verba XIX, 22, ἀπήχθησαν ἀπὸ Ἐφέσου cum illis XX, 3, γενομένης αὐτῷ ἐπιβουλῆς

k) Nonnihil monuit LIGHTFOOT in *Harmonia quatuor Evangeliſtarum* p. 516. *To.* I. *Opp.* Sed rem ipſam haud extricavit, operi cœpto haud immoratus, & in limine propemodum eam dimittens.

l) In fine inciſi ſecundi hæc in plerisque editionibus leguntur, non tamen in ea, quæ in uſum Græcorum prodiit in lucem *Witteberg*æ cura *Erasmi* SCHMIDII, 1622, 4. Hæc jam in manibus erat.

βελῆς ὑπο τῶν Ἰουδαίων. —— Resumsit in his enuntiatis connectendis telam historicam specialiorum *Lucas*, ut ostendat rationem, cur Paulus non recta Ephesum, Asiæ Minoris urbem, navi delatus fuerit, licet proxima Pentecoste Hierosolymis coram adesse decrevisset & destinasset. Conspiraverant scilicet quidam Iudæi, qui cum Paulo in eadem erant navi, in necem Paulo inferendam. Comitari volebant Paulum in Asiam Sopatrus, Aristarchus, Secundus, alii. Hi anteceperunt illud iter & Troadæ exspectarunt Paulum. Hic vero, circuitione usus per Macedoniam, intra dies paschales Philippis conscendit navim ac comites præmissos Troadæ ad oram Asiæ minoris invenit. Hæc generatim enarrantur XX, 3-6. Paulus Cenchreis relictis ex portu urbis ejusdem navigavit Ephesum. Ibi in Synagogam sese contulit ac pro more suo Iudæos docuit, Iesum esse divinitus promissum Messiam. Rogabant ibi ipsum Iudæi, ut tempus aliquod secum degeret. At, Pentecosten proximam quum Hierosolymis esse apud animum statuisset, vale ipsis dixit & navigavit ad portum Macedoniæ. Thessalonice relicta pedestri itinere pervenit per Macedoniam Philippos, ubi denuo navim conscendit, quæ ipsum traduxit Troadam. Memoratu dignum est, quod

Paulus *Epheſum*, urbem Aſiæ Minoris proconſularem, præternavigaverit ac presbyteros ſeu epiſcopos Epheſi ad ſeſe *Miletum* juſſerit venire. Niſi hunc ordinem itineris temporisque Paulini ob oculos habueris poſitum, ac voluminis membranacei verba in locum ſuum colloces, non poteris te ex difficultatibus, indiſſolubilibus alias, extricare. Nonne alias credes, Paulum *Cenchreis* veniſſe *Epheſum* Aſiaticam, inde veniſſe in *Macedoniam*, & *Philippis* navigaſſe *Troadam*? Quis eum in *Macedoniam* revertiſſe, ſibi perſuadebit, qui nolebat *Epheſi* diutius moras nectere, eo quod itineri inſtabat Hieroſolymitano *). Et quis conabitur ea, quæ leguntur *Actor.* XVIII, 22, usque ad XX, 3, ante ποιήσας τε μῆνας τρεῖς in illud tempus conpingere, quod effluxit a Cenchreenſi itinere Pauli usque ad articulum temporis Pentecoſtalis admodum feſti? *Corinthum* Paulus reliquit *Cenchreisque* ſubiit navale iter tribus fere hebdomadibus ante dies paſchales. Pentecoſten

*) Cenchreis enim navigare in Syriam voluerat XVIII, 18, proximo feſto Hieroſolymæ futurus v. 21. At ob inſidias Iudæorum evitandas Syriam omiſit & per Macedoniam reverti ſtatuit XX, 3, feſtinans tamen, ut Pentecoſten Hieroſolymis celebraret XX, 16. WETSTENIO hæc non ſuboluerunt.

coſten omnino Hieroſolymis exegit. Niſi proinde volumen, minus recte codici inſertum, reponamus in locum ſuum, difficultati nos immergimus, unde non licet eluctari. Id tamen omittendum non eſt, duas fuiſſe urbes, quibus *Epheſi* fuit nomen & *Apheti*, unam in Theſſalia ad mare ſitam, alteram in Aſia proconſulari illuſtrem. Ad illam ſeſe Paulus contulit, navi ob Iudæorum inſidias relicta; hanc vero poſtea præternavigavit. Urbs prior olim vulgo adpellata fuit *Aphetæ*, interdum *Aphetos* & *Epheſos*. Sita erat ipſa ad littus orientale & ſinum quidem Pagaſæum. Noſtra ætate loco nomen eſt *Fetio*. Situm urbis Geographus Regis Galliarum Potentiſſimi Nob. D' ANVILLE (m) multa cum cura deſcripſit. Ex portu hujus urbis patuit Paulo iter navale ad portum *Theſſalonicæ*. In hac urbe, quum inſtarent feſti dies paſchales, Paulus ſcripſit ſine ullo dubio epiſtolas quasdam breviſſimas ad amicos, ut ipſis, ubi eſſet, foret exploratum. Itinere autem terra Philippos inſtituto defunctus, epiſtolam quandam dedit ad *Corinthios*. Aphetis ſeu *Epheſo* Theſſaliæ navem ſolviſſe dicuntur Argonautæ. De ur-

m) *Analyſe de la Carte de la Gréce & l'Archipel, Sect.* V. *a Paris*, 1757, 4.

be ipſa expoſuerunt HERODOTUS n), DIODORUS, *Siculus* o), STRABO p), aliique, eamque portu, incolis, & navigatione frequentem fuiſſe, memoriæ litteris prodiderunt. Sunt qui hanc urbem vocarunt *Epheſum* & *Apheton*, haud ſecus ac Epheſum Aſiæ proconſularis. Utramque præfluit amnis Geſſus, ſeu Gaſus, ſeu *Heſſus*, *Heſus*: Unde ortum eſt nomen *Epheſus* quaſi ἐφ' ἕσσῳ, *juxta Heſſum* ſeu *Heſum*. PLINIUS q) Geſſum amnem Trogilio promontorio atque Epheſo Aſiaticæ adplicat. Pagaſa ac Aphetos; Epheſus Theſſaliæ, pariter ad amnem Gaſon ſeu Heſon erant ſitæ. Hæc obiter ad nominis originationem. *Leſſum Jeremiæ*, quem novimus indicari 2 *Chron.* XXXV, 25, & quem IOSEPHUS r) ætate ſua adhuc ſupereſſe docuit, ſcriptores diligentiſſime inveſtigarunt; pericopam utique memoratu dignisſimam, deprehendi tandem exſtare inter Pſalmos, ibique eſſe Ps. 44 *). In rebus enim

n) VII, 193.
o) XI, 12.
p) L. IX, p. 605.
q) H. N. V, 29.
r) *Ant. Iud.* X, 5. p. 520.
*) Peculiari Diatriba hoc egit S. V. HARENBERGIUS, quæ exſtat in *Symbolarum Literariarum Collectione Altera*, quæ Halæ A. 1754.

poſt

enim historicis levior fit ejusmodi investigatio.

§. 9.

Observantur interdum pericopæ oculis, quæ videntur convenientem in locum non esse collocatæ, nec tamen extra ordinem sibi consentaneum leguntur. In hunc censum refero narrationem de uxore Abrahami Ketura. GEN. XXV, 1-6. At si revocavero omnia ejus pericopæ momenta sub examen rigidissimum, nullam sentio mihi oboriri rationem, cur, eam pericopam fuisse transpositam, suspicer. De Isaaco enim paullo ante injecta fuerat mentio, quem fuisse Abrahami ex asse hæredem, quantum ad promissionem de Cananææ possessione & alia potiora adtinebat, deinceps in pericopa, de qua agimus, commemoratur. Si interpretatio pericopæ paullulum emendetur, intercidit eo ipso omnis de transpositione facta levior illa suspicio. En interpretationem: *Abrahamus præterea*, præter Isaaci matrem Saram, *duxerat uxorem*, indubie olim in Ur Caschdim, ibique mortuam, *cui nomen Ketura.*

Hæc

post mortem Cel. IKENII a viris Doctissimis ejusdem nominis & cognominis, *cognato & filio* edita fuit. N. B.

Hæc etiam ipſi pepererat Simranum, Iokſchanum, Medanum, Midianum, Jiſchbacum & Schuchum. Jokſchan genuit Schebham, & Dedan: filiique Dedanis erant conditores Aſchureorum, Letuſchæorum & Leümmæorum. Filii porro Midianis erant Ephah & Epher & Chanoch & Abhida & Eldaah. Omnes illi erant nati ex Ketura. Dedit tamen Abraham, quicquid ipſi erat, Iſaaco; filiis vero uxorum ſecundariarum, quæ Abrahamo fuerant, dederat Abrahamus dona, & dimiſerat eos, ab Iſaaco filio ſuo ſeparatos, *quum adhuc ipſe viveret, Orientem verſus ad terram* Palæſtinæ objacentem *orientalem.* Illud ויוסף ויקח אשה non erat ita reddendum, ut videretur Abrahamus, Sara defuncta, Keturam duxiſſe uxorem; ſed potius hunc in modum: *Et perrexerat ducere uxorem,* id eſt, *præterea ſumſerat uxorem.* Carent hebræi nota temporis plusquamperfecti, quod tamen ſæpius indicarunt, ex indiciis rei geſtæ definiendum rr). Pericopa igitur hæc debito adparet loco & rationem complectitur, cur Iſaacus Rebeccam

rr) Poſt Saræ mortem Abrahamo Keturam in manum & conjugium veniſſe, & Abrahamum ex hac & uxoribus ſecundariis liberos procreaſſe per fecunditatem miraculo adnumerandam, perſuaſerunt ſibi ALEXANDER POLYHISTOR, JOSEPHUS, WILLET, AINSWORTH, POLUS, PATRIK, *alii.*

cam induxerit in Matris Saræ tentorium ac patris fuerit hæres ex asse: & cur nati ex Ketura & ex uxoribus illis secundariis, natorumque eorum posteri, in terræ divinitus promissæ societatem non debuerint venire.

§. 10.

Quæ de *Iethronis* adventu ad Mosen referuntur EXOD. XVIII, *Io.* LIGHTFOOTUS, s) interponenda esse censet inciso decimo ac undecimo *Num.* XI, veritus tamen adfirmare, pericopam illam esse transpositam, perhibens potius, adventum Iethronis illum *Ex.* XVIII fuisse memoratum, ut significaretur, Iethronem partes Amalekitarum non fuisse amplexatum, licet inter eos domicilium tenuerit t). Rationem hanc videtur excogitasse ad avertendam speciem transpositionis, ne empæctis occasionem detrahendi auctoritati sacrarum litterarum suppeditaret. Ipsa enim hæc ratio nullis argumentis propugnari potest. Argumenta, transpositionis suspicionem moventia, adfert LIGHTFOOTUS haud una

s) *Chron. temp. & Ordo text. V. T. p.* 33. 34. *To.* I. *Opp. Roterod.* 1686, *fol.*

t) Id LIGHTFOOT ex I. *Sam.* XV, 6, frustra conatus fuit evincere.

una u). Primum inde desumsit, quod Iethro dicitur *holocausta & victimas in conspectu Dei* immolasse. *Ex.* XVIII, 12. Secundum inde decerpsit, quod Moses fertur tunc sedisse ad populum judicandum & ad leges Dei populo notas reddendas, v. 13. 16. Tertium deinceps procedit. Moses judices & seniores demum constituit, quum a monte Sinai discessit. *Deut.* I, 9. 10. En quartum denique. Murmuratio de Zippora non multo post orta fuit, quam a Iethrone ad Mosen fuit adducta, discessu Mosis a Sinai instante. *Num.* XII, 1. XIII, 1. Quartum argumentum est nullum; reliqua haud æque. Primo desunt x) plena nervi suique artus. Israëlitæ enim & ipse Iethro versus certum adytum, libere delectum, victimas & holocausta immolare consueverant ex more patriarchali. *Exod.* III, 18. VIII, 28. X, 25. Moses jam erexerat altare, antequam Iethro eum conveniebat. XVII, 15. Quis sibi persuadebit, illud frustra fuisse factum? nec in eo fuisse immolatum? Ad secundum argumentum diluendum

u) Hæc denuo exposuit, ut antea, *in Spicilegio ad Exodum Sect.* 23. *p.* 174. To. II.

x) LIGHTFOOT putat, nondum exstitisse tabernaculum sacrum ideoque non potuisse victimas immolari.

dum monere libet, Moſen operam dediſſe populo judicando, & Iethronem ipſi ſuaſiſſe ut conſtitueret leges, quibus congruenter judicia a judicibus inferioribus agitari poſſent. Leges hasce poſtea Deus ipſe conſtituit & cum Moſe communicavit. Ad tertium argumentum reſpondere facile poſſumus. Nam ſuaſioni Iethronis Moſes non ſtatim obſecundavit. Deus ab hoc de eo inſtituto conſulendus erat. Hoc numine ſuaſionem illam adprobante, leges populo ſunt promulgatæ ac deinceps judices ſecundarii ad eas exercendas conſtituti. Quis certo indicio, ut ad quartum progrediamur argumentum, nobis fidem faciet, quod initium murmurationis, contra Zipporam & Moſen excitatæ, paulo poſt Iethronis a Moſe diſceſſum cœperit? Quæ quum ita ſint, pericopam ſede ſua motam & in caput XVIII Exodi transpoſitam fuiſſe, merito negamus.

§. 11.

Pericopæ ſingulares, quæ olim inſcriptione propria caruerunt & propterea ad calcem libri, ad quem potiſſime ſpectabat earum argumentum, rejectæ ſeu collocatæ, dici non poſſunt transpoſitæ, dummodo ſeparantur a libro, cujus pars ſunt facti, ac quam primum titulo proprio præmiſſo ſignan-

signantur. Succurrit memoriæ tempus, ad quod referenda sunt capita XVII-XXI libri, quo de JUDICIBUS, seu potius de Vindicibus Hebræorum ante Reges exponitur. Neminem præterit, ea, quæ hisce capitibus narrantur gesta, incidisse in tempus, quod capite II, 10. fuit anterius. Nisi libro *Ruth* peculiaris obtigisset inscriptio, ipse pro parte libri, de *Judicibus* inscripti, reputaretur. Nam ea, quæ in codice, quo de Ruth exponitur, traduntur, ante quartum hujus de Judicibus libri caput, videntur respectu temporis esse collocanda. Multi PSALMI ponendi essent inter capita & incisa prioris libri, quem *Samuelis* adpellant, nisi hymnis ac odis illis obvenisset alia collectio accommodatior.

§. 12.

Pericopas JEREMIÆ ad ordinem Chronologicum redigere conati sunt JO. LIGHTFOOT in *Chronicis temporum & Ordine textuum Veteris Testamenti*, HUMPH. PRIDEAUX in *Connexione V. & N. Testamenti* in limine, JO. GOTTL. KALINSKY, & alii. GEORG. RAPHELIUS de vaticiniis Jeremiæ eorumque completione tam in *Adnotationibus ad Sacram Scripturam*, *Lugduni Batavorum* 1747, 8. conjunctim editis, (y) quam

(y) To. I. quo oracula non pauca V. T. illustrantur.

quam in expoſitionibus, quæ adhuc in Manuſcriptis latent, egregie meritus fuit. In *Jeſaia* multus fuit labor & ſingularis opera C. VITRINGA, qui alios commentatores multis paraſangis poſt ſeſe reliquit. At reſtat tamen in illo vate nonnihil, quod ejus perſpicaciam effugit. In AMOSO libelli ſeu pericopæ facile poſſunt internoſci, ſiquidem ordinis temporum omiſſionem ipſi indicant nunquam. JOELIS vaticinia ad Joſaphati ætatem veriſimillime adfixit CHRIST. FRID. BAUERUS (z), licet pericopas diligentiori cura diſtinguere potuiſſet. Si profiteri licet, quod ſentio, ingenue aperteque id præ me fero, quod res ipſa monet, ſcilicet ſupereſſe paſſim in prophetis vaticinia, quæ in pericopas ſuas nondum debite ſint diviſa ac diſtributa, partim ex inſcitia hiſtoriæ, partim ob defectum interpretationis præmittendæ, omnibus numeris ſuis abſolutæ, & diuturnam attentionem ad quævis minutiſſima poſtulantis. Exemplo ſit JO. LIGHTFOOT qui (a) caput XXIX. *Jeſaiæ*, haud ſecus ac capita XXIV.

(z) *Introd. in Prophet. Joëlis*, *Lipſ.* 1741, 1742. 4. Idem eſt ſentiendum de SAM. CHANDLERI libro. *A Paraphraſe and crit. Comment. on the Proph. of Joel. Lond.* 1735. 4.

(a) *Chron. temp.* p. 106. ſ.

XXIV, XXV, XXVI & XXVII. ad annum mundi 3294. caput vero XXIX. ad annum 3270. refert, licet capita XXVIII & XXIX. arcte cohæreant & unicam conſtituant pericopam. Ipſe in capite XXIX. ſibi videre videtur devaſtationem templi Hieroſolymitani per Nebucadnezarem, quam ſentiendi viam, niſi fallor, ad liquidum refelli. (*) Solidiora ſunt conata Viri Cl. pl. rev. J. G. KALINSKY, quibus vaticinia *Chabakuki* ac *Nachumi* deſignare atque illuſtrare (b) contendit, hiſtoriæ omnino priſcæ illius peritiſſimus, quæ ad orientis fata referenda eſt.

§. 13.

Pericoparum indicia in primis ob oculos verſentur oportet, ut eas recte ſolideque conſtituamus. Indicia illa ſunt vel in propatulo poſita vel attente expiſcanda ac eruenda. Evidentia ſua ſeſe commendant eæ declarationes, quæ præmiſſo vocabulo *Maſſa*, temporis nota, & indicio gentium vel hominum ſunt munitæ. Hiſce enim ſignis denotatur initium pericopæ. Si deinde ſequuntur conſimilia indicia alia, non dubitamus, quin pericopa nova ſit inchoanda.

(*) in Comment. quam ſequenti aliquo Faſciculo legendam daturus ſum. N. B.

(b) *Vaticinia Chabacuci & Nachumi*, itemque nonnulla *Jeſaiæ*, *Michaæl*, & *Ezechielis*, *Wratislaviæ oracula*, 1748. 4.

da. Sin vero hæc indicia a lectore non deprehenduntur, animus attendendus est ad argumenta rerum, & ea cum eis, quæ antecedunt & sequuntur, comparanda sunt, ut inveniatur nexus articulorum, ad idem corpus voluminis congruens, & ut separentur ea, quæ cum eo in concordiam redigi nequeunt. Circumspiciendum porro est id, quod notitiæ historicæ est consentaneum, & quod ætati vatis divini respondet, & id quod eventu ipso fuit impletum. Renuntiandum est præcipue opinioni isti exegeticæ, quæ docet, vaticinia veteris instrumenti spectare etiam ad partes ætatis, excidium templi posterioris Hierosolymitani secutæ, ne cum Rabbinis Judæorum verba prophetica V. T. extendamus ad imagines & figuras eventuum effictas & huc illuc mobiles. CHRIST. SCHOETTGENIUS hanc aberrationem exegeticam adpellavit *judaizantem* vanamque persuasionem, in qua tot sunt labyrinthi, quot sunt ingeniorum fecundiores venæ. Continuanda autem est pericopæ unius decursio, usquedum de eodem argumento exponendi sese offert finis vel pericopæ novæ exhibentur indicia. Siqua incidit parenthesis, ea non illico pro peculiari & nova pericopa est reputanda. Si cui inciso præmittitur indicium admirationis, commiserationis, vel

exclamationis, nec ulla ceteroquin vestigia argumenti prorsus diversi sese offerunt; non statim ad constituendum pericopæ novæ initium properare oportet.

§. 14.

Dantur pericopæ, quibus diverso loco argumentum continetur idem, & unde plerumque lux mutua accenditur pericopis invicem. *Parallelismus* tamen hic pericoparum caute est instituendus, ne ea, quæ non sunt eadem, falso putemus eadem esse. Et rursus, quando una vel altera pericopa per librarios in locum inconvenientem fuit posita, diversitas temporis, quæ non est ex narratione Auctoris, sed ex transpositione in pericopam tentata, parallelismum illum tollit. Prophetæ nonnunquam repetierunt vaticinium idem, licet verbis eisdem non usi fuerint, quemadmodum Jesus & Apostoli doctrinam eamdem iterum iterumque inculcarunt. Parallelismus vaticinantium, si hi eventus futuros prænuntiarunt, fuit vel ejusdem propheræ, vel vatum diversorum. In utroque, ne fallamur, conveniant oportet personæ, ad quas vaticinium spectat, item vaticinii summa & argumentum, & tempus implendæ prædictionis, si hoc forte fuerit adiectum, licet vaticiniorum ejusmodi enuntiatio diversis tem-

temporibus fuerit publicata. Nam, quæ differunt argumento, urbibus porro personisque, ad quas prophetia fuit directa, & tempore prænuntiato, ea omnino re ipsa discrepant. Ne tamen parallelismus turbetur genuinus, providendum est, ut ne falsam instituamus in uno vaticinio interpretationem, & ob eam vaticinium, quod ejusdem est argumenti, in vaticinium argumenti diversi convertamus. Interpretationem falsam ut effugiamus, manum operi haud admoveamus oportet, priusquam sermo Auctoris & momenta geographiæ, historiæ, rituum, quibus ætas illius fuit inserta, sint in expedito. Sæpius enim unicum vocabulum perperam intellectum est in causa, ut pericopas turbemus, vel earum parallelismum haud perspiciamus. Illustrabo id ipsum exemplo. *Ariel* nomen est geographicum, quod legitur *Jes.* XXIX, 1. 2. Ob locum Ezechielis sinistre expositum crediderunt multi, *altare* denotari isthoc vocabulo, & porro *templum*, simulque urbem Hierosolymam. Inde ratiocinati sunt & collegerunt Interpretes, Jesaiam prænuntiasse ibi excidium templi prioris ac Hierosolymæ ruinam. J. LIGHTFOOTUS *Chron. temp.* p. 108. in hoc numero est referendus, ita arbitratus: *Appellat* Jesaias *Altare Arielem, & Hierosolymam*

Arielem sive Leonem Dei; illud ob devorationem Sacrificiorum, hanc ob devorationem virorum per cædem. Comminatur vero, Deum afflicturum Arielem Civitatem, eamque similem futuram Arieli Altari, abundantia scilicet cædis circa illam. Si hanc interpretationem facias tuam, pericopam, quæ caput XXVIII. & XXIX. Jesaiæ complectitur, dilaceras, & parallelismum capitis XXIX. cum aliis pericopis, quæ eamdem fatorum sortem declarant, evertis. Ut argumentum hujus vel illius vaticinii lectoribus diluceat, ipsi animum adpellunt ad potissimos corporis artus cognoscendos & in unum corpus redigendos. Quo facto ad minutiores articulos definiendos progrediuntur, in quorum numero sunt geographica nomina, vocabula rariora, ritus vix alias obvii, phrases difficultatem obmoventes, & alia, quæ lectorem remorari possunt. Id, quod ab hominibus ad palatum hujus sæculi fictis adpellatur *pædantismus*, ab hoc labore arceri non potest, judice ipso Galliæ ornamento J. ROLLINO, qui solida scientiarum fundamenta cum pædantismo conjunctissima collaudat.

§. 15.

Dantur pericoparum V. T. turbationes & falsa interpretamenta, quibus origo est ex

ex litterarum prava expoſitione, litterarum notabilium, ſuſpenſarum, clauſarum, detruſarum, majuſcularum, minuſcularum. Judæi, templo poſteriori everſo, haſce notas & figuras inſeruerunt exemplaribus recenti opera deſcriptis, ut contribulibus ſuis odia in Jeſum & in Chriſtianos falſasque ſimul explicationes pericopæ non unius infigerent & pravitatem ſuam æternitati conſecrarent. Per litteram ע ſuſpenſam *Pſ.* LXXX, 14. deſignant Jeſum in cruce ſuſpenſum. Id ipſum nos docet R. BECHAI (c). Inde conſequitur, ut exiſtimemus, Judæos Pſalmum LXXX. de Chriſtianis, Judæos coërcentibus, interpretari atque Jeſum adpellare חֲזִיר מִיַּעַר *porcum ſilveſtrem* ſeu *aprum*. Littera autem ע ipſis eſt nota, hoc ſenſu, nominis עשו, *Eſau*, quod in Jeſum coniicere ſolent. Mirum igitur non eſt, ipſos per eamdem litteram עַ, *Ain*, ſuſpenſam, in nomine רשעים, quod *impios* notat, deſignare Eſavidas ſeu Chriſtianos *Job.* XXXVIII, 15. Judæi Jeſum vocant *Nozri* & Chriſtianos *Nozrim*. Si inſpexeris locum Exodi XXXIV, 7. 14. 17. ibi deprehendes *nozri*, litteris grandibus notatum. *Nun* majus habes v 7. in nomine נוֹצֵר, *Reſch* grande v. 14. in אֵל אַחֵר,

(c) *Cad bakkemach* c. I. J. BUXTORFIUS in *Commentario Maſoretico* p. 160.

Deo alieno, & v. 17. *Jod* magnum initiale in יגרל. Nisi fallor, intelligis, Lector, Judæos ita fuisse admonitos, ne ad Christianam religionem transirent vel ne Deum alienum, Nozri, colerent. Judæorum doctores in illustri illo dicto *Deut.* VI, 4. grande *Ain* posuerunt in *Schma*, שְׁמַע, & majus *Daleth* in *echad*, אחד, significantes, Jesum, quem vocant Esau, & Christianos, quos adpellant *Esavi filios & Edomæos*, Deum non unum, sed quatuor Deos, invexisse, nempe tres personas & Mariam, quæ fabula ab ipsis ad Mohammedanos jam olim fuit propagata. Illud ם, clausum *Mem*, Jes. IX. 6. & majus finale in שָׁלִשֹׁם *Gen.* L, 23. denotat vocabulum *Mamser*, qui *tres Deos* invexerit. Ostendi hæc & alia loca Rabbino, qui subrisit, respondens, legis facies seu expositiones esse LXX, & faciem illarum litterarum Masorethicarum esse firmamentum Judaicæ religionis, quod eluceat ipsum ex Bibliis Christianorum hebraicis, per quæ hi tandem ipsi evasuri sint Judæi. Omitto interpretationes reliquas reliquarum ejusmodi litterarum, & id unum addo, eos, qui in vaticiniis V. T. fata omnium ætatum ecclesiæ Christianæ quærunt, in pericoparum distributionem peccare & similes propemodum esse Judæis, qui Legi LXX. facies adsignant.

§. 16.

§. 16.

Dantur *pericopæ*, ex una verſione ejusdem linguæ in aliam verſionem transfuſæ, pericoparum diſtributionem magis impedientes quam adiuvantes. In *vulgata* Latina verſione leguntur multa ex veteri *Itala* & plura ex *Hieronymiana*. Caput *Jeremiæ* XXXIII. in Vulgata Latina, XL in editione Romana, LXXVIII. in Codice Chiſiano, legitur in editionibus noſtris LXX. a v. 14. ad finem capitis, ex Theodotionis translatione depromtum. Ex Codice *Chiſiano*, qui integram Alexandrini Interpretis in Jeremiam continet verſionem, Alexandrinam edidit cum variantibus lectionibus Cardinalis & Epiſcopus Brixianus *Angelus Maria* QUIRINUS in *Epiſtola* (c) *ad Alexium Symmachum Mazochium* p. 7. ſ. quæ eſt quinta *Decadis ſecundæ* Epiſtolarum. Patres primæ Eccleſiæ, paucis exceptis, ſibi perſuaſerant, LXX. ſuam verſionem græcam in LXX. cellulis ſeparatim, inſpirante Spiritu Sancto, concinnaſſe. Mirum eſt ſane, a CYRILLO *Hieroſolymitano* (d) & AUGUSTINO (e) ne quidem hanc perſuaſio-

(c) Brixiæ 1743. 4. Maj.
(d) *Catecheſi* IV. p. 61. ſ. *Antwerp.* 1564. 8.
(e) *Ep. ad Hieronymum* 86. p. 626. B. To. II. Opp. Pariſ. 1643. fol.

ſuaſionem abfuiſſe. HIERONYMUS eam ſententiam refellit (f) ita: *Neſcio quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo exſtruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſtæas, Ptolemæi* ὑπερασπιςής, *& multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos contuliſſe, non prophetaſſe, ſcribant. Theodotionis* ex verſione V. T. græca ORIGENES emendavit non pauca ad fontes hebræos (g). Verſio tamen LXX. non mutata nec emendata tempore Hieronymi in omnibus eccleſiis græcis inveniebatur (h), prouti ipſa ex Hexaplis *Origenis* (i) fuerat deſcripta. Hanc, non aliam, in Latinum tranſtulit HIERONYMUS (k), nec tamen ubique interpretis ſenſum ſatis adſecutus fuit ob nimiam, qua uſus eſt, feſtinationem. Placuit ORIGENI adeo *Theodotionis* verſio in Danielem, ut hanc præferret *Alexandrinæ*. Inde accidit, ut illa ævo *Hieronymi* jam eſſet pervulgata & hanc inter Græ-

(f) *Præfat. in Pentateuchum* p. 625. G. To. III.
(g) HIERONYMUS *adverſus Ruffinum* II, 7. *Præf. in Pentateuchum* p. 625. E. To. III.
(h) *Idem ad Auguſtinum Ep.* 89. p. 636. To. II.
(i) *Idem ad Suniam & Fretelam* Ep. 135. p. 746, B. To. III. Paris 1643. fol.
(k) *Idem Præfat. in L. Chronicorum* n. 107. p. 685. To. III.

Græcos ab uſu eccleſiaſtico ætas excluſiſſet, teſte HIERONYMO in *Præfat. ad Danielem*, & in *Apologia adverſus Ruffinum* L. II. c. 9. nec non *Præfat. in Joſuam* p. 681. E. To. III. Opp. edit. Pariſ. 1643. Hinc dudum mihi ſuborta fuit conjectura, inſertas eſſe paſſim in vetſionem *Alexandrinam* pericopas ex *Theodotione*. Nam non ſola illa Interpretum Alexandrinorum verſio, quæ credebatur non fuiſſe mutata, publico uſu terebatur, ſed paſſim ea etiam in manibus græcorum Chriſtianorum erat, quam *Origines* obelis & aſteriſcis ſignaverat (l). Obelis ſcilicet notaverat vocabula græca phraſesque græcas, quibus in fonte hebræo nihil prorſus vocabuli reſpondebat; aſtericos vero ibi poſuerat, ubi in verſione aliquid deficiebat, quod in hebræo legebatur (m). Sæculo quinto jam in uſu erant editiones quatuor. Eminebat inter eas illa, quam HESYCHIUS, Ægypti Epiſcopus, qui perſecutione Diocletianea vitam amiſit, curaverat diligentiſſime ſcribendam. Chriſtiani in Ægypto eam ſequebantur. LUCIANUS, poſtea Martyr, exemplar ſuum a nævis purga-

(l) Idem Ep. *ad Auguſtinum* 89. p. 636. E. To. II.
(m) Idem *adverſus Ruffinum* II, 8. p. 518. D. To. II. *Præfat. in Pentat.* p. 625. E. To. III. *Ep.* 89. *ad Auguſtinum* 89. p. 636. E.

purgaverat, & ex exemplari ſuo expurgato deſcribi edique multa curavit exemplaria. Hanc editionem Chriſtiani Antiocheni uſibus ſuis adhibere inſtituerant, reliquique per Syriam Aſiamque Minorem ad Conſtantinopolin usque. Editionem *Origenis*, quam ab hoc expurgatam fuiſſe HIERONYMUS memoravit, ſequebanturPalæſtini, editam & vulgatiorem redditam a *Pamphilo* & *Euſebio* Cæſareenſi n). Adde huic hexaplarem ORIGENIS, quæ Hieroſolymis alibique per Orientem a Chriſtianis more modulationis patrio recitari ſolebat o). Hexaplarem ſuam ipſe *Origenes* non ſecutus fuit in Commentariis ſuis biblicis, ſed potius communem, lemniscis, obelis & alteriscis inſignitam. Exſtiterunt poſtea viri docti, qui ex *Symmachi*, *Aquilæ* & *Theodotionis* verſionibus ſubſtituerunt paſſim non pauca & inſeruerunt tum hexaplari oo) tum communi. Codex *Marchalianus*, quem nunc tenet collegium Ieſuitarum Pariſiis, huius ſubſtitutionis habet multa

n) Idem *Præf. in Chronicorum* p. 685. To. III.

o) Idem *ad Suniam & Fretelam ep.* 135. p. 746. B. To III

oo) In *Conſtitutionibus apoſtolicis* exempla hujusmodi deprehendit IAC. WETSTENIUS. Vide ejus *Proleg. ad N. T.* p. 65. fin. Amſtelæd. 1751, fol.

multa exempla. Codex *Vaticanus* & *Romanum* exemplar *Sixtinum*, nec non ipſe *Codex Alexandrinus* aliquoties a genuina LXX editione diſcedunt; hic tamen rarius, rarioribusque, quam codex Vaticanus, gloſſematis fuit inſtructus. In Occidentem præcipue penetravit ea *Origenis* editio, quæ obelos & aſteriſcos habebat, teſte HIERONYMO in *Præf. Comm. ad Danielem*, ubi hæc leguntur: *Omnes Chriſti Eccleſiæ tam Græcorum quam Latinorum, Syrorumque & Aegyptiorum hanc ſub aſteriscis & obelis editionem legunt* p). Dubitandum igitur eſt, an uspiam codex LXX non mutatus adſervetur. Si ex verſione latina *Hieronymi*, in LXX, liceret aliquid certi exſculpere, puram LXX verſionem reſtituere poſſemus. At hic collationis labor ne ſcopo ſcrutatorum criticorum minus reſpondeat, admodum vereor, ſiquidem ipſe non ſatis indicavit

p) Confer. Hieronymi *Præfat. in Evang. ad Damaſum.* Exemplaria, obelis notata, eſſe accuratiora, judicavit BASILIUS *Homil.* IV. *in Hexaem.* Hieronymus ipſe ſolebat in LXX ea notare aſteriscis, quæ a Græco aberant & in Hebræo legebantur; obeliseis, qui in Græco erant, non in Hebræo, teſte Auguſtino, cui defuit codex, qui ex Hebræo erat modo in Græcum converſus. Auguſtinus *Ep. ad Hieronymum* f. 152. D. To. III. Opp. Basil. 1516, fol.

cavit luculente locum illum Ieremiæ, ex Theodotione desumtum, quem Emin. QUIRINUS nobis ex Codice Cardinalis *Chigii* restituit. Expectandum igitur est auxilium ex codicibus manuscriptis, qui sat ætatis tulerunt, ad pericopas plures reperiendas, quæ aliunde in versionem LXX sunt illatæ. Differendum mihi esset heic copiosius de pericopis aliunde in græcum N. T. contextum & inter ipsa Autorum verba insertis, si, tales dari, mihi persuadere possem. Id enim pro certo statuendum est, scriptos esse in primis Christianorum ecclesiis geminæ speciei codices, alios scilicet in usum communem, alios in usum ecclesiæ interiorem. Ineuntis Sæculi IV circiter confinia diversitas ista videtur enata, nequid offendiculi crearetur eis, qui nondum ex omni doctrinarum parte erant Christiani, licet sacro fonte jam essent imbuti. In hunc censum refero, quæ leguntur *Marc.* XVI, 17. 18. *Io.* III, 6. *Matth.* VI, 13. *Io.* V, 3 ab ἐνδεχομένων usque ad finem v. 4, *Io.* VIII, 3-11, 1. *Io.* V, 7, & ipsam Apocalypsin, a publica ecclesiastica lectione sub finem Sæculi III jam remotam. Cautioni huic locus non fuit ab eis datus, qui Evangelio *secundum Hebræos* utebantur. Eam ob caussam passim ea legebantur in eo, quæ in Evangeliis græcis, ad usum com-

communem descriptis, non adparebant, eis quippe subtracta, qui inde offendicula videbantur posse accipere. Ex quo Episcopi urbium primariarum post Gallieni tempora cœperant ad speciem principatus (q) in fratres emergere, templis passim gaudere (r) & præesse, & id statuere, quod sibi ex usu ecclesiæ videbatur fore; lectiones eæ a communi usu recedere jussæ sunt, quas Episcopi quibusvis permittendas esse non arbitrabantur. Ante hanc tamen ætatem jam variæ legebantur versiones latinæ earumque erat primaria, quam adpellabant *Italam*, ex qua *Tertullianus* ac *Cyprianus* oracula sacrarum litterarum repetierunt & lectori obtulerunt. Propagatæ nihilo minus fuerunt postea in aliquot exemplaria latina omissiones illarum pericoparum, quæ in græcis ab usu publico fuerunt disjunctæ, quemadmodum ex *Evangeliario quadruplici* intelligitur, quod JOSEPH. BLANCHINIUS *Veronensis Presbyter Congregat. Orat. S. Philippi ab Urbe* IV. Voluminibus formæ maximæ publicavit *Romæ* 1749. In Evangelio *secundum Hebræos* legebatur historia de adulte-

q) EUSEBIUS H. E. VIII, 1.
r) Idem l. c. NICEPHORUS H. E. VII, 2. *Iust. Henn.* BOEHMERUS *in Diss. juris ecclesiastici antiqui* II, p. 70.

dultera *Jo.* VIII, 1-12. teſte EUSEBIO (s) per Papiam Sæculo ſecundo jam inde repetita. At poſtea *Euſebius* in græca etiam exemplaria incidit, in quibus narratio illa legebatur. Nam ipſe eam inſeruit *canonibus* ſuis, quorum tabulas deſumſit *) ex *Tatiano* & *Ammonio*, qui hiſtoriam illam pro canonica habuerunt. Diſtinguenda igitur ſunt exemplaria græca & latina N. T. ſiquidem partim in uſum communem, partim in uſum antiſtitum ſacrorum pro tabulariis, in quibus adſervabantur, fuerunt inde ab exitu ſæculi tertii deſcripta.

§. 17.

Locum MARCI XVI, 17. 18, putare poterant antiſtites cœtuum chriſtianorum offendiculo fore Chriſtianis, poſtquam miraculorum dona & chariſmata in eccleſia chriſtiana vel deſiiſſe vel rareſcere videbantur. At inhærendum ipſis fuiſſet ſcopo dicentis Ieſu & contextus ordini. Ieſus enim de eis, qui doctrinam ipſius ſusceperant & tunc ſuscipiebant, non de cunctis omnium temporum Chriſtianis, diſſerebat hunc in modum: Σημεῖα τοῖς πιςεύσασι ταῦτα παρακολου-

s) H. E. III. 29.

*) HIERONYMUS *in Præfat. ad Evang. ad Damaſum*, & *Præmium Euſebii ante canones.*

κολουθήσει, *miracula eos, qui fidem mihi habuerunt & adhuc habent, hæc comitabuntur in posterum.* ORIGENES, qui aliquot annis ante Decii furorem in Christianos effusum libros adversus *Celsum* scripsit, memoriæ prodidit litteris, vestigia signorum Spiritus sancti duntaxat apud paucos superesse ad tempora ipsius Christianos, qui pietate excellant & mores suos ad evangelii normam exigere laborent t). Nec id erat mirum. Paulo enim teste, miracula facta sunt ad eos, qui nondum doctrinæ Christianæ nomen dederant, propere convincendos de ejus Divinitate, 1 *Cor.* XIV, 22. Apostolos Iesu in primis eximebant miraculorum dona omnibus Iudæorum & Ethnicorum doctoribus, religionem curantibus. 2 *Cor.* XII, 12. Ipsorum præterea primorum christianorum, quos Apostoli ad doctrinam & imitationem Iesu adducebant, Baptismum & cœtuum coitiones sacras Iesus miraculis & charismatibus Spiritus sancti insigniebat, immo ipsam doctorum ecclesiasticorum initiationem, & virgam apostolicam, qua animadvertebant in con-

t) *Adv. Celsum* L. I, p. 5. L. VII, p. 337. L. I p. 34. *edit. Cantabrig. Augusti.* ORSI *in Diss. apolog. pro Perpetuæ, felicitatis & Sociorum Martyrum orthodoxia* c. 4.

contumaces, qui nomen Christo dederant. Facile igitur intellectu est, quinam illi fuerint, quibus Iesus opem miraculorum promisit. *Codex Vercellensis* tt) pervetustus illam apud *Marcum* pericopam exhibet hunc in modum: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: &, si mortiferum quid biberint, non eos nocebit: super ægros manus imponent & bene habebunt. Codex Corbeiensis* hæc fere verba olim habuit. Supersunt enim in eo hæc: *Super languentes manus imponent & bene se habebunt.* At in *Evangeliario Forojulienſi* vetusto pericopa hæc haud videtur lecta fuisse. Nam in *Brevibus secundum Marcum*, inde contractis, nulla fit ejus mentio u). *Syrus* vero interpres, sæculi IV auctor, eam non omisit. IRENÆUS, AMMONIUS in Diatessaron seu *Monotessaro*, EUSEBIUS *in Tabulis Canonum*, ATHANASIUS, THEOPHYLACTUS, &

tt) Est omnium Latinorum antiquissimus & alterum versionis Italæ archetypon, antiquior Hieronymo, judice *Ant. Franc.* GORIO in *Ep. ad Ioseph. Blanchinum* in *Append. Evangeliarii quadrupl.* p. 573.

u) *Evangeliarium quadruplex latinæ versionis antiquæ per Ioseph.* BLANCHINUM P. II, *Vol. II*, p. 498.

& alii olim inde a fine verſus ſeptimi univerſa reliqua inciſa cap. XVI ad finem usque adlegarunt & pro genuinis habuerunt. HIERONYMUS x) verſum nonum atque decimum ita interpretatus fuit: *Cum autem reſurrexit una ſabbati, mane apparuit Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia, & illa abiens nunciavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.* Subjecit hisce idem hæc: *Marci teſtimonium* hoc *in raris fertur evangeliis, omnibus Græciæ libris pæne hoc capitulum in fine non habentibus, præſertim cum* id *diverſa atque contraria Evangeliſtis cæteris narrare videatur.* A lectione, quam *Codex Vercellenſis* habet, HIERONYMUS hoc loco paullulum

x) *Ad Hedibiam quæſt.* 3. f. 64. *A. To.* IV. *Opp. Baſil.* 1576, f. Idem L. II *adverſus Pelagianos* f. 131, *A. In quibusdam exemplaribus & maxime in Græcis codicibus juxta Marcum in fine ejus evangelii ſcribitur:* Poſtea, cum accubuiſſent undecim.. apparuit eis Ieſus, & exprobavit incredulitatem & duriciam cordis eorum, quia his, qui viderant eum reſurgentem, non crediderunt; & illi ſatisfaciebant, dicentes, Sæculum iſtud, iniquitatis & incredulitatis, ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos Spiritus, veram Dei apprehendi virtutem; idcirco nunc revela juſtitiam tuam. *Cui ſi contradicitis, illud certe renuere non audebitis.* — —

est alienus. Ipso enim in Codice hæc leguntur: *Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia. Illa vadens, nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.* Adhæsit Hedibia ad illud *mane* Marci, & ad illud *sero* Matthæi, ex versionis imbecillitate. Ad eumdem scopulum plures offenderunt alii. Pertæsum fuit antistites sacros magni defectus fidei, qui in Apostolis XI fuerat, donec Iesus Hierosolymis ipsos invisit ex improviso. Antea enim jam *Simoni*, teste Luca, adparuerat Iesus & hunc de statu redivivo convicerat. Simonem hunc, si Origenem exceperis, Patres ad unum omnes putarunt fuisse *Petrum* Apostolum. Præterea successu temporis in cœtibus Christianis erant vel nulli, vel pauciſſimi, quibuscum vis miracula per Deum patrandi erat communicata. Hisce ducti rationibus, teste *Euthymio*, commentatores ab istis Marci verbis postremis, quæ jam jam indicavi, abstinuerunt sese exponendis. Eadem fuit ratio antistibus ecclesiasticis, cur ea in communem usum nollent describi. Deistis inde opinio fuit suborta, duodecim Marci versus postremos a recentiori manu intrusos esse y). Respondit ad horum tricas vir doctis-

y) *Traité de la Veritable Religion, To.* III. *Diss.* VII, *p.* 217. *à Paris* 1737, 8.

doctiſſimus, qui nomen ſuum lectores celavit, monens oprime z), nil falſi in iſtis Marci inciſis narrari, ſed eadem alibi etiam referri, nec inde integritati contextus reliqui quicquam decedere, ſi iſthæc reſecueris; legi tamen illa inciſa in omnibus exemplaribus latinis, *Syriacis Arabicisque*, & in antiquiſſimis Manuſcriptis græcis, *Cantabrigienſi* & *Alexandrino*. Accedit quod IRENÆUS ea habet & Marco adſignat a). Vindicat receptam lectionem æque VINCENT. LUDOV. GOTTI, purpuratus curiæ Romanæ b). Diſcrepantia, quæ videtur verſari inter narrationem Matthæi ac Marci, discutitur & evaneſcit, quamprimum ad rem ipſam & græca vocabula curatius reſpicere libet. Matthæi hæc ſunt XXVIII, 1: Ὀψὲ σαββάτων τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, ἦλθε Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, θεωρῆσαι τὸν τάφον. Hæc ſunt ſic interpretanda: *Peracta hebdomade, quum dies albeſceret. ut exiſteret prima hebdomadis dies*, dies ſolis, *venit Maria Magdalena, & alia Maria, ſpectaturæ ſepulcrum.* Apud PAUSANIAM c) dicitur

z) Ibi p. 319, ſ.
a) L. III, c. 10 vel 11.
b) *De Veritate religionis chriſtianæ & librorum, quibus innititur*, To. I, c. 3. §. 8. p. 302. ſeqq.
c) L. VIII, p. 505. *Hanoviæ* 1613, fol.

Scipio *tandem vero non ſine periculis*, ὀψὲ δὲ οὐκ ἄνευ κινδύνων, Pœnos debellaſſe. Qui usque in diluculum, ſpät in die Nacht hinein, poculis adſident, ὀψὲ dicuntur manere, LXX apud *Ieſ.* V, 11. In *Vulgata* male vocabulum ὀψὲ cc) redditum fuit per *veſpere*. Conf. *Marc.* XIII, 35. M. CHRIST. GOTTL. EICHLERUS d) primum Matthæi XXVIII inciſum egregie illuſtravit & interpretatus eſt, nec non M. SCHULZIUS e). Maria altera erat Alphæi ſeu Cleophæ, Clopæ, uxor, & Mariæ Ieſu matris ſoror, Ieſu matertera, Iacobi minoris & Iudæ Taddæi, Ioſis ac Simonis ſeu Simeonis mater. Cleophas vero & filius eius Simon erant illi diſcipuli Emmauntici. quibus Ieſus adparuit, ORIGENE ſuffragante. Tum vero apud Matthæum XXVIII, 2. 3. 4. reſpicitur parenthetice ad præmittenda, hunc in modum: *Et ecce, commotio facta fuerat magna. Angelus enim Domini, qui deſcenderat ex cælo, acceſſerat & devolverat lapidem illum*, de quo dictum XXVII, 66. *ab oſtio* conditorii, *& ſedem ceperat* ad terrendos cuſtodes *ſuper eo* lapide. *Erat autem adſpectus* f) *ejus inſtar fulguris & veſtis ejus*

cc) Ὄψιμα ſunt *Serotina* LXX *Exod.* IX, 32.
d) In *Diſſ. Anti-Harduiniana* II. p. 46.
e) *De Sabbato* p. 8.
f) Ἰδέα eſt *facies*. PAUSANIAS L. X, p. 643 dixit, *Metym*

ejus alba prope instar nivis. Qui sepulcrum *custodiebant, ex metu*, quem adspectus angeli ferebat, *adeo quassati fuerant* & perterrefacti, *ut evaderent pæne mortui.* Quibus narratis, quæ præmittenda erant, oratio ad mulieres redit, quæ nihil norant de custodibus conditorio adpositis & de sigillo impresso. Quum mulieres deliberarent ante introitum propiorem, Maria Magdalena recedere cœpit. Rediit ipsa paullo post. Viderunt mulier utraque duos angelos stantes, quorum unus eos adlocutus fuit, simulac consedit uterque. Compellationis formula erat hæc: *Ne territæ estote vos* (v. 5.), *novi enim, Vos Iesum, qui in crucem actus fuit, quærere. Non* (v. 6.) *est heic, excitatus enim est* e mortuis, *quemadmodum prædixit. Adeste, videte locum, ubi jacebat Dominus.* Iesus vero jam antea recedenti adparuerat Mariæ Magdalenæ. Pergit (v. 7.) Angelus: *Et illico abite ac dicite discipulis Ejus, ipsum experrectum fuisse a mortuis. Et ecce præit* (præibit propediem)

Melymnæos piscatores reti extraxisse e mari πρόσωπον, ἐλαίας ξύλε πεποιημένον, *caput ligni oleagini adfabre factum.* Τῦτο ἰδίαν παρείχετο, φέρεσαν μέν τι ες θεῖον, ξένην δὲ, ἐπὶ θεοῖς ἑλληνικοῖς ἀ χαθιεσῶσαν. *Hoc faciem præferebat, habentem aliquid, quidem divini, peregrinam tamen, ad Deos Græcos non quadrantem.*

pediem) *vos in Galilæam. Ibi eum videtote. En dixi vobis.* Ibi poterant Eum expectare, ipsis non superventurus inopinantibus ut in itinere Emmauntico & reditu inde Hierosolymas mirifice instituto. Iesus, qui mulieribus, a conditorio recedentibus, adparuit, cujus pedes eædem adprehenderunt ac contrectarunt, ipsumque ad eos provolutæ adorarunt, ipsas jussit ire ad Apostolos XI reliquosque discipulos, in primis fratres, ex matertera natos, & ipsos de reditu suo ex mortuis facere certiores atque in Galilæam invitare, ut ipsum ibi viderent redivivum. Omitto *Matthæi* reliqua. Redire enim ad *Marcum* libet. Heic tempus, quo Maria utraque ad conditorium, in quo erat tumba Servatoris, festinabat, haud aliter ac Matthæo designatur. *Marcus*, utramque Sabbato intercedente g) diem, quo Iesus in crucem actus erat, & Solis diem, cum Salome emisse aromata, corpori Iesu ungendo ac condiendo apta, narrat. Tum vero earum religiosos conatus

g) Διαγενομένε σαββάτε, *quum interceſſiſſet Sabbatum.* Sic verbum id adhibetur *Act.* XXIV, 13. XXVII, 9, apud POLYBIUM II, 9, HERODIANUM L. I, pag. 475, & EUSEBIUM *H. E. I.* 10 RAPHELIUS hæc loca jam huc transtulit enotata, in *Adnot.* ad *S. S.* p. 429, *ſ. To. I. Lugd. B.* 1747, 8.

tus prosequitur hunc in modum XVI, 2: *Et admodum diluculante ante auroræ exortum die, qui primus erat hebdomadis, abeunt ad monumentum sepulcrale, sole jam lucem restituente,* ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. Tempus indicatur, quo Iesus mulieri utrique adparuit, non vero tempus, quo Iesus a mortuis resurrexit. CLAUD. SALMASIUS & Vir eruditionis ratioris IO. TOB. KREBS h) putarunt, sepulcrum Iesu constitisse ex lapidibus muroque fuisse cinctum. Sunt, qui sibi persuadent, Matthæum huic sententiæ haud suffragari, potiusque repugnare, ac Marci locum XV, 46, illustrari posse ex LXX *Ies.* XXII, 16. Marcus illud ὀψὲ omisit, tempusque itineris mulierum in diluculum conjecit. Tempus vero resurgentis Iesu XVI, 9, sic indicavit: *Iesus, quum resurrexisset,* πρωΐ, *summo mane prima hebdomadis die, primum* quidem adparuerat *Mariæ Magdalenæ.* Iterum Ei paullo post ad Mariam recedenti adparuit æque ac huic Iesus. Utrique Angelus ex duobus unus mandata dedit, ut famam ipsæ de redivivo Iesu ad discipulos Iesu & Petrum adferrent. Maria ad maritum aliosque Christi discipulos processit, lætitiam nuntiatura. Maria Magdale-

h) In *Observat.* ad *N. T. ex Fl. Iosepho, ad Marc.* XV, 46.

na deinde & fortaſſe paullo ante tetendit ad Apoſtolos. Ut verbo dicam, utraque Maria & Iohanna i) reliquæque mulieres ex una alteraque domo X Apoſtolis reliquisque Ieſu adſectatoribus adſectatricibusque, quid utrique Mariæ contigiſſet, expoſuerunt k), ad fidem habendam rei narratæ nondum flexibilibus, ſed potius in luctu verſantibus & fletu. *Marc.* XVI, 10. Eodem die Ieſus adparuit diſcipulis, Emmaunta proficiſcentibus v. 12. Hi, Cleophas & Simon, redierunt noctu Hieroſolyma, &, quid ſibi contigiſſet, narrarunt diſcipulis lugentibus nec dum fidem habentibus. Paullo poſt ad decem Apoſtolos clauſis januis ingreſſus fuit Ieſus eosque increpavit, fidei narratis non habitæ reos, convicit porro penitus de facta ſua reſurrectione, mandatisque & promiſſis inſtruxit. Horum promiſſorum pars adtinebat ad miracula. Sæculo quarto nonnulli tegere conati ſunt illam increpationem & illud de miraculis promiſſum, quod vulgo pro promiſcuo & univerſali poterat haberi. Inde nonnihil ex Marci narratione ſubductum fuit lectioni communi, præcipue quod Manichæi inciſo decimo quarto, ut HIERONYMUS eſt l) teſtis, hæc

i) *Luc.* VIII, 3.
k) *Luc.* XXIV, 10.
l) *Contra Pelagianos L.* II, p. 190. *edit. Francof.*

M.

hæc verba ſubjunxerant: *Et illi* diſcipuli *ſatisfaciebant, dicentes, ſeculum illud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei adprehendere virtutem. Idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam.*

§. 18.

Ante annum jam 357 in loco 10. III, 6, lectum fuit: *Quod natum eſt de carne, caro eſt, quia de carne natum eſt; & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt, quia Deus Spiritus eſt & ex Deo natus eſt.* Legitur ita in codice *Vercellenſi*, qui dicitur ſæculo IV ab *Euſebio*, Epiſcopo Vercellenſi, deſcriptus. AMBROSIUS in Libro *de Spiritu Sancto* Arianos reprehendit, quod ipſi verba, *quia Deus Spiritus eſt*, ex omnibus ſacris voluminibus eraſerint. Ipſe ex eo dicto divinam eſſentiam Spiritus Sancti ivit propugnatum. Eam eraſionem tradit eo tempore fuiſſe factam, quo Arianus Maxentius Mediolanenſem eccleſiam armis exercituque occuparit, vel a Valente atque Urſa-

M. & *f.* 131, *A. To.* III. *Opp. Baſil.* 1516, *fol.* Ipſe tamen *Hieronymus* præmonet, Pelagianorum neminem hæc verba pro evangeliſtæ verbis habiturum.

11) L. III, c. 11.

Urſacio, nutantibus ſacerdotibus ſuis, incurſata fuerit eccleſia Sirmienſis. Addit Ambroſius hæc: *Et fortaſſe hoc etiam in Oriente feciſtis.* Inde Ieſuita GERMONIUS, diplomatum priſcorum everſor, contendit m) evincere, biblia ſacra jam olim ab hæreticis fuiſſe corrupta. TERTULLIANUS omnino locum Ioannis ita n) dedit conformatum: *Quod in carne natum eſt, caro eſt, quia ex carne natum eſt; & quod de Spiritu natum eſt, Spiritus eſt, quia Deus Spiritus eſt, & de Deo natus eſt.* Eadem verba repetierunt Afri in Synodo Carthaginenſi a. 256 o), *de baptizandis hæreticis.* Nec aliter locus ille legitur in Codice *Vercellenſi* p), contractius tamen hunc in modum: *Quoq natum eſt de carne, cara eſt, quoniam de carne natum eſt; & quod natum eſt de Spirita, Spiritus eſt.* Codex Brixianus nequidem habet illud: *Quoniam de carne*

m) In Libro *de Veteribus hæreticis eccleſiaſticorum codicum corruptoribus p.* 116. *Conf.* 10. MILLII *Prolegomena n.* 828. 829. 1048.

n) *De Carne Chriſti*, c. 18.

o) Omnes iſtos, gloſſematis vindices & Arianis hoc loco eraſionem impingentes refellit IOANN. IAC. WETSTENIUS p. 851. To. I. *N. T. ſui Græci.*

p) *Evangeliarium quadruplex Blanchini P. I. Vol. I.* pag. 285. ſ.

carne natum est. Multus in hoc gloſſemate perpendendo fuit PHIL. GARBELLUS, IO. MILLIUS ſolide monuit, additamentum illud, *Deus eſt Spiritus*, ex *Io.* IV, 24, deſumtum fuiſſe. TERTULLIANUS tamen, HILARIUS q), & AMBROSIUS id habuerunt pro parte pronuntiatorum Ieſu. Unde conjectura duci poteſt, additamentum id ex libris eccleſiaſticis, in quibus id inter officia baptizationis fuit relatum, in marginem latinorum codicum perveniſſe ac mox inter codicum illorum verba ſuſceptum eſſe. Græci Codices & Verſiones exinde fluentes eo carent æque ac Latini codices, poſt *Tertullianum* & extra Galliás ac ſuperiorem Italiam recens adornatæ. Arianos id huic loco exemiſſe, vero abſimile non eſt, haud quidem ea fini, ut Codicem ſacrum depravarent, ſed ut additamentum reſpuerent & argumenta inde collecta declinarent. *Ambroſius* igitur & *Germonius* Arianis minus ſolide pravum & corruptelæ ſtudioſum animum tribuerunt. Cur enim hi non adulterabant loca magis palmaria?

§. 19.

Progredimur ad pericopam IO. V, 3. 4. 5, cujus hæc penes Latinos ſunt verba: *Exſpe-*

q) *De Trinitate* L. VII.

Exſpectantium commotionem aquæ. Angelus enim ſtato tempore deſcendebat in natandi receptaculum & turbabat ejus *aquam. Primus igitur, qui introrſus ſcandit intra turbationem aquæ, ſanus evadebat, quocunque morbo detinebatur.* TERTULLIANUS ſanitatis hanc effectionem pro charismate ſeu miraculo reputat r), ipſumque Angeli deſcenſum s) revera factum fuiſſe, tradit. Pericopa igitur illa in latinis codicibus pervetuſto ævo fuit lecta. Angelum cœleſtem indicari, docuit Cel. IAC. ODE t). Vir ille, quem Ieſus reſtituit ſanitati, ipſe v. 7, dixiſſe fertur: *Hominem non habeo, qui me, quando aqua turbata eſt & turbatur, in natatorium locum* u) *immittat; quando autem venio, alius ante me deſcendit*, qui adjutore opus non habet. Hinc intelligitur, 1) aquam illius lacus tempore ſtato fuiſſe turbatam, & 2) primum, qui in eum deſcendit olim, ſanum eſſe redditum. Nihil igitur eſt, quod deeſt huic confeſſioni, præter Angeli mentionem, qui omnino admittendus, ut de auctore facti motus, pro-

r) *Contra Iudæos* c. 13.
s) L. *de Baptiſmo* c. 5.
t) *De Angelis Sect.* VIII. c. 3. p. 805.
u) Κολυμβήθρα hoc ſenſu æque legitur in PAUSANIA L. IV, p. 284. *Piſcinam* dixit PLINIUS L. II, ep. 17. §. 11.

productæ turbationis, satis constet. Non ignoro, pericopam illam a multis codicibus abesse x). Quum vero eam requirat contextus, & codices non pauci, græci, latini, Syriacus, Arabicusque Interpres, habeant, non dubito, eam vel a librario negligentiori omissam vel a communi lectione exclusam ea fini, ne Christiani dogma hæreticorum facerent suum. Hi enim Angelis vim omnino divinam & miraculorum effectricem tribuebant, qua mundus ipse quondam fuerit creatus. Ad hanc sententiam stabiliendam nonnihil adjumenti conferebat Patrum Græcorum Sec. III & IV opinio, qui, angelos y) ante mundum conditum creatos esse, docebat. Arianismo incrustando admodum hæc sententia videtur faviſſe, & divinæ æternæque filii Dei naturæ, ac Iesu miraculis, ex eo fonte profluentibus, adversata esse. In codice membranaceo *regio Parisiensi*, qui foliis membranaceis 209 constat & a BOIVINO optime descriptus est z), leguntur ea de piscina probatica, quæ priora sunt verbo

x) LUD. KUSTERUS *in Præfat. ad N. T. Millii*, p. 5.

y) NIC. CONTARENUS *de Perfectione rerum L.* III, p. 143. *Lugd.* 1588, 8.

z) JOS. BLANCHINUS *P.* I, *Vol.* II. *Evangeliarii quadruplicis* p. 499, f.

verbo ἐνδεχομένων; hoc vero verbum ac ea, quæ ſequuntur, in margine manu diverſa & recentiori ſunt ſcripta. Ex cerebro certe enatum fuit id, quod ibi in margine legitur. Angelum enim, aquæ turbatorem, iam memoravit *Tertullianus*. Diſtinguamus oportet communes codices ab eis, qui apud eccleſias potiores, doctiores & diligentiores reperiebantur. Transferenda ſunt huc verba hæc a) AUGUSTINI: *Libros* N. T. *ſiquid in latinis titubat varietatibus, græcis cedere dubium non eſt, & maxime, qui apud eccleſias doctiores & diligentiores reperiuntur.* Pericopam, de qua in præſens agimus, deprehendimus in antiquiſſimis verſionibus latinis, eamque PHIL. GARBELLUS b) adverſus eos tueri ac propugnare contendit, qui ipſam in numero gloſſematum habere non recuſarunt. In Codicibus MStis *Copticis* paucis deſideratur illa pars, quam indicavi, pericopes quidem, ſed in uno antiquiſſimo tamen & compluribus aliis legitur c). *Aethiopica* verſio, vetus *Itala*, *Vulgata*, *Ambroſius* & *Augu-*

a) *De doctrina chriſt.* L. II, c. 22, col. 22. To. III. *Opp. Antwerp.* 1700, fol.

b) In *Prolegom. ad J. Blanchini Evangel. quadruplex P.* I. *Vol.* I. p. 22. 23.

c) WILKENS *Præfat. ad N. T. Copticum* p. 26.

Auguſtinus poſt *Tertullianum* eam habent. J. C. WOLFIUS d) pericopam hanc totam Ioanni vindicat. Pauci omnino ſunt codices græci & verſionum, a quibus illa pericopes particula abeſt. Omiſſio ipſa procedit a verbo ἐνδεχομένων usque ad primas ſyllabas ἐκδεχομ. Unde fit prorſus veriſimile, librarium quemdam interjecta omiſiſſe temere ob ſimilitudinem vocabuli, ſi viris quibusdam doctis ſuffragemur. Id vero non prætermittendum eſt, vix alibi ejus generis omiſſiones reperiri. Probabilior itaque mihi videtur ratio, quam repetii iterum iterumque. Ea enim, quæ videbantur in offendiculi anſam ceſſura, paſſim fuerunt in codicibus nonnullis omiſſa, ne fletu quidem Ieſu, angore e) in Gethſemane, & ignorata diei illius hora exceptis.

§. 20.

Ne hoc judicium meum repudiem, adducit me AUGUSTINUS, qui ad hiſtoriam de adultera, IO. VIII, 1-11 legi ſolitam, quæ tamen in multis Codicibus manuſcriptis, verſionibus item & commentatio-

d) *In Curis philol. & Crit. ad Io.* V, 4. p. 836. ſ.
e) HIERONYMUS *adv. Pelagianos L.* II, f. 131. *B. To.* III. *Opp, Baſil.* 1516, f.

tionibus antiquis nec non Catenis frustra quæritur, ita commentatus f) fuit: *Sed hoc videlicet infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli, modicæ vel potius inimici veræ fidei, credo, metuentes, peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud, quod de adulteræ indulgentia Dominus fecit, auferrent de codicibus suis, quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit,* deinceps noli peccare, *aut ideo non debuerit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari, ne offenderentur insani.* IO. MILLIO visum fuit id ipsum in caussa omissionis g) fuisse, quod quibusdam, qui codices curabant describendos, fuerit persuasum, haud ex usu esse, ut historia illa populo prælegeretur. Antequam ei a nonnullis cautioni locus fuit datus, pericopa universa in ecclesiarum codicibus promiscue lecta fuit. CYPRIANUS enim eam habet in *Libro de Unitate Ecclesiæ;* lecta fuit in *Evangelio secundum Hebræos* seu XII *Apostolorum*, quod IRENÆUS h) pro Palæstino Matthæi evangelio habuit, ideoque falsa non i) continuit: lecta fuit in

f) L. II. c. 7. *de adulterinis conjugiis ad Pollentium.*

g) Exemplaria ejusmodi manuscripta enumerat IO. IAC. WETSTENIUS in *Proleg.* & ad *hunc locum.*

h) III, 11.

i) IO. ERN. GRABE in *Spicilegio Patrum Seculi* I. p. 27. *Oxoniæ* 1714, 8.

Harmonia seu *Monotessaro* AMMONII: *Alexandrini* k): lecta fuit in TATIANI *Epitome quatuor evangeliorum.* Ex horum utriusque harmonia evangeliorum *Eusebius* eam canonibus suis inseruit. Alibi l) quidem *Eusebius* videtur historiam de adultera non agnovisse genuinam, ita scribens: *Papias enarrat aliam historiam de muliere, propter multa peccata coram Domino accusata, quæ in evangelio secundum Hebræos habetur.* Attamen non videntur hæc indicio esse, eam tunc in Evangelio Ioannis lectam non fuisse, sed potius ita expositam fuisse a Papia, quali ratione in illo secundum Hebræos evangelio habebatur. HIERONYMI locum huc facientem dabo ex integro, qui sic m) habet: *In Evangelio secundum Iohannem in multis & græcis & latinis codicibus invenitur de adultera muliere, quæ accu-*

 sata

k) *Traité de la Veritable Religion To.* III. *Diss.* VII. p. 321. *Paris* 1737, 8.

l) *Hist. Eccl.* III, 39.

m) *L.* II. *adv. Pelagianos, f.* 131, *C. D. To.* III. Opp. IO. IAC. WETSTENIUS *in To.* I. *N. T. Græci* p. 891 pericopam sibi suspectam videri tradit. At, ea exemta, lacuna nascitur in initio incisi 12. Omissio pericopes in nonnullis codicibus obvia non sufficit ad eam suspectandam. Reliqua *wetstenii* argumenta sunt omnino exigui momenti & solvi facillime possunt ejus objectiones criticæ.

ſata eſt apud Dominum. Accuſabant autem & vehementer urgebant Scribæ & Phariſæi, juxta legem eam lapidare cupientes. At Ieſus inclinans, digito ſcribebat in terra eorum ſcilicet, qui accuſabant, & omnium peccata mortalium, ſecundum quod ſcriptum eſt in Propheta: Relinquentes autem te, in terra ſcribentur. *Tandem caput elevans, dixit eis:* Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus mittat ſuper eam lapidem. *Hoc, quod dicitur ſine peccato, græce ſcriptum eſt* ἀναμάρτητος. *Qui ergo dicit, aliud eſſe ſine peccato, & aliud* ἀναμάρτητον, *aut græcum ſermonem novo verbo exprimat: aut, ſi expreſſum eſt a Latinis, ut interpretationis veritas habet, perſpicuum eſt,* ἀναμάρτητον *nihil aliud eſſe, niſi ſine peccato. Et quia accuſatores omnes fugiunt, (dederat enim verecundiæ eorum clementiſſimus judex ſpatium recedendi,) rurſumque in terra ſcribens terramque deſpiciens; paullatim diſcedere & oculos illius declinare cœperunt, ſolusque remanſit cum muliere, cui locutus eſt Ieſus: Ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit? Quæ ait: Nullus, Domine. Reſpondit ei Ieſus: Nec ego te condemnabo, vade & a modo noli peccare. Præcepit Dominus, ne ulterius peccaret, ſicut & alia ſimiliter in lege mandavit. Sed utrum ea fecerit, nec ne, ſcriptura non dicit.* Hinc perſpi-

perſpicitur initium & finis pericopæ illius, de adultera ſolitæ inſcribi. Planum eſt & luculentum, *Hieronymi* ætate pericopam illam in multis codicibus tum græcis tum latinis lectam fuiſſe. ATHANASIUS eam memoravit *contra Arianos*. Laudarunt eam *Victor* & *Fulgentius*. AUGUSTINUS eam exiſtimavit eſſe canonicam & a Ioanne exaratam, *Tractat.* XXXII *in Ioannem* & L. II. *de adulterinis conjugiis* c. 6. 7; nec non in *Libro de Conſenſu Evangeliſtarum* c. 10. Pro canonica habetur pericope hæc in *Conſtitut Apoſtolicis* II, 24. Eamdem ſententiam ſequitur AMBROSIUS *de Spiritu ſancto* L. III, c. item, & L. VII, *ep.* 58. L. IX, *ep.* 76. Memoratu dignum eſt quidem, eam in Codice *Vercellenſi* & *Brixiano*, quorum utrumque BLANCHINUS in *Evangeliario quadruplice* publicavit, non legi; ſunt tamen multi pervetuſti latini codices, a quibus ipſa non abeſt n). Gnoſtici olim, Herrnhutanis novis quodammodo ſimiles, hanc utique pericopen repudiarunt. Cauſſam hujus faſtidii ediſſeruit b. m. IO. LAUR. MOSHEMIUS o), in

 ſta-

n) GARBELLUS *in Prolegomenis ad Blanchini Evangel. quadr.* p. 75. 76, & BLANCHINUS *ibi* P. I. *Vol.* II, p. 506. 507.

o) *In Inſtitut. hiſtoriæ Chriſt. majoribus ad ſæculum pri-*

ſtadio ſtiſtoriæ eccleſiaſticæ primorum ſæculorum ſane exercitatiſſimus & magnus, qui fontem, quem ſupra indicavi & ex quo omiſſiones nonnullarum pericoparum in N. T. paſſim in uſum communem emanarunt, ſpeciatim recluſit & ita aperuit, ut nihil dubitationis ſupereſſe queat.

§. 21.

Pericopam LUC. XXII, 43. 44, ubi Angelus dicitur a cœlo veniſſe & Ieſum corroboraſſe precibus intentum, Hujus vero inter angoris maxime ſenſum defluxiſſe ſudorem in terram pæne inſtar guttarum. HIERONYMUS p): *In quibus exemplaribus tam græcis quam latinis invenitur, ſcribent Luca*, „Apparuit Illi Angelus de cœ„lo, *confortans Eum*, „ *haud dubium, quin Dominum Salvatorem.* „Et factus eſt in agonia prolixius orabat, factusque eſt ſudor „ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in „terram.„ *Salvator in paſſione ab angelo confortatur. & Critobolus meus non indiget auxilio Dei.* Verba Lucæ, quæ dedit *Hieronymus* latine eodem modo leguntur in codice *Vercellenſi.* Conſonat *Veronenſis* ad ver-

primum P. II. §. 4. p. 232. 234 ſ. MILLIUS *in Proleg. ad N. T. n* 726.

p) L. II. *adv. Pelagianos f.* 131. B. G.

verbum, excepto quod in hoc legitur *decurrentes*. In codice *Brixiano* non exhibetur hæc pericope, nec in antiquo *Corbeiensi*. Habetur tamen in Codice Ecclesiæ *S. Gatiani Turonensis*, in *Vindobonensi* & *Majoris Monasterii*, ac in *Vulgata* q), Syriaca, versionibusque aliis. Agnoverunt incisum utrumque IUSTINUS *Martyr* r) & IRENÆUS s), quum hæreticis nihil adhuc indulgeretur in litteras diviniores. Impugnasse inde Arianos divinitatem Iesu Christi EPIPHANIUS t) tradit, quod videtur obscuriusculum. Causſam omissionis detegere conatur LAMIUS u). Omissionem, alicubi admissam, HILARIUS x) indicat. VINC. LUD. GOTTI pericopam ivit vindicatum y), quo negotio feliciter satis defunctus fuit. Videripoterat devotis Iesu cultoribus ista, quam Iesus in horto perpessus fuit, miseria, misericordia Patris in filium suum propendente minus digna, parumque congruens illi

q) BLANCHINI *Evangel. quadr.* P. II. *Vol.* I. p. 274. 275.
r) *Dialog. cum Tryphone Iud.* p. 331.
s) III, 14.
t) *In Ancorato* p. 31.
u) *In Concordia Evang.* L. V, c. 36.
x) L. X. *de Trinitate.*
y) *De Veritate religionis Christ. & librorum, quibus innititur To.* I, p. 305.

amori, quem ſuper Iordane cœlitus Pater fuerat teſtatus. Id mihi videtur in cauſſa fuiſſe, cur in quibusdam codicibus, uſui communi & prælectionibus eccleſiaſticis ac lectioni domeſticæ accommodatis, pericopa fuerit omiſſa. Inſtabant enim *Gnoſtici* & *Manichæi* Chriſtianis orthodoxis, tela ex ſcitis Philoſophiæ Orientalis magicæve mutuati. Ipſi, duos Deos, benignum alterum & alterum crudelem, eſſe, docebant quorum hic ſub V. T. victimas popoſcerit tuleritque ex Sinai legem. Benignum vero Deum condidiſſe ætates fœderis Novi, ſibi perſuadebant. Quæ in tabulis N. T. ad hunc haud quadrare videbantur, omittebant & pro ſuppoſititiis reputabant. Nec defuiſſe videntur cœtibus Chriſtianis, qui ea ab uſu publico voluerunt remota, quæ ſectatoribus Philoſophiæ Orientalis erant ludibrio & incautis animis offendicula ſtruere poterant. Arianis eorumque ducibus hæc pericopa non admodum poterat eſſe ingrata, niſi forte crediderint, Chriſto, quem ipſi putabant eſſe Angelum primarium, incongruam eſſe opem ab alio Angelo latam. Id vero prorſus eſt incredibile, ipſos ex ſumma hujus pericopæ argumentum adverſus divinam Chriſti naturam elicuiſſe & orthodoxis oppoſuiſſe. Nervus enim argumenti hujus tam amplus eſt,

ut

ut contra omnia fœderis Novi ſcripta pugnet. Videtur *Epiphanius*, ut ſolet nonnunquam, unum vel alterum *Arianum* ſic argumentatum audiiſſe, ac inde ſententiam procudiſſe, ad omnes Arianos protenſam. Qui Ieſum, Hieroſolymis z) illacrimantem, & negotiatores monte & porticibus templi, fune adrepto, diſcedere jubentem, in ſuis exemplaribus evangeliorum ferre non poterant, non erant Ariani nec diſputatores, Arianis adverſati.

z) Luc. XIX, 41. ubi illud, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, in quibusdam codicibus non legitur, nec lectum fuit in exemplaribus publice receptis, quæ vidit EPIPHANIUS, ut ſignificat in *Ancorato* 31.

Cetera ſequens Faſciculus legenda dabit.

IOHANNIS MEDHURST
V. D. M.

OBSERVATIO
IN
TIT. II, V. II. 12.

§. 1.

Interpres eruditiſſimi varia loca ex auctoribus Græcis hauſta in medium protulerunt, & illa cum verbis Apoſtoli contulerunt, quo hæc illis elucidarent. PRICÆUS nobiscum communicavit loca ex DIONYSIO HALICARNASS. & PORPHYRIO ita ſcribens in commentario ſuo: σωφρονως, ηδη δικαιως, ηδη ευσεβως ζησωμεν] Sic ευσεβεςερως, δικαοτερως, σωφρονεςερως, (*quod notabile*) *lib. I.* DIONYSIUS HALICARNASS. Et σωφρων, οσιος, δικαιος *apud* PORPHYRIUM. Περι αποχ. δ'. Confert quoque vir idem doctiſſimus cum dicto Paulino CICERONIS verba dicentis: *Sobrie*, *ſevere*, *continenterque vivere*, ſed quo jure, quave injuria, nihil attinet dicere, cum illa CICERONIS nihil aliud demonſtrent niſi Latinos æque, ac Græcos modum vivendi per adverbium ſigni-

ſignificaſſe, id quod & PRICÆUM docere voluiſſe, quæ in ejus commentario adjuncta ſunt, ſuadent. Legi in LUCIANI *Somnio* ſequentia, quæ cum illis Apoſtoli ſatis bene conſpirant: και την ψυχην, οπερ σοι κυριωτατον εστι, κατακοσμησω πολλοις, και αγαθοις κοσμημασι, σωφροσυνη, δικαιοσυνη, και ευσεβεια —— —— Ταυτα γαρ εστιν ο της ψυχης αχηρατος κοσμος. *Quia & animum, quæ tui pars eſt primaria, excolam multis; bonisque ornamentis temperantia, juſtitia pietate —— —— Iſta enim vere ſunt ſincera mentis decora.* T. I, p. 14. *Ed. Reitz.* Sed locum huncce jam obſervavit LAMBOS in *Excrcit.* pag. 146. Notandum eſt LUCIANUM eundem rerum, aut verborum ordinem ſecutum eſſe, quem PAULUS ſibi præſcripſerat, quod apud alios veterum auctores non invenitur. A veritatis autem ſpecie prope abeſt illum ordinem hunc, qui ſane optimus eſt, ex Chriſtianorum ſcriptis addidiciſſe. Obſervavi præterea locum apud ISOCRATEM, qui, licet verba in illo aliter ſint diſpoſita, ratione ſenſus tamen iis, quæ Apoſtolus ſcripſit, magis reſpondet, quam illa, quæ ex DIONYSIO HALICARNASS, PORPHYRIO, & LUCIANO citata ſunt. Ita autem loquitur ISOCRATES de Pace p. m. 334. Α μεν χρη υπαρχειν δει τοις μελλουσιν ευδαιμονησειν την τ' ευσεβειαν,

βειαν, καὶ την σωφροσυνην, καὶ την δικαιοσυνην, ἢ την αλλην αρετην, ολιγω προτερον ευρηκαμεν. *Quibus igitur rebus inſtructos eſſe deceat eos, qui felices futuri, pietate nimirum, & temperantia, & juſtitia, cæterisque virtutibus, paulo ante dictum eſt.* Videmus igitur tam PAULUM, quam ISOCRATEM easdem virtutes propoſuiſſe tanquam utiles & neceſſarias ad beatitatem, cum hic dicat, eos, *qui felices eſſent futuri*, iis inſtructos eſſe debere, ille autem *ſalutarem nosmet gratiam* illas virtutes *docere.* Sed quid juvat dictiones ex Græcis, aliisque auctoribus allegare, quæ aliqua ratione reſpondent iis, quæ in novo Teſtamento adinveniuntur, niſi illæ adhibeantur etiam ad illuſtranda Scripturæ Sacræ verba? Nosmet prudentiorum, & peritiorum Interpretum exemplis excitati loca modo propoſita in rem noſtram convertere, & tentare volumus, an verba Apoſtoli luce aliqua conſpergere poſſimus.

§. 2.

Vidimus Paulum easdem fidelibus virtutes tanquam neceſſarias ad vitam beate tranſigendam commendaſſe, quæ ab aliis quoque Græcis præceptæ ſunt ad eundem ſcopum obtinendum. Cum plures ſint ſcriptores Græci, qui id fecerunt, manifeſtum

ſtum eſt hanc vitæ normam ad doctrinam moralem Philoſophorum Græcorum pertinuiſſe, & Paulum illam ex hac hauſiſſe, cum inter omnes conſtet illum in ſcriptis eorum verſatum fuiſſe. Et ſic apparet verum eſſe, quod de ethnicis teſtatus eſt Paulus: Rom. II, 14. 15. Οταν γαρ εθνη τα μη νομον εχοντα, φυσει τα τε νομε ποιη, ουτοι νομον μη εχοντες, εαυτοις εισι νομος, οιτινες ενδεικνυνται το εργον τε νομε γραπτον εν ταις καρδιαις αυτων, συμμαρτυρουσης αυτων της συνειδησεως, και μεταξυ αλληλων των λογισμων κατηγορουντων, η και απολογουμενων. Cum Paulus Chriſtianos ad perficienda officia ſua exhortetur verbis ex doctrina morali ethnicorum hauſtis, ſimul quoque docet evangelium talia non reſpuere præcepta, vel doctrinas, quæ ex ratione ſana originem traxerunt. Novis autem præcepta illa firmat argumentis, atque iis fideles ad perficienda illa commovere ſtudet, quo vita felici, & quieta perfrui poſſent.

§. 3.

Hæc rite obſervata lumen nobis clariſſimum accendere poſſunt ut verba Apoſtoli recte intelligere, & quæ in iis non ſatis clara ſunt, explanare queamus. Cum negari non poſſit Apoſtolum hic arva ſua ex ſcriptis Philoſophorum rigaſſe, & eorum doctri-

doctrinam, ac præcepta ſua feciſſe: patet ſimul quoque ſignificationem verborum σωφρονως, δικαιως, & ευσεβως ex ſcriptis Græcorum eruendam eſſe. Nemini incognitum poteſt eſſe, niſi qui litterarum Græcarum plane ſit expers, illud ευσεβως officia pietatis in Deum indigitare. Nec facile in dubium vocari poteſt illos δικαιως vivere, qui officia ſervant, quæ amor proximi exigit, vel quæ ex hominum fluunt ſocietate. ISOCRATES hanc confirmat explicationem, dum veteres Athenienſes laudaturus dicit illos omni tempore exercuiſſe ευσεβειαν περι μεν τες θεες, δικαιοσυνην δε περι τες ανθρωπες. *Pietatem in Deos, juſtitiam in homines.* Similia hisce poſtea in eadem oratione occurrunt. p. 538. In *Panathenaico* p. 504. Non opus fuiſſet hoc notaſſe, poſtquam alii jam, & inter illos literatiſſimus RAPHELIUS in *Annotationibus Xenophonteis* hanc dictorum verborum ſignificationem docuerunt, niſi e re noſtra eſſet, ut ſciamus quid ευσεβεια, δικαιοσυνη, ac σωφροσυνη apud ISOCRATEM denotent. Cum ille enim virtutes hasce in citata oratione *de Pace* Athenienſibus commendaverit tanquam tales, quæ ad beatitatem ſint neceſſariæ, ex eo omnium optime cognoſcere poſſumus, quales illæ ſint virtutes. Imprimis autem in illa oratione

talia

talia obſervavimus, quæ veram nobis detegere, atque illuſtrare poſſunt ſignificationem vocum σωφροσυνης, & σωφρονως, in quibus explicandis parum accurati, & felices fuerunt eruditiſſimi Interpretes. Obſervavimus imprimis illos ſenſum harum vocum nimis exiguis circumſcripſiſſe cancellis, nec ſatis commode dixiſſe per το σωφρονως indicari officia adverſus hominem ipſum. Quod ſenſum illarum attinet vulgo creditur eas ſignificare temperantiam, quam dicunt eſſe *moderationem cupiditatum noſtrarum* vid. LIMBORCHII *Theol. Chriſt.* v. XVII, 1. & v. L, 1. Cum quo conſpirat WITTICHIUS; qui ad h. l. illud σωφρονως ad duo extrema decalogi præcepta refert. LIMBORCHIUS autem temperantiam vel σωφροσυνην *proprie eſſe* putat *virtutem, quæ in ſectandis voluptatibus carnis, quæ potiſſimum nobis cum belluis communes ſunt, modum ſervat.* l. c. cap. LII. §. 1. ſq. WOLFIUS ſcripſit in *Curis* ſuis ad h. l. *Optime illi inſtituunt, qui per* το ευσεβως *officia adverſus Deum, per* το δικαιως *officia adverſus proximum, per* το σωφρονως *vero illa adverſus hominem ipſum indicari exiſtimant.* Quod LIMBORCHII & WITTICHII ſententias attinet, ſtatim docturi ſumus ſenſum vocis σωφροσυνη latius patere, quam illi ſtatuerunt viri eruditiſſimi. De WITTICHIO autem

impri-

imprimis notandum illius explicationem communi plurium Theologorum, ſed minus vera niti opinione, quod Decalogus complectatur ſyſtema præceptorum ex amore Dei, & proximi profluentium, ſive totius doctrinæ moralis, cujus contrarium facile probare poſſemus, ſi id ageremus. Decalogus continet præcepta imprimis a populo Iſraelitico cuſtodienda, atque hanc ob cauſſam eſt fundamentum fœderis Sinaitici, & omnium aliorum præceptorum ad illud pertinentium; Sed ex hoc non ſequitur σωφροσυνην nihil aliud perficere, niſi quod perverſas cupiditates, quæ in ultimo decalogi præcepto enumerantur, refrænet, atque a falſo contra proximum teſtimonio nos revocet, imprimis cum contrarium ſtatim patebit. Minus commode quoque dicitur per το σωφρονως intelligenda eſſe officia adverſus nosmet ipſos obſervanda. Videbimus enim σωφροσυνην id imprimis operam dare ne quid agamus rationi contrarium, & curam quoque gerere, ne officia in Deum, & proximum intermittamus.

Rectius vocem in *Theſauro* ſuo interpretatus eſt SUICERUS, quod & hanc ob cauſam facere potuit, quod non modo eruditos Patres eccleſiæ, ſed & alios veterum auctores conſuluit. ISIDORUS PELUSIOTA

SIOTA eum docuit Σωφροσυνην dictam eſſe παρα το σωας εχειν τας Φρενας *quod mentem habeat ſanam.* Cum ſententia hæc conſpiret cum origine vocis, non eſt contemnenda, quemadmodum illam quoque vir eruditiſſimus in ſequentibus illuſtrat, & confirmat. Inter alia autem ex CICERONIS *Tuſculanis Quæſtionibus* locum affert, ubi orator ille, & Philoſophus Romanus dicit *temperantiam eſſe moderatricem omnium commotionum.* Invenitur locus ille dictarum *Quæſt.* l. V. Humani aliiquid paſſus eſt vir præſtantiſſimus, ſi exiſtimavit, ut videtur, CICERONEM hac definitione omnia complexum eſſe, quæ σωφροσυνην Græcorum ſignificare putavit. Contrarium enim patet ex alio loco in *Tuſcul. Quæſtionibus* mox allegando, quem a SUICERO non obſervatum eſſe miror, quod imprimis de ſenſu, & vi vocis σωφροσυνη agit, eamque egregie explicat. Inter omnia autem, quæ vir egregius ad illuſtrandam hanc vocem congeſſit, nihil propius ad ſententiam CICERONIS de illius ſignificatione accedit, quam illa CLEMENTIS ALEX. qui *ſtrom.* l. II. p. 394 dicit σωφροσυνην eſſe εξιν αιρεσει και φυγη σωζουσαν τα της Φρονησεως κριματα, *habitum, qui eligendo, & vitando ſervat judicia prudentiæ.* Ad quem locum imprimis notandum eſt ISOCRATEM quoque σωφροσυνην

appellaſſe ἕξιν τῆς ψυχῆς, habitum animæ, in *Panathen.* p. 534. Nosmet verba CICERONIS virtutem illam explicantia conſideraturi, & cum iis, quæ in ISOCRATE notavimus collaturi ſumus, quo verum vocis illius ſenſum elucidemus, ac probemus. Ita autem CICERO: *Veriſimile etiam illud eſt, qui ſit temperans: quem Græci σωφρονα appellant: eamque virtutem σωφροσυνην vocant, quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modeſtiam: ſed haud ſcio, an recte ea virtus frugalitas appellari poſſit, quod anguſtius apud Græcos valet, qui frugi homines χρησιμους appellant, id eſt tantummodo utiles. At illud latius: eſt enim omnis abſtinentia, omnis innocentia, quæ apud Græcos uſitatum nomen nullum habet, ſed habere poteſt ἀβλαβειαν: nam eſt innocentia affectio talis animi, quæ noceat nemini: reliquas autem virtutes frugalitas continet, quæ niſi tanta eſſet, & ſi iis anguſtiis, quibus plerique putant, teneretur, nunquam eſſet L. Piſonis cognomen tantopere laudatum. Sed quia nec qui propter metum præſidium relinquit, quod eſt ignaviæ; nec qui propter avaritiam clam depoſitum non reddidit, quod eſt injuſtitiæ: nec qui propter temeritatem male rem geſſit, quod eſt ſtultitiæ frugi appellari ſolet: eo tres virtutes,*

tutes, fortitudinem, juſtitiam, prudentiam frugalitas complexa eſt. Etſi hoc quidem commune eſt omnium virtutum; omnes enim inter ſe nexæ, & jugatæ ſunt. Reliqua igitur & quarta virtus, ut ſit ipſa frugalitas neceſſe eſt. Ejus enim videtur eſſe proprium motus animi appetentes regere, & ſedare: ſemperque adverſantem libidini, moderatam in omni re ſervare conſtantiam, cui contrarium vitium nequitia dicitur. Tuſc. Quæſt. l. III. Rectiſſime CICERO σωφροσυνην appellat non modo *temperantiam*, ſed etiam *moderationem*, & *modeſtiam*, cum certiſſimum ſit illam virtutem ad hæc tria extenſam eſſe. Dubitat autem an recte ea virtus frugalitas appellari poſſit, & ſane erravit, ſi vel illud ipſi vero ſimile viſum eſt. Namque licet fortitudo, Juſtitia, & prudentia, quas ſecundum CICERONEM frugalitas complectitur, non ſeparari poſſint a virtute illa, quam Græci σωφροσυνην appellant, non tamen pro virtute hac ipſa ſunt habendæ, ſed ad illam potius tanquam ad fontem ſunt referendæ. Σωφροσυνη enim ſignificat, ut modo vidimus, habitum mentis, & putandum eſt illam denotare talem habitum, qui juſtitiæ, fortitudinis, prudentiæ ac modeſtiæ, aliarumque virtutum cauſa ſit, & quidem ita, ut temperet atque refrænet affectus & ſemper reſpiciat quid utile, quid

honeſtum ſit, vel quid ſana ratio a nobis poſtulet. Et hoc pacto de illa dici poſſunt, quæ CICERO frugalitati loco citato adſignavit: ſcil. *ejus proprium eſſe motus animi appetentes regere, & ſedare, ſemperque adverſantem libidini, moderatam in omni re ſervare conſtantiam.* Sed rationibus, & argumentis confirmanda eſt noſtra ſententia, imprimis cum virtus illa ad ſolam temperantiam vulgo reſtringatur. Si vero conſulamus originem vocis græcæ, ſecundum quam σωφροσυνη illi, qui ſanæ eſt mentis, tribuitur, patebit eam aliquid imprimis denotare, quod in mente ipſa ſit, & peragatur. Et hoc quidem adhuc clarius patet, ſi conſideremus, quod σωφροσυνη ſæpius a juſtitia, pietate, aliisque virtutibus diſtinguatur. Tandem ſi σωφροσυνη eſt *temperantia, illa omnium commotionum moderatrix*, ſi eſt cauſa prudentiæ, ne quid propter temeritatem male agamus, ſequitur iliam menti inhærere, vel habitum animi eſſe. Omnia autem illa, quæ huic virtuti aſſignavimus, ad illam quoque pertinere ex ISOCRATE cum maxime demonſtrandum eſt.

§. 4.

Orator hicce in *Oratione de pace* l. c. affirmat ſe jam antea dixiſſe de iis, quæ impri-

imprimis obſervanda eſſent ab illis, qui felices ſint futuri quò & σωφροσυνην, δικαιοσυνην, ευσεβειαν refert; quare inquirendum eſt, quænam in ipſius ſermone ad σωφροσυνην pertineant? Namque nullibi in hac oratione expreſſis verbis ſignificavit ſe de hac virtute agere velle, ſed potius Athenienſes, ut videtur, redarguit, quod ea ſint orbati. Notandum autem eſt nosmet nullum detecturos eſſe locum, ubi ISOCRATES σωφροσυνην explicuerit, niſi ſtatuamus illum hanc pro fonte juſtitiæ ac pietatis habuiſſe, & judicaſſe illam uſum ſanæ rationis denotare, atque ſtultitiæ contrarium eſſe. Hiſce obſervatis ſine negotio perſcrutari loca poſſumus, quæ Athenienſibus την σωφροσυνην commendant. Pagina 320, & ſeq. civibus ſuis perſuadere vult ad optatam, & conſtantem reipublicæ felicitatem neceſſarium eſſe, ut credant juſtitiam, atque pietatem illam augere & firmare poſſe, atque conqueritur Athenienſes aliter ſentire, id quod ſtultitiæ eſſe demonſtrat. Quæ hac de re diſſerit tam præclara ſunt, ut loca quædam ex iis depromere velimus, licèt prolixiora ſint, præcipuè cum ſententiam noſtram de ſignificatione της σωφροσυνης in oratione ISOCRATIS confirmare & verba Pauli Apoſtoli, haud parum illuſtrare poſſint. Pagina 320 dicit ille:

Εμοι δοκουσιν απαντες μεν επιθυμειν τε συμφεροντος, κ) τε πλεον εχειν των αλλων· ου ειδεναι δε τας πραξεις τας επι ταυτα φερουσας, αλλα ταις δοξαις διαφερειν αλληλων. οι μεν γαρ εχουσιν επιεικεις κ) ζοχαζεσθαι τε δεοντος δυναμενας. οι δ ως οιον τε πλειζον τε συμφεροντος διαμαρτανουσας. *Univerſi mortales, ut mihi videtur, utilitatis ſuæ ſtudioſi ſunt, & in eo laborant, ut plus poſſint aliis. Verum quibus rationibus id aſſequantur, in eo falluntur plerique, & differunt inter ſe opinionibus. Nam alii id effici putant iis, quæ ſunt æquitatis, quæque rebus & temporibus maxime ſunt accommodata; Alii a ratione utilitatis toto (quod ajunt) cælo aberrant.*

Si hæc verba non intelligenda ſunt de virtute illa, quam ISOCRATES poſtea σωφροσυνην appellavit, de qua ſe egiſſe affirmat, deque contraria illi imperitia, vel ſtultitia, nihil in tota oratione deprehenditur, quod vel umbram της σωφροσυνης habeat. Σωφροσυνη ſanam mentem, ſive animum ratione rite utentem, vi originis ſuæ denotat. Nonne autem, qui ſanæ mentis eſt, intelligit, & cogitat quo pacto id aſſequatur, quod ſit utile, vel quod vitam ſuam ſecuram & beatam reddere poſſit? Nonne judicat ad id pertinere ut æquitatis ſit ſtudioſus, & ita agat ut decet, vel rei ac tem-

tempori congruum eſt? Ex hoc autem fluit *temperantiam illam omnium commotionum moderatricem, modeſtiam, habitumque eligendi, & vitandi ſecundum judicia prudentiæ*, ad σωφροσυνην referri debere, cum ſine hisce, neque ſcire, neque conſiderare poſſumus, quæ æquitas poſtulat, neque quid faciendum ſit felicitatem veram & firmam ſectantibus. Notandum hic eſt ISOCRATEM recte affirmaſſe hoc pluribus incognitum eſſe hominibus, cum quo & illa Pauli conſpirant, gratiam ſcil. ſalutarem omnes homines docere σωφροσυνην &c. Poſtea affirmat ISOCRATES p. 322. Εκ δε τυ δικαιαν την πολιν παρεχειν, καὶ βοηθειν τοις αδικυμενοις, και μη των αλλοτριων επιθυμειν, παρ εκοντων των ελληνων την ηγεμονιαν ελαβομεν, ων νυν αλογιςως, καὶ λιαν εικη, πολυν ηδη χρονον καταφρονυμεν. εις τυτο γαρ τινες ανοιας εληλυθασιν, ωϑε υπειληφασι την μεν αδικιαν επονειδιςον μεν ειναι, κερδαλεαν δε, καὶ προς τον βιον τον καϑ ημεραν συμφερυσαν, την δε δικαιοσυνην ευδοκιμον μεν, αλυσιτελη δε, καὶ μαλλον δυναμενην τυ αλλυς ωφελειν, η τυς εχοντας αυτην. κακως ειδοτες ως υτε προς χρηματισμον, υτε προς δοξαν, υτε προς α δει πραττειν, υδ ολως προς ευδαιμονιαν υδεν αν συμβαλοιτο τηλικαυτην δυναμιν, οσην περ αρετη, καὶ τα μερη ταυτης. τοις γαρ αγαϑοις οις εχομεν εν τη ψυχη τυτοις κτωμεϑα καὶ τας ωφελειας, ων δεομενοι τυγχανομεν. ωϑε οι της εαυτων

διανοιας ολιγωρουντες λελησθαι σφας αυτους αμα τουτο φρονειν αμεινον, και το βελτιον των αλλων πραττειν ολιγωρουντες. Θαυμαζω δ ει τις οιεται τους την ευσεβειαν και την δικαιοσυνην ασκουντας, και καρτερειν, και μενειν επι τουτοις εθελοντας ελαττον εξειν των πονηρων, αλλ' ουχ ηγουμενους και παρα θεοις, και παρα ανθρωποις πλεον οισεσθαι των αλλων. εγω μεν πεπεισμαι τουτους μονους, ων δει πλεονεκτειν. τους δ' αλλους ων ουδ βελτιον εστι. *Dum autem publice juſtitiæ ſtuderemus, dum opem ferremus oppreſſis, dum nihil alienum concupiſceremus, Græci principatum ultro nobis detulerunt, quos nunc longo jam tempore inconſiderate, nimisque petulanter contemnimus. Quidam enim eo dementiæ venerunt, ut exiſtiment injuſtitiam probroſam quidem eſſe, ſed afferre lucrum, & in quotidiana vita cumprimis eſſe conducibilem; juſtitiam vero, etſi laudari ſoleat, nihil emolumenti parere, & aliis utiliorem eſſe, quam iis, qui ea prædîti ſunt. Verum illi non intelligunt, neque ad parandas opes, neque ad gloriam conſequendam, neque ad rem bene gerendam, nec denique ad felicitatem adipiſcendam, tantam eſſe vim in injuria, quanta eſt in virtute, & ejus partibus. Nam his bonis, quæ animo inſunt, etiam cæteras utilitates, quibus opus eſt, paramus. Quare qui mentem ſuam uegligunt, hi non animadvertunt, ſe id negligere ut aliis rectius ſentiant, ac meliore fortuna utan-*

utantur. Atque adeo mirum mihi videtur eſſe qui putent, eos, qui in propoſito & conſtantia colendæ pietatis & juſtitiæ labores ſuſcipiant, & pericula adeant, deteriore conditione fore, quam improbos, nec in majore quam alios tam Deorum, quam hominum gratia futuros? Ego vero perſuaſum habeo ſolos hos iis rebus antecellere, quæ veras utilitates pariant: reliquos falſa quadam, & inani ſpe boni gloriari.

Si ex iis, quæ ſupra obſervata ſunt, ſtatuamus σωφροσυνην eſſe fontem juſtitiæ ac pietatis, atque beatitatis, eamque oppoſitam eſſe ſtultitiæ, & temperantiam illam omnium commotionum moderatricem ab ea ſeparari non poſſe: facile videbimus ISOCRATEM Athenienſes hiſce caſtigaſſe verbis, quod non modo a juſtitia, & pietate, ſed & a cauſa earum, ſcil. a virtute, quam Græci σωφροσυνην vocant, receſſiſſe. Omnium clariſſime hoc patet ex iis verbis, quibus illis exprobrat quod mentem ſuam negligant, nec curent ut rectius ſentiant, & meliore utantur fortuna. Dicit enim eſſe ipſos τυτε φρονειν αμεινον, και τυ βελτιον των αλλων πραττειν ολιγωρυντας. Quis negaret illos αμεινον φρονειν *melius ſentire* tantummodo dici poſſe, quibus σωφροσυνη adjudicanda eſt? Et ex hisce quidem manife-

ſtum eſt της σωφροσυνης eſſe, ut ſciat quis & cogitet ſerio, quæ nosmet revera felices poſſint reddere, & ad illud imprimis utile eſſe, ac neceſſarium, ut pietatem ac juſtitiam colamus, omnes affectus, & imprimis cupiditates pravas, & contrarium ſuadentes comprimamus, & extinguamus. Hoc ſi fiat, ex illa virtute mentem ornante profluunt juſtitia, & pietas, & ex hisce ſincera, atque conſtans felicitas reſultat. Nonne hæc congruunt cum illis Pauli, qui σωφροσυνην tanquam radicem præmittit, eique ſubjungit juſtitiam & pietatem tanquam fructus, deque omnibus affirmat ſalutarem gratiam de iis nosmet inſtruere? Cum hæc jam ſcripſeram incidi in locum, ex quo clariſſime patet illum σωφρονειν, qui optimam ad propoſitum veniendi viam elegit. De oratoribus qui imprimis memorabilibus concludunt orationem, affirmat ISOCRATES Εγω δε σωφρονειν μεν νομιζω τους ταυτα γινωσκοντας και πραττοντας. *Ego vero, qui ſic judicant, & agunt* σωφρονειν *cenſeo.* in *Panathen.* p. 536. Præterea in verbis ſupra citatis duo obſervavimus, quorum primum eſt laudatum ſæpius oratorem σωφροσυνην æque ac Paulum inhoneſtis, & injuſtis deſideriis oppoſuiſſe, dum affirmat feliciores fuiſſe Athenienſes, *cum publice juſtitiæ ſtuderent, cum opem ferrent oppreſ-*

oppreſſis, cum nihil alienum concupiſcerent. Alterum autem eſt, illum σωφροσυνην conſideraſſe ut virtutem menti inhærentem, dum id agit, ut Athenienſium mentem ad meliorem flectat de vera felicitate ſententiam, & conqueritur eos id neglexiſſe.

§. 5.

Sed & alia quædam in Orationibus ISOCRATIS obſervavimus, quibus ſignificatio vocum σωφρονως, σωφροσυνη &c. adhuc magis illuſtrari, firmarique poteſt, quæ & hanc ob cauſam ſubjuncturi ſumus. Nicocles cum gloriatus eſſet ſe non conſideraſſe, nec intendiſſe, quæ ſibi ſoli eſſent utilia, ſed potius, quæ felicitatem populi ſui poſſint amplificare, atque conſtantem reddere, juſtitiam, extinctis injuſtis alienorum bonorum cupiditatibus, colendo, hæc addidit: απαντα —— ταυτα σωφροσυνης εργα, και δικαιοσυνης εστιν. *Hæc —— univerſa* σωφροσυνης *munera, atque juſtitiæ ſunt.* ISOCRAT. in *Nicocl.* pag. 68. In *Areopag.* p. 278 docet ille felicitatem potiſſimum parare ac retinere, non eos, qui maxima & pulcherrima ſibi mœnia circumdederunt, aut qui maximam hominum turbam in locum eundem conduxerunt: Sed eos, qui urbem ſuam optime & σωφρονεστατα gubernant. Et ſtatim poſtea dixit: εστι γαρ ψυχη πολεως

πολεως ϐδεν αλλο, η πολιτεια, τοσαυτην εχουσα δυναμιν, οσην περ εν σωματι Φρονησις. *Nec enim alia civitatis anima eſt, quam forma reipublicæ, quæ eandem vim habet, quam in corpore prudentia.* Quo autem intelligas, quo pacto civitas optime, & σωφρονεσατα gubernetur, addit ille: αυτη γαρ εσιν η ϐϗλομενη περι απαντων, καὶ τα μεν αγαθα διαΦυλαττεσα, τας δε συμΦορας διαΦευγεσα. *Siquidem hæc eſt, quæ de rebus omnibus deliberet, quæ & res ſecundas tueatur, & calamitates evitet.* Quod quomodo fiat in ſequentibus docet. Confer. quæ in *Panathenaico* dicuntur pag. 534. Vides igitur Φρονησιν *Prudentiam* eligentem, quod optimum eſt & contrarium huic malum fugientem, ad σωΦροσυνην pertinere. Namque ISOCRATES oſtendit rempublicam σωφρονεσατα adminiſtrari, quando illa prudentia in ea ſanis conſiliis utitur ut eligat, quæ e re ſunt civitatis, & calamitates evitet; Id quod definitionem της σωΦροσυνης, quam CLEMENS ALEX. ut ſupra vidimus, dedit, haud parum confirmare poteſt, quod ſcil. ſit *habitus, qui eligendo, & vitando ſervat judicia prudentiæ.* Illa autem anima reipublicæ pro ſana habenda eſt, ſi prudenter, & quidem dicto modo civitati conſulit, atque dicendum illam virtute σωΦροσυνης eſſe præditam. Virtutis igitur hujus eſt ut menti ſani-

ſanitatem tribuat & ſalutaria nobis ſuggerat conſilia. Hoc quoque ex contrario manifeſtum eſt. Namque ISOCRATES Athenienſibus, quos cohortatur, ut σωφροσυνην ſectarentur, tribuit *animos ægrotos, & malarum cupiditatum plenos* in *Orat. de Pace* p. 326. Imprimis notandum, ISOCRATEM paucis interjectis, civibus hisce ſuis exprobraſſe, quod parum videant, atque conſiderent quid commodo ſit reipublicæ; quod, quamvis ſint eloquentiſſimi, & rerum gerendarum peritiſſimi, ea temeritate ſint, ut eodem die de rebus iisdem non eadem decernant; quod cum Græcorum ſapientiſſimos ſe eſſe profiteantur, eorum a conſiliis pendeant, quos nemo non aſpernetur; quod ſummæ rerum omnium illos ipſos præficiant, quibus nemo privatum quicquam commiſerit, cætera, p. 330. Hæc autem τη σωφροσυνη imprimis contraria eſſe ex iis colligere licet, quæ poſtea propoſitis illis, quæ ad illam materiam pertinent, adjunxit. ſcil. dixit: ημεις τ αν εγνωμεν οσω κειττον εϛι το σωφρονειν τϐ πολυπραγμονειν, *& nos intelligeremus, quantum* το σωφρονειν *turbulentis, & inquietis conſiliis præſtaret*, p. 332. σωφροσυνην pravis cupiditatibus contrariam eſſe ex SOPHOCLE etiam diſcere poſſumus. CREON enim cum dixiſſet, ſe tali non eſſe ingenio ut regnare ipſe

ipſe malit, quam imperata facere, adjunxit ita etiam affectum eſſe, ὁσὶς σωφρονεῖν ἐπίσαται, *qui novit* σωφρονεῖν, vel *qui ſanæ mentis eſt. Oedip. Tyr.* v. 597. Obſervavimus quoque ISOCRATEM æque ac CICERONEM ſtatuiſſe modeſtiam ad σωφροσυνὴν eſſe referendam. Namque in *Areopagitico*, ubi per partes docet veteres Athenienſes σωφροσυνὴν *coluiſſe, affirmat illos non peregrinas ferias, quibus epulæ adhibentur, ſplendide agitaſſe, ſed in templis religioſiſſimis de locationis reditibus ſacrificaſſe.* p. 283. ſq. Rationem hujus rei hanc fuiſſe teſtatur quod *non religionem magnitudine ſumptuum metirentur, ſed eorum rituum obſervatione, quos eis majores tradidiſſent.* Sic omnem inanis oſtentationis ſuſpicionem in cultu Deorum vitabant, atque modeſtia in ipſa eorum religione elucebat.

Tandem notandum eſt ISOCRATEM in *Areopagitico* σωφροσυνὴν a virtute diſtinxiſſe, licet illam alias inter virtutes recenſeat, ut ex loco ſupra citato manifeſtum eſt. καὶ τοσοῦτον μνημεῖον ἐν τῷ τόπῳ τῶν ἑαυτῶν ἀρετῆς, καὶ σωφροσυνῆς ἐγκατέλιπον. *Tantum ſuæ virtutis, & σωφροσυνῆς monumentum in eo loco reliquerunt.* p. 286. Hic loci apparet σωφροσυνὴν ISOCRATI fuiſſe fontem omnis virtutis in vita demonſtratæ, Juſtitiæ,

tiæ, Pietatis, aliarumque, quod & ſupra illam eſſe ſignificavimus.

§. 6.

Sic veram, plenamque dictæ vocis ſignificationem ex ISOCRATE illuſtravimus, atque probavimus, & apparet illam latius patere, quam eruditiſſimi Interpretes vulgo crediderunt. Huic autem diſſertatiunculæ coronidem imponere nolumus, antequam obſervaverimus, quibus argumentis oratores, atque Philoſophi Ethnici, quibus Paulus Apoſtolus homines ad colendum dictas virtutes conati ſint excitare, & quare Paulus hunc ordinem verborum ſecutus ſit, ut dixerit nobis σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς vivendum eſſe.

Quod prius illud attinet, omnes tam Oratores, & Philoſophi ex Ethnicis, quam Paulus fortiſſima adhibuerunt argumenta; majoris tamen ponderis, ac momenti ſunt, ad commovendos animos, quæ apud Paulum adinveniuntur. Illi quo lectores, vel auditores ſuos ad æmulandas illas virtutes adducerent, oſtendunt illos, qui earum eſſent ſtudioſi, proſpera uti poſſe fortuna, cum contraria vitia multarum ærumnarum ſint cauſa; Hoc ita ſe habere exemplis clariſſimis, & illuſtriſſimis probavere, ac

monue-

monuerunt virtutes illas præcipua mentis ornamenta exiſtere. Hæc ſatis virium habent ad detorquendos animos prudentum a vitiis ad virtutes; quanto autem magis mentem noſtram allicere, atque voluntatem impellere poſſunt, ut ſplendida virtutum veſtigia premamus, quanto magis nos ad hoc faciendum inflammare poſſunt, quæ Paulus Tito ſuo propoſuit? Ille argumenta ſua hauſit ex gratia Salutari, quæ nos non modo *docet, ut abnegantes impietatem, & mundana deſideria, σωφρονως, nec non juſte & pie vivamus in hoc ſeculo;* ſed & hoc facientes nosmet jubet *expectare beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu*, qui venturus eſt tanquam judex omnium hominum, eisque ſolummodo vitam adjudicabit æternam, qui dictas exercuerunt virtutes, namque is eſt, *qui dedit ſemet ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, Zelotem bonorum operum.* Notum quidem eſt & Philoſophos Ethnicorum interdum de remuneratione poſt vitam hancce viris bonis expectanda, deque pœna malis parata ſermonem ita feciſſe, ut reliquias traditionis Patriarchalis in eo facile dignoſcere poſſis. Sed nihil certi his de rebus intellexerunt, aut docuerunt. Inter alios ſcripſit SENECA:

Iuva-

Iuvabat de æternitate animarum quærere, imo mehercule credere —— dabam me Spei tantæ. —— Cum ſubito experrectus ſum, epiſtola tua accepta, & tam bellum ſomnium perdidi. Epiſt. 102. Conf. HEMSTERH. ad LUC. *Dial. Mort.* T. I. p. 329. *ed. Reitz.* Quam certa e contra, & ad perſuadendum apta fuerunt, quæ Apoſtoli de ſtatu animi poſt mortem, de aliisque futuris docuere? Quam firmiter illa crediderunt? Illa vero, quæ Paulus loco noſtro propoſuit, imprimis commovere, & excitare poterant homines humili loco natos, qui neque divitias, neque gloriam, nec honorem in hoc mundo poterant expectare, quales plurimi fuerunt Chriſtianorum, quales & illi imprimis erant, quos Paulus antea adhortatus erat. Sed hæc Theologis ulterius elucidanda relinquimus, & ſatis eſſe ducimus, ſi in diſſertatione Philologica obſervemus ex iis dictis manifeſtum eſſe, Chriſtianorum doctrinam moralem longe præſtantiorem, & fertiliorem ac uberiorem eſſe, quam Ethnicorum.

Hunc autem verborum ordinem, & quidem ſapientiſſime elegit Apoſtolus ut σωφροσυνην præmiſerit, juſtitia ſequatur, & tandem pietas ultimo loco ponatur. Cum enim

enim σωφροσυνη ſit fons, & ſcaturigo juſtitiæ, ac pietatis, ut ſupra oſtenſum, illa jure merito primum locum occupat, ut pernoſcatur veri nominis juſtitiam, & pietatem non eſſe, quæ non ex illa profluat. Hoc nosmet docet illis, qui juſte & pie volunt vivere, imprimis operam dandam eſſe ut *animos ægrotos*, & *malarum cupidatum plenos* corrigant ſanentque. Ad hoc autem ortus nobis eſt Sol juſtitiæ, cujus gratia nobis clariſſimi ſplendoris inſtar affulſit, qui nosmet langueſcentes melius ſanare poteſt, quam omnes Philoſophi, & Oratores. Liceat mihi hoc loco obſervare non modo ſcriptores Sacros de illis, qui nobis perſuadent ut ad bonam frugem nos recipiamus, dicere, quod nosmet ſanent, ſed id quoque ab aliis factum eſſe. Sic CICERO: *Quos ſi meus conſulatus, quoniam ſanare non poteſt, ſuſtulerit. In L. Catil. Or.* XX. c. V. & cap. VIII. De Catilinæ aſſeclis affirmat ſe *eos non tam ulciſci, quam ſanare, & reipublicæ placare ſtudere.*

Sed ad verba Pauli revertendum nobis, obſervandumque eſt in iis inveniri climacem, ſeu gradationem, quæ illis non modo inſigni ornamento eſt, ſed ſimul quo-

quoque docet, quænam officia nobis imprimis incumbant. Præclara ſane eſt σωφροσυνη & laudanda, animoque haud exiguum decus affert; illa tamen magis ſplendet per juſtitiam, & omnium maxime ſi in pietate eſt conſpicua. Et per ſe patet pietatis officia Filiis Dei, quibus ſalutaris apparuit gratia, ante omnia alia eſſe ſervanda.

TANTUM.

III.

CHRIST. LUD. SCHLICHTERI APOLOGIAE PRO VIRO ILLUSTRI SAMUEL BOCHARTO SECTIO TERTIA *), QUAE BOCHARTUM MODESTE VINDICAT ATQUE ἐπιχρίσιν UBERIOREM COMPLECTITUR.

ARGUMENTUM.

§. 1. BOCHARTUS a nævis non liberum se fatetur. Non tamen *semper* lapsus est in *Arabicis*. GUISII, Juvenis, *elogia*. Doctos tamen nimis *taxat*, imprimis SIXT. AMAMAM, aliis laudatum. Ipse non raro *hallucinatur*. Nimis *audax*. *Iudicium* ejus non satis *maturum*, ut & EL. SCHEDII, Juvenis, cujus lib. de *Diis Ger-*

*) *Sectiones antecedentes leguntur Classis hujus Secundæ Fasciculo Primo, p. 170. sqq.*

Germanorum tamen non plane contemnendus. BOCHARTI encomium. A Cl. MAJO non ſufficienter refutatur. WEBERI lib. de *Puſtero* &c. laudatur. §. 2. WOLFFBURGIUS laudat BOCHARTUM, ſed *judicium* in eo deſiderat. *Ejus invidia* in *Calviniſtas*. Juvenis faſtuoſus. *Judicii* acrimonia in Viris doctis non ſemper eadem. §. 3. BOCHARTUS in *conjecturis* felix. *Conjecturæ* ſunt via ad eruditionem, hinc eos amant varii. *Quæ* CLERICO diſplicent, aliis placent. CLERICUS notatus. RELANDUS laudatus. Nimis diligens. Nimius in *conjecturis*, easque ſtatim publice edidit. Idem vitium Cl. TRILLERI, qui & diſſentientes ferre nequit. §. 4. BOCHARTUS *plagii* accuſatus a STRUVIO. STRUVIUS non vidit BUSTAMANTINUM, nec alios autores rariores. Ipſemet ſæpe & valde *lapſus* eſt. Nec accurate ſemper *judicat*. Ipſe *plagii* reus. BUSTAMANTINUS & ejus lib. non uno nomine citantur. BOCHARTUS eum ſæpe citat. BUSTAMANTINI lapſus. Utriusque ſcripta valde differunt. BUSTAMANTINI editiones variæ. LEMNII liber de *plantis S.* non tanti pretii eſt. Autor ignoravit *linguas* & artem *botanicam*. Multa adfert ſine teſtibus, ceu & BUSTAMANTINUS ſæpe egit. FRID. SPANHEMIUS a *plagio* abſolvitur. §. 5. BOCHARTUS an nimis *credulus*? Vitium commune. BURCH. MENCKENIUS, TENZELIUS, alii, decepti. Hiſtoria *canis*, Domini ſepulchro immorituri in Gallia, & alibi. Colloquia TH. AQUIN. cum PAULO, & SEGERI cum CHRISTO ſunt ficta. §. 6. BOCH. voces *Punicas* apud *Plautum* illuſtravit optime. *Pœnorum* dialectus Hebrææ cognata. Cel.

DEYLINGIUS laudatus, notatus. Loca Ezech. XXVII, 6. & Gen. XLIX, 21, illuſtrantur. *Libertas* BOCHARTI excuſanda. Non autem aliorum, qui puncta hebr. a Scriptoribus S. profecta negant. Autoritas divina tollitur. Codex *Pragenſis* recentior ſedulo reviſus, non tamen ab erroribus liber. Loca Gen. XXXIII, 19. Judic. XIV, 9. illuſtrantur. ἐξ & ἰξυς quid notent? Verſio *Alexandr.* valde corrupta. BOCH. textum hebr. veneratur. Rariſſime ab eo abit. Alii ſæpius. ZWINGLIUS notatus. §. 7. Ante BOCH. multa ex *Phœnicia* petiit GIAMBULANUS in lib. de *origg. linguæ Hetruſcæ*, ex quo fragmentum habet FR. BLANCHINUS: HEIDEGGERUS & BUDDEUS BOCHARTUM laudant. BOCH. in *conjecturis* felix, non tamen ſemper. *Sardinia* unde dicta? SOLINO non ſemper fides habenda. *Phil.* a TURRE notatus, & laudatus. §. 8. PAUL. PEZRONIUS notatus. BOCH. excuſatus ob *hiſt. Gallorum* non editam. §. 9. ANT. *van* DALEN quis, & quæ ejus ſcripta? BOCHARTUS in omni *literatura* verſatus. SS. ex ſcriptis *gentilium* lucem capit. STOLLII lapſus. §. 10. *Miſraim* an nomen *hominis*, vel *regionis*? RELANDUS notatus. Ejus de *Palæſtina* judicium. Congruentia vocum non prorſus negligenda. Sola tamen non ſufficit. LAKEMACHERUS notatus. De *Crethi* & *Plethi* egerunt varii. An literæ *geminatæ radicales* ſignificationem vocum *intendant*? NOLDIUS notatus. Nova amat. Doctis multa affingit. מחרחר Ps. XXXVIII, 11 explicatur. BOCHARTUS excuſatus. J. H. MAJUS Fil. & ejus *obſerv. Sacræ* laudantur, taxantur. *Columba* unde

de dicta יונה. Animalia *nomen* accepere ex lingua *religionis*, ubi nata. Nomen *Jonæ* unde? An apud Hebræos *Viri* ab animalibus *ferociſſimis* dicti, *Mulieres* a *mitiſſimis*? אגמן *juncus*. *Arundo* & *Juncus* an differant? BOCH. defenſus. Belluæ ferrum deglutiunt ſine læſione faucium. §. 11. Mentem Auctorum veterum non ſemper aſſequi licet. NOLDIUS & MILLIUS notati. PHILO *Judæus* cujus auctoritatis? PLUTARCHUS laudatus. *Aramæi* ſunt *Syri*. HIERONYMUS cur dictus *Aram*? OLYMPIODORI ætas incerta. TH. HASÆUS notatus. Vox סכות quid notet? §. 12. Locus *Thren.* IV. 3. illuſtr. WOLFFBURGIUS libros paucos habuit. *Cauda* hippopotami quæ? זנב cur dicta? Vir doctus in *Suecia* notatus. BOCH. excuſatus. §. 13. BOCHARTUS *Alcoranum* legit. De voce גמל varia. Locum Matth. XIX, 24. illuſtrarunt varii. §. 14. *Aloe Orient.* quæ? WOLFFBURGIUS notatus. BOCH. excuſatus. Ejus *hiero-botanicon* deſideratur. §. 15. Studium *nummiſmaticum* ad notitiam *Geographiæ* valde neceſſarium. BOCHARTUS in eo verſatus, & alii VV. DD. illius ævi; itidem Cl. SAURINUS, JAC. Pater. AB. ORTELIUS, & ejus ſcripta *geographica* laudantur. Nonnulla deſiderantur in iis. §. 16. Viri magni dotibus externis carent, & tamen cum applauſu docuere. Talis fuit BOCHARTUS. Ejus conciones in *Geneſin*. §. 17. BOCH. erravit. Nimis acriter tamen taxatus. Laus ejus æterna. Statuam meretur. ERASMO *Roterodami*, & SAM. COCCEJO *Berolini* poſita. Eandem debent *Bremenſes* JO. COCCEJO. Civi ſuo, judice Cl. SNABELIO.

§. 1.

In *vindicando* BOCHARTO noſtro, eundem, quem in recenſione *nævorum* ejus ſectione præcedenti obſervavimus, ordinem tenere lubet. Ad *primum* ergo *nævum* quod attinet, ubi nimirum GUISIUS *hallucinationes* BOCHARTI in *arabicis* nimis cumulat, nos quidem ab omni hallucinatione neutiquam eum abſolvimus, unde & alii Viri docti in *Actis lit. Sueciæ* A. 1733. p. 60, & alibi haud immerito eum notarunt: imo ipſemet BOCHARTUS hominem ſe eſſe, optime noverat; hinc ex ſingulari, qua erat, modeſtia, ſcribit: *Hæc pono, non ſtatuo. Neque mihi tam ſuffemus ſum, ut non omnia mea peritiorum judicio libens ſubmittam.* Part. I. *Hieroz.* lib. II. f. 401: in *arabicis* tamen Virum inclytum non niſi *hallucinari* ſolere, aliis certe, qui merita ejus de literis illis cum Cl. HINCKELMANNO apud TENZELIUM *colloq. menſtr.* A. 1694. p. 727 norunt, vix perſuadebit. Quamvis enim ipſum GUISIUM in omni re literaria, præcipue Orientali, verſatiſſimum fuiſſe, non diffiteamur, imo *Orientalis & omnigenæ literaturæ pro ætate miraculum* cum IO. MILLIO prædicemus *), non

*) Alia ejusmodi *elogia*, in *Actis Erudit. Lips.* 1691.

non dissimulari tamen debet, eundem Virum doctum, quod plurima *juvenis* *) scripserit, anno ætatis XXXI jam extinctus, Viros maximæ judæos inter & Christianos existimationis, inscite satis carpere consueviſſe, sicuti v. g. MAIMONIDEM & BARTENORAM, at quantos Viros! quoties ritum

1691. p. 252. nec non apud J. C. HOTTINGERUM in tract. de *Decimis Judæorum* p. 51. 149. & JO. CHR. CLODIUM in *lexico hebr. selecto* p. 131. obvia, ut taceamus; conf. quæ de eo in *Symb. lit.* Tom. I. p. 53. jam diximus.

*) Unde in eo non raro desideramus *judicium*, quo & alii Juvenes, ceteroquin doctissimi, sæpius caruerunt, v. g. SCHEDIUS, quem ob librum eximium de *Diis Germanorum* mirifice multi prædicare solent. Vid. Cel. REIMMANNUS Tom. I. *Catalogi Theol.* p. 963. seq. Fœtum tamen illum ab ipso Juvene *non maturo judicio* fuisse productum, IMM. WEBERUS in Schediasm. hist. quod *curiosum*, *doctum*, *digestum* &c. recte dicit laudatus REIMMANNUS, p. 958. de *Pustero*, *vetere Germanorum ad Herciniam idolo*, p. 8. in notis jam dudum observavit. Addi meretur Antwort-Schreiben auf etliche Fragstücke eines gelehrten Edelmanns ꝛc. cujus *Auctor Anonymus* pag. 94 in notis ita scribit: Schedius starb noch in seiner besten Jugend, und hatte freylich das Judicium nicht, die schwere Materie de Diis Germanorum auseinander zu setzen.

tum aliquem explicent, *nugas agere* ſcribit, & ex poſterioribus S. AMAMAM, quem *D. Flud a* GIFFEN in *epiſt.* ad P. VOGELSANGIUM p. 6. *Virum ſummum*, ill. PFAFFIUS Tom. I. hiſt. lit. *Philologum præſtantiſſimum*, & *le* MOYNE V. S. Tom. II. p. 552 *de literis ſacris egregie meritum*, recte appellant, *auctorem humi repentem, & a Scaligeri ore pendentem* nimis inique dixit, conf. *Symb. Lit.* loc. cit.: reprehenſiones LIGTFOOTI, quem contra ipſum defendit Cl. EDZARDUS in *annot.* ad tract. *Avoda Sara* p. 219. ſeqq. BUXTORFII & aliorum, orbis litterati luminum, nimias ne memoremus. vid. G. SURENHUSIUS in A. E. L. MDCCL. p. 130. nec non Cl. HOTTINGERUS loc. cit. in præfat. p. 3. & in tract. ipſo p. 127, qui quoque p. 196. κρισιν GUISII ſubinde magis *auctam* quam *ſolidam* eſſe, bene judicat Ecquis ergo non videt, doct. GUISIUM in taxando & refutando BOCHARTO modum pariter exceſſiſſe *): rectius ſane Cl. HINCKELMANNUS in

*) Quod & alii Viri docti fecerunt. Forſan & ipſe Cl. MAJUS, qui in animadv. & ſupplem. ad J. COCCEJI *lexic. hebr.* BOCHARTUM noſtrum in omnibus fere paginis refutat, & quidem non ſemper argumentis ſufficientibus, judice GLODIO in *lexico ſelecto* pag. 165.

in præfatione *Alcorani* de eo ſcribit: *Ejus in Geographia ſacra & Hierozoico Arabismi ope ea nobis eruta ſunt, quæ per tot ſeculorum decurſum profunda nocte premebantur, æterna quoque oblivione ſepelienda, niſi benigno fato per hoc humani ingenii miraculum detecta fuiſſent*, apud Cel. CLODIUM in præfat. ad I. GOUSSETII *Lexicon hebr.* p. 5. edit. Lipſ. 1743. (4). Utinam ſecum cogitaſſet GUISIUS, quod poſt eum alicubi *) fecit IO. MASSON: *Quis eſt tam lynceus, qui in tantis priſcæ hiſtoriæ tenebris nihil offendat, nusquam incurrat?* Juvenis præcipue ut ego ſum ac Tyro, *non poteſt, quin aliquando labatur & erret, dum per vias ancipites obſcura antiquitatis loca luſtrat.* Ipſemet ſane GUISIUS haud raro hallucinatus eſt. Sic ex *viginti ſeptem* עשרים ושבעה lapidibus fecit *viginti novem* ad Scheh. c. III. m. 5. eam ob incuriam notatus MAJO, Fil. ad R. MOS. MAIMON. הלכות שמשה ויובל ſeu tract. de *juribus anni ſeptimi & jubilæi* p. 20. Magis audacter & temere in notis ad *Terumoth* c. XI. m. 4. vocem כליסים mutavit in בליסים, omnia loca & omnes codices miſchnæ mendi

*) In *templo Jani, Chriſto naſcente reſerato*, (quem librum egregium valde laudat REIMMANNUS in *catalogo crit.* p. 967) in præfatione.

mendi insimulans, contra lectionem communem antiquam & hodiernam, castigatus idcirco a M. WÖLDIKE in notis ad MAIMON. tract. de *cibis vetitis.* c. XV. p. 259. sqq. Hafn. & Lipsi. 1734. (8). alias ejusmodi hallucinationes ut taceamus.

§. 2.

Judicii Bochartiani acumen non ubivis inter miracula mundi referri debere WOLFFBURGIUS judicat. Non videtur nimirum comprobare judicia aliorum, qui ipsum *orbis literati miraculum* dixere, ejusque *ingenium* atque *judicium miraculosa* agnoverunt. Forte ex invidia in hominem *Calvinianum*, sicuti in L. DE DIEU, SALDENO, ac aliis *Spiritum Calvinizantem* cum Z. GRAPIO *) ferre non potuit, licet ipsemet in præfatione secunda *vastissimæ lectionis*

*) Viro cæteroquin *perfecto* & *plane erudito*, *immensæ lectionis*, *ingenii acris*, & *judicii non obtusi*, judice Cel. REIMMANNO in *catalogo crit.* p. 1020. Hic pariter in E. LEIGHII *Critica Sacra* eundem Spiritum deprehendit, atque peculiarem *Pentadecadem* locutionum suspectarum & *Calvinismum* redolentium Rostochii 1703 edidit. Conf. JO. G. LOTTERUS in præfat. ad LEIGHII *annotat.* N. T. Lipsi. 1732. 8. editas p. 5. & REIMMANN. T. I. p. 614.

nis miraculum in *Hiero-zoico* ejus deprehenderit. Præterea Vir doctus opera magni BOCHARTI non ſemper ad manus habuit, vid. p. 411. a. & paſſim, ſed ſubinde oculis tantum fugitivis perluſtraſſe ea videtur, unde judicium ſatis rectum de iis ferre, vix ei licuit. Ut taceamus, Wolffburgium viceſimum ætatis annum nondum egreſſum cum hoc ſuum opuſculum in Academia Hafnienſi exorſus eſſet; hinc in re literaria parum verſatus IO. CLERICUM facit *Batavum*, deliciarum ac blandimentorum linguæ *gallicæ* ignarum p. 506. mirantibus Viris doctis in *relat. innoc.* loco mox citando, DRUSIUM *Pontificium*, et quæ alia, in præfat. prima; imo animi fuiſſe valde *faſtuoſi*, qui magna ſe moliri potuiſſe, ſibi perſuadet, niſi invidia Inimicorum, qui tamen in oculis ejus pulices fuerunt, impedimento fuiſſet. Sufficit, Virum Cl. non diffiteri, quod licet non ubique, alias tamen in ſcriptis BOCHARTI non vaſtiſſima ſolum eruditio, ſed *exacta* quoque *rerum examinatio* eluceat. *Ubivis* autem *eandem judicii acrimoniam* nec in aliis orbis literati luminibus unquam deprehendes, ceu exempla *Scaligerorum*, *Buxtorffiorum*, & tot Heroum aliorum illam mentis humanæ imbecillitatem abunde confirmant. *Ex facili enim fieri poteſt, ut*

ali-

alicui in longa ac intenſiori meditatione ſomnus quaſi aliquis obrepat, & acies ingenii ac judicii hebetetur, ceu I. G. MICHAELIS, Vir celebris, in programmate de *die expiationis templi ſecundi* pag. 4. recte ſcribit. Ipſemet WOLFFBURGIUS ſuo exemplo id confirmat, unde conjecturas ſæpe attulit, *judicii exigui* teſtes. vid. *Relatt. innocuæ* A. 1717. p. 698. ſqq.

§. 3.

Non ſupra *conjecturæ* gradum aſcendere in multis obſervationes BOCHARTI noſtri doctiſſimas, LAKEMACHERUS, & multi alii arbitrantur. Verum easdem ob *conjecturas* doctas felicitatem ingenii *Bochartiani* merito prædicamus, cum alia via ad ſummum tam vaſtæ doctrinæ culmen aſcendere non liceat. Præter Auctorem eruditæ præfationis Operibus ejus præmiſſæ f. 4. ipſemet LAKEMACHERUS argumentum hoc docte exequitur: *Valeant interdum neceſſe eſt conjecturæ*, inquit V. Cl. *cum in diſciplinis omnibus, ne mathematicas quidem excipio, res occurrant infinitæ, in quibus explicandis optime is verſatus putari debet, qui optime* conjecerit. *Poſcere illud ſibi ii cum primis ſummo jure poſſunt, qui reconditam ſcrutantur antiquitatem, ac popoſcere etiam ſummi quidam Viri, cum facile*

cile perviderent, plurima se in illo genere sine divinationibus *assequi haud posse. Observatt. phil.* Part. II. p. 79. Idem sentiunt alii. *Satis est, conjecisse in rebus arduis & perobscuris judice* MOSHEMIO, qui, si nihil præter *conjecturas* afferre queat, sibi tamen veniam datum iri confidit, in libro de *causis suppositorum librorum inter Christianos seculi I & II.* Conf. Cl. REIMMANNUS in *biblioth. hist. lit.* p. 387. & bene B. BUDDEUS de BOCHARTO nostro: *Nec tamen ubique forte rem tetigit; quod & non mirandum, cum maximam partem conjecturis hic ad veritatem eniti liceat.* Tom. I. Hist. Eccl p. 174. b. In ipsis *concionibus Ecclesiasticis* ordinariam *libertatem* prophetandi seu mavis, *conjectandi* permittendam esse, quando nomen aliquod hebræum, sive proprium, sive appellativum, semel tantum in Bibliis occurrat, nec ex circumstantiis textus ita certo colligi possit, qua significatione illic accipiendum, recte monet G. VOETIUS Part. III. *polit. Eccl.* pag. 688. Nec alia est via, quam tot Heroes alii in scriptis suis calcarunt, licet in fine frequenter pareat, haud vero consentaneum esse, quod *hic* suspicabatur, *illi* verisimile videbatur, ac *isti* credibile fuerat, ceu alia occasione non male scribit I. MASSON in *templo Jani Christo nascente reserato* p. 305.

305. Tolle ex iis *conjecturas*, & plurimam eorum partem ablatam videbis. Neque ſupra *conjecturæ* gradum aſcendunt, quæ LAKEMACHERUS paſſim attulit, ſicuti & in Cl. SEELENII doctis lucubrationibus *conjecturæ* ejusmodi non contemnendæ paſſim occurrunt *). Ut taceamus, *conjecturas* ſummi BOCHARTI ſæpe tales eſſe, quæ *demonſtrationibus* æquipolleant, & invitis pæne fidem extorqueant. Vid. Cl. CLODIUS in præfat. *lexici hebr. ſelecti* pag. 10. unde, quæ nonnullis diſplicent, aliorum calculum merito obtinuerunt. Sic IO. CLERICUS cum eo de *cæſarie Abſolomi* diſputans, inprimis, quod *ſine miraculo fieri potuiſſe*, ut unius hominis detouſi crines tantum pondus haberent, aſſeruerit; ſed ipſe in *Scyllam* incidit, *Charybdin* evitaturus, dum *mendum in numeros ibi irrepſiſſe* audacter ſcribit Cl. BUDDEO Tom. II. *Hiſt.*

*) Et quid aliud attulerunt Viri docti in *commentariis*, quibus ſingulis *Pſalmis* ſuum, quem in cultu ſacro habuerint, uſum aſſignare conantur. Interim laudanda eſt hæc & alia opera eorum, qui ex inſitis Pſalmi cujuscunque notis characteriſticis inveſtigare laborant, qua occaſione ab Auctoribus compoſiti fuerint, cum hæ occaſiones potiſſimum hodie adhuc ignorentur. Vid. Ven. NIC. BARKEY *diſſ. inaug.* ad Pſ. 18, p. 7.

Hiſt. Eccl. V. T. p. 141 eam ob rem recte notatus. Sic THEOD. RYCKIUS in ſua de *primis Italiæ colonis & Æneæ adventu* diſſertatione, Ultrajecti 1691 cum notis HOLSTENII edita, argumenta BOCHARTI noſtri uberius refellit, ſed *incerta per magis incerta explicat*, *judice* ill. STRUVIO in *Biblioth. hiſt. ſelecta* p. m. 35. Sic in ipſo *Chimeræ* monſtro veram deliteſcere hiſtoriam, Vir harum rerum peritiſſimus magno eruditionis apparatu docuerat. Alia quidem via IO. CLERICO in explicanda hac *Chimæra* incedere placuit, ſed rationibus ejus prolixe excuſſis, BOCHARTI ſententiam iterum docte vindicavit PETR. PENAVÆREUS, *Doctor* in legibus, & *Profeſſor* linguæ græcæ in Athenæo Regio Gallicano *Berolinenſi*, in diſſertat. *critica* ejusdem argumenti, ceu ex *Actis Erudit. Lips.* A. 1703. p. 274. diſcere licet. Majoris momenti videntur, quæ H. RELANDUS *diſſertat. miſcell.* Part. II. p. 183. 265. & Cl. TRILLERUS *ad* GROTII *Chriſtum patientem*, p. 195. 479. 499. contra BOCHARTUM attulerunt. Verum culpa redarguit ipſos; quot enim *conjecturis* ſcripta eorum referta ſint, neminem latet. RELANDUS certe, licet diligentia ſua inſigni

signi *) tantos fecerit progressus, ut in *primis eruditorum sui ævi ordinibus* locum tenuerit **), nimio tamen amore erga fœtus proprios non facile *conjecturam*, ut ut leviorem, prætermittebat, quin publico exhiberet, & *conjecturis* aliorum *conjecturiunculas* opponeret, ceu JAC. HASÆUS, Tom. II. *Biblioth. Brem.* p. 1030 recte observat. Idem esto judicio de TRILLERO, Viro ceteroquin celebri, utpote qui *conjecturas* suas pariter nimis æstimavit, atque a se dissentientes ferre non potuit. Ne vero nos solos ita sentire putes, quid de ipso Auctor der gelehrten Nachrichten bey denen Hallischen Zeitungen no. 19. 1753. judicet, audiamus: Herr Hoff-Rath Triller gehöret unter diejenige Gelehrte, welche absolut nicht leiden können, daß ihnen widersprochen wird. Er war allzuverliebt in seine Verbesserung der Stelle des Suetonii, als daß Er sich von seinen Freunden in dieser Gefälligkeit für seine Meinung hätte können stören lassen. Wir erinnern

*) Eaque frequenter nimia. Vid. quæ de ejus *intemperantia* in studiis monuit GISB. CUPERUS in epist. ad JO. JAC. SCHEUCHZERUM, SCHELHORNII *amœnitatibus Hist. Eccl. & Lit.* Tom. II. p. 983. sqq. inserta §. 6.

**) Judice TH. HASÆO, in tract. de *Onolatreia a Gentilibus olim Judæis & Christianis impacta* cap. 3. §. 17.

innern uns hierbey, was der Abt von Fontaine von Burmannen schreibet ꝛc.

§. 4.

BOCHARTUM noſtrum in *hierozoico* ſuo præſtantiſſimo multa ex I. BUSTAMANTINI Tomis II. de *animalibus S. S.* transſumpſiſſe videri, Cl. STRUVIUS in *Biblioth. ſua philoſoph.* judicat. Unde vero hæc hauſerit, non ſubjungit. Injuriam interim facit Viro ſummo, *plagii* ipſum tacitè inſimulans, nullo *teſte* idoneo, nullo *exemplo* adducto, ſed ſolo *videtur* fretus. Nec ipſemet STRUVIUS librum BUSTAMANTINI, *Camærenſis* *), apud *Complutenſes* Philoſophiæ & Medicinæ primariæ Mode-

X 2 rato-

*) *Jo. Camaram Buſtamantinum* minus rectè dixit DIETERICUS Part. I. *Antiq. bibl.* f. 419. nec JO. BUSTAMANTIUS dictus eſt, ceu a JOACH. LANGIO in *inſtitut. theol liter.* p. 360. appellatur. *Camærenſem* ſe vocare videtur a *Cameraco*, urbe celebri in comitatu *Hannonienſi* (Hennegau); Hiſpanis olim ſubjecto, quam forte patriam habuit (ſicuti & Patrem ſuum *Gregorium Camærenſem* pag. 1253. memorat), licet JOECHERUS *Complutenſem* eum fecerit, von Alcala des Henares. bürtig. Vel in ea publice olim docuerat, ſicuti CHRIST. MASSÆUS eam ob rationem *Cameracenſis* cognominatus eſt obſervante JOECHERO, Viro inſigni.

ratoris publici, rariorem oculis ſuis uſurpaſſe *) videtur, ignarus, de ſolis *reptilibus*

*) Sicuti & alios, ipſos *Hiſtoricos*, nunquam a ſe viſos, excitare ſolet. v. g. *Achillis Graſſeri* annales, de vetuſtate originis, amœnitate ſitus, ſplendore ædificorum, ac rebus geſtis civium Reipublicæ *Auguſtiburgenſis*. Hannoviæ 1593. fol. in tota enim Miſnia non urbem, multo minus Rempublicam hujus nominis reperiri, ſed *Achillem Gaſſarum*, Medicum, qui annales *Auguſtanos* magna cum induſtria confecerit, a STRVVIO improvide confundi, Cl. TENZELIVS in *colloq. menſtr.* A. 1705. p. 247 recte docuit. Similiter penum artis hiſtoricæ oculis ſuis nunquam uſurpavit, licet varia de bibliotheca hac obſervaverit, judice REIMMANNO in *Biblioth. hiſt. lit.* p. 548. Exinde etiam nati ſunt errores alii v. g. quando ex JO SERRANO, qui librum de *ſtatu religionis & reipublicæ* conſcripſit, & JO. SERRÆO *duos* diverſos Scriptores fecit, cum tamen *unus* idemque ſit, notatus eam ob rem TENZELIO loc. cit. p. 225. itidem, dum *prælectiones hyemales* WHEARI Angli, poſt BOSIVM, *bibliothecæ hiſt.* pariter Autorem, lucem demum vidiſſe ſcripſit, cum tamen dictæ lectiones jam A. 1637, quo Boſius annum XI vix legit, editæ fuerint, obſervante eodem V. D. p. 197. Ut taceamus, STRVVIVM in dijudicandis ſcriptis Eruditorum minus accuratum eſſe ſolere. Sic OLF. DAPPERI ſcripta *Geographica* ubivis fere mirifice laudat, quæ tamen ex aliorum diariis & ſcriptis

bus vere animantibus S. Scripturæ in eo agi, prouti titulus libri eximii ſeſe habet, vel de *Animantibus* SS. *reptilibus vere dictis*, ceu tomo ſecundo legitur, vel de *Animantibus SS. reptilibus terreſtribus communiter dictis*, quam inſcriptionem duo libri poſteriores habent *). Præterea neutiquam *plagii* cujusdam reus eſt BOCHARTUS, licet varia ex eo tranſſumpſiſſe videatur, conf. *Anonym.* in præfat. Opp. BOCHARTI f. 5. ſub finem, dum plus vice ſimplici mentionem ejus diſerte fecit, vid. præter

ptis compilata novimus. Vid. BENTHEMII Holländ. Kirchen- und Schulen-Staat. Part. II. p. 370 & TH. HASÆI *obſerv. phil.* p. 330. in notis.

*) De *reptilibus* SS. BVSTAMANTINVM diſſeruiſſe *appoſite*, judicat Cel. DIETERICVS loc. cit. Idem argumentum indicatur in LANGII *inſtitut. theol. liter.* p. 360. nec non in *catalogo* Biblioth. *Haſæanæ* p. 284. & alibi, licet haud diſſimulemus, in Bibliotheca Lampiana p. 93. & paſſim eundem librum compendii cauſæ ſub titulo *hiſtoriæ animantium* generatim memorari, ſicuti & Cenſores *Lugdunenſes*, quorum approbatio publica libro illi præfixa legitur opus de *animantibus Sacræ Scripturæ* dixere. Ipſemet BOCHARTVS noſter BVSTAMANTINVM illum, *Complutenſem* Philoſophum, edidiſſe *volumen ingens* de S. S. *animantibus*, Part. II. hieroz. f. 815. ſcribit.

locum modo in notis adductum, Part. I. f. 1086. & 1089, non f. 186, 189, uti in indice legitur, nec non Part. II. f. 385. binis vicibus; ſed potius eximium illud opus in uſum ſuum convertit, æque ac magnum illud opus Arabis DAMIS, eam ob rem Cl. TENZELIO ad A. 1696. p. 315, recte laudatus. Quamvis etiam non ignoremus, neutiquam ſufficere, obiter nominaſſe Autorem, ex cujus tamen operibus omne id, quod bonum aliquis habet atque egregium in libro ſuo, eſt deſumtum, ceu bene ſcribunt *Auctores Ephemeridum Erudit.* (Journal des Scavans) A. 1665. p. 104. allato exemplo CAR. PATINI, qui quidem SAVOTUM, cujus ex ſuppellectili multa deprompſerat, ſubinde nominaverit, ſed ubi nominaſſe nihil ejus intereat, ſuppreſſiſſe autem ipſius nomen, cum nominandus fuiſſet; conf. p. 75. e. a. & vid. CRENIUS diſſ. epiſtol. de *Furibus librariis* p. 87. ſqq. Similiter ipſe Cl. STRUVIUS in *introduct. in notit. rei lit.* pleraque debet MORHOFIO, licet in primæ editionis præfatione ſcribat, ſe, quæ MORHOFIUS plenius expoſuerat, deſcripſiſſe brevius, vel plane non tractata, prolixius exhibuiſſe. vid. REIMMANNI *Biblioth. hiſt. lit.* p. 467. ſicuti & multa ex introductione ſua *exſcripſiſſe* eum commemorat CASP. GOTTSCHLINGIUS apud eun-

eundem p. 525. Denique Philoſophus ille & Medicus *Complutenſis* magno BOCHARTO noſtro longe inferior eſt, in linguis *hebræa* & *græca* parum verſatus, (unde non ſemel lapſus, Poetam Comicum in *locuſtam* mutavit. vid Cl. DELRIO apud JO. CASP. FABRUM, diſſert. II. de *Avibus quadrupedibus* §. 16.) & qui Scriptores *Judæos* & *Arabes* plane ignoravit. *Hiſtoriæ naturalis* Auctores antiquos diligenter quidem legit, ſed textum græcum prorſus neglexit. Et licet quædam habeat, apud BOCHARTUM non obvia, vel ab ipſo non repetita; plura tamen attulit BOCHARTUS, a BUSTAMANTINO & aliis neglecta. Ut taceamus, utriusque *hiſtoriam animantium* valde differre, ſive formam ſpectemus *externam* *), cujus utpote reſpectu FRANZII libello

*) BVSTAMANTINVM tomis duobus de *Animalibus* S S. prodiiſſe *Compluti* 1595. 4. Lugduni 1620. 8. ipſemet STRVVIVS jam obſervavit. Utramque editionem quoque memorat LANGIVS loc. citato; ſed aliter Viri docti in *relationibus doctis* Hamburg. no. LXVI. 1754. Die erſte Ausgabe jenes Werks (Compluti 1595 in fol.) iſt weit ſeltener, als die zweyte, ſo zu Lion 1620. in 2 Bänden in octav ans Licht getreten iſt. Et paulo poſt: Die erſtere ſtehet auf der Königl. Bibliothek zu Dresden, wovon der Herr Götze im zweyten Bande ſeiner Merkwürdigkeiten, p. 532, einige Nach-

bello de *Animalibus S. Scripturæ*, in quo *compendium* Studiosis Theologiæ laudabili studio paratum sit, BUSTAMANTINUS ille de *insectis Scripturæ* adjungi poterit, judice VOETIO Tomo I. *disputat. select.* p. 719. sive *internam*, vel contenta ipsa, siquidem in BOCHARTO nostro tot eximia, ad *Philologiam Sacram*, imo ipsam *Theologiam*, *typicam* inprimis & *emblematicam* spectantia, reperiuntur, quæ in *Bustamantino* frustra quæsiveris *).

§. 5.

Nachricht giebt. Nos possidemus *Lugdunensem*, ex Bibliotheca Cl. BÜNEMANNI, Directoris quondam *Hanoverani*, ad nos delatam. Subjungi debet editio recentior, pariter *Lugduni* in Gallia 1658. (8.) edita, quæ in Bibliotheca Hafæana p. 234. n. 101. memoratur.

*) Longe modestius judicat Cl. GOETZIVS loc. cit. daß BOCHART sein grosses Werk auf des LEVINI LEMNII, und BVSTAMANTINI Werken gebauet, beyde aber weit hinter sich gelassen. Ast LEMNIVM quod attinet, ejus libellus de *plantis sacris*, FRANC. VALLERII libro de S. *Philosophia* una cum FR. RVEI de *Gemmis*, annexus, & Lugd. 1652. (8.) editus, vix in censum venire meretur, licet sæpius sit recusus, atque ALSTEDIO & aliis non displicuerit. Certe de *nominibus herbarum* fere nihil, & de earum *conditione* pauciſſima habet; nec mirum: fuit enim linguarum, & ipsius *hebraeæ*, prorsus expers,

§. 5.

Nimis *credulum* aliquando fuiſſe BOCHARTUM, exemplo ſingulari Cl. TENZELIUS ex Tomo I. *hieroz.* f. 682, non f. 826, ceu errore typographico legitur, confirmare allaborat. Mentionem nimirum facit *canis*, qui Domini ſui, in S. Innocentii (SS. Innocentum) cœmiterio ſepulti, tumulo jam pene triennium incubuerit, nec ullis inde blanditiis abduci potuerit. Quin a nonnullis vi abſtractus, & ad aliam urbis partem translatus, ibique aliquamdiu detentus, quam primum ſui juris fuerit, priſtinam ſtationem repetierit, Domini cada-

expers, unde Cl. REIMMANNVS Interpretis *Vulgati Diſcipulum* lepide appellat. Ut taceamus, ipſum facultate botanicam ſacram explicandi non ſatis inſtructum, imo ne quidem ea exacte *dijudicandi*, quæ ad hanc diſciplinam ſpectant, judice eodem Viro docto in *catalogo Biblioth. crit.* p. 321. Plurima quoque de ſuo aſſerit, nullo teſte idoneo, nulla ratione fretus, ſicuti & BVSTAMANTINVM egiſſe, BOCHARTVS Part. II. f. 815. cenſet. Hinc accuſatio iſta ejusdem mihi furfuris videtur ac illa, qua FRID. SPANHEMIVS, Th. Lugd. in hiſt. quam de *Jobo* condidit, ex CHRIST. CHEMNITII diſſert. de *Jobo*, Jenæ edita, *tanquam ex ciſternula non nihil prorſus hauſiſſe*, a REIMMANNO in acceſſ. uberioribus ad *catalog. Biblioth.* crit. p. 460. inſimulatur.

veri immoriturus, nisi vis major obstet. Rem illam anno, quo scripserit hæc, 1660 Lutetiæ Parisiorum contigisse dicit, & ad accolas locorum, qui rei novitate perculsi tam fido cani de victu prospexerint, pane & aqua ad tumulum, cui assederit, subinde missis, confidenter provocat. Integram vero illam narrationem prorsus *fabulosam* esse, & BOCHARTUM nostrum vulgi rumore *turpiter deceptum* fuisse, ex literis JO. CAPELLANI, Consiliarii Regii, ad WAGENSEILIUM d. 26. Jun. 1671 datis, in quibus testimonium Pastoris, per annos 32 in Ecclesia SS. Innocentum viventis, rem totam *fictam* & *falsam* evincens, continetur, V. Cl. prolixe docet; vid. quoque ipsemet WAGENSEILIUS ad lib. *Sota* pag. 87. & p. 1099. Interim cujus autoritatis tota narratio illa sit, sive *vera*, sive *falsa* dicenda, BOCHARTUM tamen nimiæ *credulitatis* exinde vix argues. Scripsit enim non modo, sicuti suo tempore ex constanti rumore res *Cadomum* translata, sed fidem quoquo habuit amico, rem illam ad ipsum scribenti. Et præterea res erat non plane inaudita, prouti ipsemet WAGENSEILIUS simile *canis fidi* exemplum ex GASSENDO apud TENZELIUM loc. cit. p. 1134. attulit. Idem de *canibus Melitæis* ex *Æliano* docet V. Cl. GOTTL. WERNSDORFFIUS in anal-

lect.

lect. de *naufragio D. Pauli &c.* Dantiſci 1753. Conf. Hamburg. gelehrte Berichte n. LXXXV. 1753. p. 677. Denique quod J. FELLVS, Epiſcopus *Oxonienſis*, de primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis judicat, magnam ſcilicet in iis fuiſſe *fingendi* licentiam, valde pronam in *credendo* facilitatem, ut rerum geſtarum fides graviter exinde laboraverit, vid. *Biblioth. Brem.* tom. III. p. 316, id de noſtro & ſuperioribus, non minus verum deprehendimus. Quis ergo BOCHARTVM ſemel atque iterum deceptum mirabitur? Nonne & ipſemet TENZELIVS, ex rumore vulgari deceptus, vel ſaltem falſa ex relatione amicorum, & ut putat, fide dignorum, hominem qui *Viennæ* in Danubio hydraſpide ſe armaverat, violentiæ undarum pene ſuccubuiſſe ſcribit in *colloq. menſtr.* A. 1691. p. 214. contrarium uberius docente ill. WAGENSEILIO, inventore illius machinæ, in diſſert. epiſtol. ad JO. FECHTIVM p. 20. conf. A. E. L. 1693. p. 323. alia exempla in dictis Viri Docti *colloquiis* non raro obvia, ut taceamus. Simili modo deceptum legimus Cl. J. D. MENCKENIVM, qui in *Charlataneria* ſua *Eruditorum* p. 15. relatum ſe a Viris fide dignis accepiſſe ſcribit: M. IO. SEGERVM, Scholæ *Wittebergenſis* Rectorem curaſſe in tabula ænea depingi Chriſtum crucifixum, quem SEGERVS ille, ſub

ſub cruce ſtans laconice compellarit: *Domine Jeſu, amas me?* ad quæ Salvator de cruce reſponderit: *Clariſſime Per-eximie, nec non Doctiſſime Domine Segere, Poëta Laureate Cæſaree & ſcholæ Wittebergenſis Rector digniſſime, amo te.* Placuit hæc hiſtoriola & aliis, auctoritate *Menckeniana* ſeductis, ſicuti etiam *Ephemerides Galliarum* (le Journal des Scavans A. 1716. m. Jan.) eam novis acceſſionibus adauctam pro veritate vendidere. Addimus JO. RVD. ANT. PIDERITIVM, qui ſub finem Anni 1752. programmate ſuis prælectionibus præmiſſo fidem ei habere non dubitavit p. 30. in notis. Aſt totam illam narrationem anilem *fabulam* eſſe, ex GODOFR. WAGNERI diſſert. de *iis qui de ſua ipſi vita expoſuerunt*, επιμετρῳ Cl. REIMMANNVS in *Biblioth. biſt.* lit. p. 157. 575. oſtendit. Huc etiam ſpectant, qui ſibi & aliis perſuadere volunt, verum eſſe, quod de PAVLO Apoſtolo, in auditorium *Thomæ Aquinatis* veniente vulgo refertur, eum *Thomæ* quærenti, num ſcripta *Paulina* rite explicuerit, reſpondiſſe: *melius quam omnes alii;* ſed *legendam* eſſe, welche einen ſtarcken Mönchs-Glauben erfordre, indicat recte G. STOLLIVS ad HEVMANNI *conſpectum Reipublicæ literariæ* p. 145. *)

§. 6.

*) Subjungi hic poſſunt duo Viri docti alii, qui vel alios ſeduxerunt, vel ab aliis ſe falli paſſi

§. 6.

Cl. BOCHARTVM nimiam per literarum *additiones*, *ſummotiones*, & *permutationes* ſibi ſumpſiſſe licentiam, WICHMANNSHAVSEN exiſtimat, mox quoque ſubjungens, eundem *voces* non paucas, easque ſic ſatis *difficiles*, quæque accuratius examen mererentur, ſicco, quod dicatur, pede *tranſiiſſe*, imo *Chaldaiſmum* atque *Arabiſmum* in vocibus nonnullis, ut *Interpretis* partes abſolvat, in ſubſidium vocare ſolere. Ita nimirum Vir ill. in *Geograph. S.* f. 720. ſqq. egit in explicandis vocibus *punicis*, quæ apud *Plautum* in *Pœnulo* occurrunt, ut Ebraiſmi beneficio commodum iis ſenſum conciliaret, idque tam feliciter ut omnibus, qui ante vel poſt ipſum ſimile quid tentarunt, palmam certe præripuerit. Nec faciliorem, quæ ad *Plautina* illuſtranda

paſſi ſunt. Alter *Henricus Pulſnicenſis*, qui librum de *erroribus pictorum* edidit. & ipſe ab aliis in errorem inductus eſt, teſte HASÆO de *Leviathane Jobi* &c. p. 7. in notis. Alter TAVERNIER *inſignis ceteroquin peregrinator*, judice OL. CELSIO in *Actis liter Sueciæ* A. MDCCXXXI. p. 70. qui non pauca finxiſſe videtur Cl. HEVMANNO; ſed *hominem nimis credulum* ab aliis potius *deceptum* fuiſſe, B. WOLFIVS in notis ad LYNDII *antiq. jud.* p. 99. optime cenſet.

da duceret, viam docere potuit V. Cl. Censor BOCHARTI non ultimus, qui tamen *perinduſtrius & feliciſſimus rerum antiquarum inveſtigator* SAL. DEYLINGIO Part. III. *obſervatt. Sacr.* p. 49 audit. Sufficit, Virum magnum novo, eoque plane eximio ſpecimine eviciſſe, *Pœnorum* dialectum cognatam fuiſſe *hebrææ*, quod & THOM. REINESIVS, aliique a BVDDEO Tom. I. *Hiſt. Eccl.* V. T. pag. 25. 174. laudati oſtenderunt *). Addi meretur PFEIFFERVS in *Cri-*

*) Vid. quoque VORSTIVS de *ſtylo* N. T. §. 19. apud CRENIVM *faſce* I. p. 49. WANDALINVS diſſ. de *Melita Pauli* p. 23, & LOESCHERVS de *cauſis linguæ hebr.* p. 30. ſqq. Conf. A. E. L. A. 1706. p. 401. *Puniciſmi* iſtius explicationem apud *Plautum* etiam habent PH. PARÆVS & S. PETITVS; docente VOETIO in *biblioth. Studioſi Th.* p. 165. 277. Novam loci *Plautini* verſionem dedit *Giov. Pietro Agius* de SOLDANIS in *Annone Cartagineſe, ſive vera ſpiegazione della Scena prima dell' Atto V. della Comœdia di Plauto in Pœnulo &c.* Romæ 1758. Conf. Leipz. neue Zeitungen von gelehrten Sachen n. 74. 1758. p. 657 ubi verſio illa integra legitur; ſed recte Viri docti judicant: Zum Unglück verſteht man ſie jetzt nach ſeiner Ueberſetzung nicht viel beſſer als vorher. Et iterum: Herr Soldanis mag ſich begnügen mit der Sentenz, welche man eben ſo wohl von der Beſchäftigung mit den alten verlohrnen Sprachen, als von groſſen Unter-

Critica ſacra p. 51. cujus ex judicio *Ebraiſmi* apud *Plautum Poenismi* potius dici debent. Denique licet omnino non diffitendum ſit, BOCHARTUM in literis *addendis*, *ſummovendis* & *permutandis* aliquanto egiſſe liberius *), erit tamen ei facile condonandum, in illuſtrandis non ſacris, ſed profanis, qualia *Plautina* illa ſunt, diligenter occupato, ſicuti & alii Viri docti, in illuſtrandis Hiſtoricis atque Poëtis antiquis operam ſuam collocantes, eadem libertate uti conſueverunt. Majoris momenti videtur accuſatio JO. ERN. GRABII, qua BOCHARTVM non minori libertate in taxanda verſione *Alexandrina* egiſſe, oſtendere conatur tomo I. LXX. Interpretum. *Oxonii* 1707. fol. conf. A. E. L. 1708. p. 197. Provocat

Unternehmungen gebrauchen kan; Voluiſſe ſat eſt. add. **Erlang. gelehrte Zeitungen**, n. 38. 1758. Idem SOLDANIS in ſcripto alio 1751. edito docere conatus eſt, daß die **Maltheſiſche** Sprache eigentlich die **alte Puniſche** ſey, oder ein gemeines und **verdorbenes Arabiſches**, als welches mit der **Puniſchen** von einerley Mutter herſtammet. Conf. Nova Lipſ. loc. citato.

*) Quorſum ſine dubio etiam ſpectat contractio *duarum* vocum in *unam* Ezech. 27, 6. quam ab Interprete *Chaldæo* excogitatam, cum aliis defendit. De ipſo loco vid. s. GLASSIVS *phil. S.* Lib. III. Tract. I. p. m. 305.

vocat eum in finem ad Gen. 33, 19. ubi pro εκατον αμνων legi velit μνων, nec non ad Judic. 14, 9. ubi loco εξεως ſubſtituat ιξυος, quod utrumque tamen aliis των LXX. locis, nec non uſui antiquo aperte contrarietur. Aſt locum priorem quod attinet, non propriam, ſed aliorum conjecturam a Viro magno adferri, ex ipſis ejus verbis Part, I. *hieroz.* f. 436. *Sunt, qui reſpondent, errori anſam præbuiſſe græcam verſionem hic facili lapſu corruptam &c.* facile patet, ſicuti & f. 437. hæc atque alia aliis diſcutienda relinquit. *Ratione poſterioris reſpondemus, ſubſtitutionem illam neceſſariam videri, cum* εξις *de corpore uſurpata, teſte* JO. SCAPVLA, *nunquam ipſum corpus ſed ſolam ejus habitudinem olim ſignificaverit;* ιξυν autem lumbum denotare apud Scriptores alios, Vir ſummus P. I. f. 507. jam dudum docuit. Denique verſionem *Alexandrinam* eſſe valde corruptam, & pro diverſitate editionum lectionibus variis abundare, neminem fugit: ut taceamus, Scribarum imperitiam, a Viro laudato Part. II. f. 522. jam accuſatam, quibus nimirum corrumpere ſolenne ſit, quicquid non intelligant, ſicuti & pro εν ϛοματι του λεοντος referendum eſſe εν σωματι, optime ibidem monuit. Sufficit BOCHARTVM noſtrum non ita egiſſe cum codice *hebræo*, utpote qui lectionem hebraicam ita venerari ſolitus

tus est, ut ab ea nunquam discederet, nisi valde invitus f. 212. *) & si unquam discessit, quod rarissime factum, græcam lectionem sibi magis perspicuam censens, talia tamen *ponit*, non *statuit*, atque peritiorum judicio haud illibenter submittit f. 213. in fine, unde cum JO. HENR. HEIDEGGERO præstat eum deserere, ac reverenter affirmare: *Hebraicam ego lectionem sequendam censeo, ut alias semper, ubi lectiones pugnantes occurrunt.* Tom. I. *Hist. Patriarch.* p. 558. quamvis & ipse ZWINGLIVS των ὁ hodierno textui anteferendam esse, existimet, recte idcirco notatus Cl. REIMMANNO *catal. crit.* p. 282. & recte scribit JO. D'OVTREINIVS, *sibi valde paradoxum videri, quod sint Viri docti, qui textum* græcum *hebræo præferant.* Part. II. *Emblem. Sacr.* p. 231. In illustrando quidem loco Gen. XLIX, 21. BOCHARTVM nostrum sublatis punctis in illorum locum substituisse alia, atque *nodum* sic non *solvisse*, sed *secuisse*, TH. HASÆVS, Vir Cl. dissert. de *Naphthalitide, patria*

*) Ejusdem sententiæ erat A MASIVS: *Si quis Græcos sequi malit fruatur suo sensu. Ego Scripturam ipsam, & Grammaticorum leges libenter sequor, Idque probi Interpretis officium esse puto* &c. ad Jos. 19, 8. legi quoque ea de re mereturipse BOCHARTVS in præfat. *hieroz.* f. 61.

patria Apostolorum, cap. I. §. 2. judicat. Interim, si BOCHARTVM ipsum inspiciamus, puncta V. D. mutare noluit, sed tantum non male asserit, *si puncta abessent, a Masorethis non semper commode addita, diversissimum ex verbis Jacobi sensum erui posse.* Part. I. *hieroz.* f. 896. adeoque cum iis facit, qui puncta literis coæva negant, apud HEVMANNVM in *conspectu reipubl. lit.* p. m. 48. *sq.*[*]), & rem in medio relinquit,

*) Præter LVD. CAPPELLVM hæc sententia non paucis placuit, nominatim C. VITRINGÆ, quem idcirco HASÆVS diatr. de *onolatria* p. 79. C. IKEN *dissertatt. phil. theol.* p. 103. & E. HERM. POLEMANN exerc. III. de *Pleonasmis* S S. p. 15. recte notarunt, nec non IO. MARKIO, qui in *sylloge dissert. phil. theol.* Roterod. 1721. (4) edita. Exercit. III. censet, *ab hodierna lectione quidem non temere esse recedendum, nec tamen nimis superstitiose damnandam esse in universum omnem punctationis mutationem, exigente necessitate a Viris sobrie doctis nonnunquam factam*; conf. A. E. L. 1721. p. 238. seq. & in alia *sylloge* Lugd. 1717 de qua vid. *Relat. innocuæ* 1717. pag. 1111. alios ut taceamus. Huc etiam spectant, qui puncta ab ipsis *Scriptoribus* profecta inficiantur licet sententiam suam circumspecte mitigare velint, putantes, nihil hac ratione punctorum vocalium auctoritati detrahi, cum sine dubio, quacunque etiam ætate demum addita statuantur, subjuncta fuerint

quit, ſicuti & alibi fecit, verba hæc ſubjiciens: *recte, an ſecus, non definio.* vid. JO.

fuerint a Viris numero pluribus, linguæ illius peritiſſimis, & lectioni codicis S. per omnem vitam incumbentibus, cum Cl. IKENIO loc. cit. & præcipue p. 336. ſqq. Certe ſi Θειοπνευστιων punctorum negamus, minime certi eſſe poſſumus, num ea ab omni vitio libera ſint, licet maxima cura ſummaque ακριβεια in revidendo codice a ſummis Viris adhibita ſit. Homines ſunt, adeoque erroribus obnoxii. Exemplo ſit reviſio codicis cujusdam *Pragæ* 1728. inſtituta, quæ tamen neutiquam impedire potuit, quin quotidie error in illo inveniretur. Rem integram prolixe enarrat JO. CHR. NEUMANN, qui ipſe dicto anno *Pragæ* fuit, & poſtea *Bremæ* LL. OO. Studioſos literas rabbinicas docuit, apud B. IKENIUM loc. cit. p. 78. ſqq. A Viris autem Θειοπνευστοις ſi puncta proferta eſſe credamus, non curantes cenſuras aſperiores SCALIGERI & aliorum apud HEUMANNUM loc. cit. ſed convicti. ex lectione argumentorum a LOESCHERO & aliis ſedulo congeſtorum, certi ſimul ſumus, Deum curaſſe, ut per Viros gratia Dei ſanctificatos integritas codicis S. illibata conſervaretur. Bene OL. CELSIUS: *Niſi Vocales & puncta genuina in hebraicis obſerventur, Babelica fiet confuſio, & cælo terra miſcebitur*, in *Actis lit. Sueciæ* A. 1732. p. 64. Itidem M. KEMPIUS: *Puncta Hebræorum ſi quis dicet recentius inventum a Viris Synagogæ M. inchoatum, a Maſorethis Succeſſoribus continuatum*

FRISCHMVTH in *theſauro Amſtel.* Tom. I. f. 401. b.

§. 7.

Ubivis *Phœnicium* quid Philologus noſter inveniſſe ſibi perſuadet, atque pro libidine quævis nomina populum ac regionum ex *lingua illa* arceſſere conatur, repugnantibus licet veterum teſtimoniis & circumſtantiis aliis, PH. A TURRE, JO. PH. CASSELIO, & pluribus Eruditis eam ob rem notatus. Aſt nos reſpondemus:

1)

tum, & e Tiberienſibus completum, hac aſſertione fontium integritas & indubitata SS. intelligentia maxime dubia *redditur*, in *Biblioth. Anglorum theol.* p. 283. & inprimis LAUR. FABRICIUS, linguæ Ebr. Prof. olim *witteberg.* in epiſt. ad JO. BUXTORFFIUM Patrem 1625. data, quæ eſt numero XXXII. inter epiſtolas JO. BUXTORFFII *catalectis phil.* annexas p. 434. ſeq. *Variæ ſunt artes Diaboli, ut Scripturam divinam e medio tollat, vel ejus ſenſum ita attenuet, ne animus fidus habeat ubi immote conſiſtat, Jam unice id agit, ut forma ſeu ipſa anima intellectus e Scripturis tollatur. Res quidem videtur eſſe parvi momenti, ſed conſequens longe atrociſſimum eſt, quod ſublatis punctis tota Scriptura in dubium vocetur, aut in diverſis interpretationibus omne judicium tollatur, & cuilibet Interpreti laxæ habenæ præbeantur hoc vel illo modo vertendi, hunc vel illum ſenſum introducendi &c.*

1) Hanc non esse viam, nemini ante BOCHARTUM nostrum calcatam, atque novitatis causa exosam, sed eandem jam seculo XVI. iniviſſe PETRUM FRANC. GIAMBULLARUM Academicum *Florentinum*, cujus ex libro de *originibus linguæ Hetruſcæ* Florentiæ 1549. impresso, prolixum eam in rem fragmentum adduxit FRANC. BLANCHINUS, *Veronenſis*, *in Hiſt. univerſ. antiquis monumentis confirmata &c.* Romæ 1697. (4.) conf. A.E.L. 1698. p. 93.

2) *Conjecturas* Viri Ill. ſi non omnes, plurimas tamen esse *ſolidas*, unde HEIDEGGERVS, cujus ex judicio BOCHARTVS fuit *antiquitatum græcarum & Phœnicarum longe doctiſſimus*, Part. I. hiſt. Patriarch. p. 139. & tot alii eas calculo ſuo paſſim probarunt. Optime B. BVDDEVS: *Quæ conjectura* (Cananæos ſcilicet puduiſſe ſui nominis, & deſiiſſe ſic appellari propter anathema in Patrem ſuum Canaan contortum, ideoque eos non Cananæorum, ſed *Phœnicum* ſub nomine in Græcorum monumentis venire) *& ſi ſatis incerta tantiſper tamen admittenda, donec melior hujus veritatio adferatur.* Tom. II. *Hiſt. Eccl.* p. 374. a. Quod autem non omnes ejusdem notæ deprehendamus, neutiquam

in tanta obſervationum pulcherrimarum copia miramur, cum alii Virii docti in una vel altera invenienda ſeu expolienda turpiter fuerint hallucinati.

3) Non eſſe, cur Viro magno ſuccenſeat P. a TVRRE Sardiniæ vocabulum non a *Sardo* cum aliis derivanti, cum tota illa veterum narratio de *Sardo*, cum magna multitudine e Lybia ibi appulſo, aperte fabuloſa ſit, nec SILIVS *Italicus*, SOLINVS, reliqui, tantæ ſemper ſint autoritatis, ut fidem tuto iis habere queamus, ceu *Urbanus* CHEVRAEVS in *opuſculis miſcellaneis*, Hagæ Comitum 1697. (12) editis, aliique, jam dudum obſervarunt. Certe probabilior eſt conjectura, quæ a *veſtigio Sardiniam* dictam vult, quia videlicet veſtigium plantæ humanæ referre putatur. vid. præter ipſum BOCHARTVM C. BARTHIVS in *animadv.* ad *Claud.* p. 434.

4) Ipſa *monumenta* veteris *Antii* a P. a TVRRE edita tot conjecturis eſſe referta, ut pauciſſimæ ultra probabilitatem aſſurgant. Opus ipſum cui ad manus non eſt, adeat excerpta non contemnenda, quæ A. E. L. loc. cit. prolixe ſuppeditant, & tandem veritate aſſerti noſtri non amplius dubita-

bitabit, licet cæteroquin ipsum Auctorem Virum *reconditæ eruditionis* dicamus cum HADR. RELANDO *dissert. misc.* Part. II. p. 202. atque ejus monumenta *opus elegantissimum, ac varia, reconditaque doctrina refertum* cum eruditis *Lipsiensibus* prædicemus.

Idem, aliqua saltem ex parte, esto judicium de JO. P. CASSELIO, Philologo apud Bremenses celebri, cujus tamen observationes, multiplicis eruditionis testes, magni facere solemus.

§. 8.

Similiter in argumento de *originibus gentium* sæpe fallitur ill. BOCHARTUS, imo *Celtarum* sive *Gallorum* origines ne quidem attigit, judice PAULO PEZRONIO, Doctore in Ecclesia Romana celebri. Verum prius quod attinet, non mirum, si in rebus antiquissimis earumque originibus primis detegendis fallamur, quod etiam aliis in simili argumento illustrando occupatis contigisse meminimus, nec non ipsi PEZRONIO, sicuti MICH. LE QUIEN & JO. MARTIANÆUS, Duum-Viri præstantissimi, ejus *antiquitatem temporum restitutam*, seu potius Antiquitatem temporum *destitutam*, ex professo refutantes, passim docuerunt, vid.

A. E. L. 1695. p. 100. 104. ut & Cl. REIMMANNUS, cujus ex judicio PEZRONUS quidem fuit Vir *præclara eruditione ornatus, sed novitatis amans, instabilis, & ventis omnibus obnoxius, paradoxorum multorum studiosus. Catal. crit.* tomo primo p. 1006. Ad posterius nos regerimus, BOCHARTUM quidem observationes in historiam veterum *Gallorum* concinnasse, sed pio, modestoque consilio, licet rei publicæ literariæ detrimentoso, nunquam edidisse, vid. præter COLOMESIUM, TH. J. AB ALMELOVEEN *Biblioth, promissa & latens* p. m. 66. TENZELIUS *colloq. menstr.* A. 1692. p. 612. & qui uberius hujus rei causam indicat, MORINUS in præfatione, *Operibus* BOCHARTI præmissa f. 34.

§. 9.

Vanum esse BOCHARTI, HUETII, aliorumque Virorum illustrium conatum, dum *nugis gentilium sacrarum literarum Soli lucem affundere* conentur, ANT. VAN DALEN V. Cl. indignabundus judicat. Ast opponimus ei, quæ eodem de argumento attulit VITRINGA, Vir magnus, cujus ex judicio BOCHARTI *ingenii, & doctrinæ heic prima laus est, ut in omni alia parte literaturæ sacræ*, in *hypotyp. Hist.* S. p. 17. Videtur ergo Medicus ille & Mennonita *Harlemen-*

lemenſis locum mereri inter eos, qui ſcripta gentilium ex finibus orbis Chriſtiani relegari velint, vid. quæ hac de re in præfatione *Decimarum ſacrarum* & alibi uberius jam diximus. Et mirandum ſane eſt, quod tantum temporis iis legendis & refellendis impenderit, quæ ullius vix uſus eſſe, ſibi perſuadet. Denique præſtat omnino codicem S. ex ſcriptis gentilium illuſtrare, quam paradoxis ſententiis illum obfuſcare. Alia ut taceamus, quæ contra DALENIUM Viri celebres, ab ill. PFAFFIO Part. II. *hiſt. lit.* p. 27. ſqq. excitati diligenter attulerunt. Nec omitti debet BUDDEUS *hiſt. Eccl.* V. T. tom. I. p. 38. 628. & præcipue p. 782. ſqq. ubi BOCHARTUM & HUETIUM, Duum-Viros præclaros, de *Sanchoniathone* diſſe rentes contra memoratum DALENIUM graviter vindicat. Interim cavendum omnino eſt, ne quid ſit nimium & longius quæſitum, ac ingenioſum, & ſubtile magis, quam ſolidum, aut utile. *Coërcenda itaque critica & antiquaria ingenii humani luxuries* ceu Ven. LANGIUS *inſtitutt. Studii theolog. literariis* optime monuit. *)

*) Hæc verba *Langiana* ad ſolum JAC. ELSNERUM, ejusque *obſervationes ſacras*, refert G. STOLLE ad HEUMANNI *conſpectum reipublicæ literariæ* p. 513. ſcribens: Herr Doct. Lange

§. 10.

In textu hebræo BOCHARTUM noſtrum non raro *hallucinatum*, nec linguæ ejus *genii* exacte gnarum fuiſſe, multi, ſi non verbis, re tamen ipſa contendunt, atque variis exemplis id confirmare annituntur. Aſt ſingulos ipſos audiamus.

A. Sententia BOCHARTI de nomine hebr. Ægypti *Miſraim* Gen. X, 6. non *hominis*, ſed *regionis* & *populi* eſſe nomen, ſicuti & alia poſterorum Noachi nomina non *hominum*, ſed *regionum* eſſe contendit, mihi viſa eſt *ſemper longe a vero recedere*. Et illa labefactata, *plurima corruunt, quæ in Geographia ſua ſacra ſcripta reliquit. Videtur inconveniens. Certe parit maximam confuſionem. Cum ſapientia Moſis parum convenit.* Ita RELANDUS in *Palæſtina* p. 62. ſeqq. & Part. I. *diſſertat. miſcell.* p. 11.

Durum

Lange zu Halle ſetzet verſchiedenes daran aus, ob er aber hinlänglichen Grund dazu habe, weiß ich nicht, ſed non ſatis bene attendit Vir ceteroquin accuratus. Eſt potius hæc notula generalis ratione Scriptorum illorum, qui varia Scripturæ loca ex antiquitatibus & ritibus profanarum gentium, præcipue Græcorum & horum ſcriptis, illuſtrarunt, ceu ex collato initio §. 16. inſtitut. luculenter patet.

Durum mihi videtur, inquit, *quod Cl.* BOCHARTUS *vult, Miſraim notare Ægyptum, ab anguſtiis ita dictam, &c. & quum Chami filii dicuntur fuiſſe Chus, Miſraim, &c. id tantundem valere ac Chami filii, qui conditores fuere, vel incolæ regionis Chus, Miſraim &c.* Sed nos reſpondemus: 1) idem de aliis inter Noæ poſteros vulgo relatis jam ante BOCHARTUM aſſeruit P. MERULA, Hiſt. in Acad. *Lugduno-Batava* quondam Profeſſor, *eruditiſſimus & piiſſimus Vir*, ceu a VOETIO Part. II. *politicæ Eccles.* p. 129, appellatur, Part. I. *Coſmogr.* Lib. III. c. 14. obſervante J. SIMONIS in *onomaſt. V. T.* p. 294. in notis; adeoque Vir doctus a novitatis invidia abſolvi debet. 2) Non pauci eruditorum ſententiam BOCHARTI calculo ſuo probarunt, nominatim PERIZONIUS *origg. Ægypt.* cap. I. p. 6. HEIDEGGERUS Part. I. *Hiſt. Patriarch.* p. 689, & VITRINGA, Vir acutiſſimus, judicat, verba Moſis hanc (BOCHARTI) *admittere poſſe & debere interpretationem, cum forte nullus unquam homo nominis Miſraim in mundo extiterit.* Part. I. *obſervat. S.* p. 63. licet etiam non ignoremus, cum RELANDO facere NIC. GÜRTLERUM lib. I. *Origg. mundi* lib. I. cap. III. BUDDEUM tom. I. *Hiſt. Eccl. V. T.* p. 179, & Cl. SIMONIS loc. cit. add. A. E. L. Anni 1715.

p. 2.

p. 2. 3) Quantopere ipſemet RELANDUS *conjecturis*, imo *conjectatiunculis* inhæreat, & quomodo illæ plurimam ſcriptorum ejus partem conficiant, ſupra §. 3. jam docuimus, ſicuti & in ipſa *Palæſtina* ejus *multa* adhuc ſupereſſe *dubia* & *ambigua*, quæ poſteris dijudicanda relinquantur, doctiſſimi Cenſores *Lipſienſes* haud diffitentur. Haud male Cl. REIMMANNUS, qui congeſtis doctorum hominum de hac *geographia Sacra* judiciis, tandem ſuum ſubjungit: *In generalioribus mire facundus eſt Relandus, ſed in ſpecialioribus hæſitat.* Et paulo poſt: *De locis, quorum ſitus non eſt exacte cognitus, pleniorem lectori debuiſſet dare notitiam hiſtoricam, quod Strabonem feciſſe novimus. Catal. crit.* p. 899.

B. Sola duarum vocum cognatione eandem rem ſignificari male cenſet Cl. BOCHARTUS, judice LAKEMACHERO Part. II. *obſervatt. phil.* p. 21. Aſt congruentiam vocum non prorſus negligendam eſſe, ipſemet LAKEMACHERUS largitur, unde eandem in ſubſidium conjecturæ ſuæ advocat, rationem nominis *Crethæorum* inveſtigaturus. Num vero BOCHARTUS noſter *ſola duorum nominum cognatione rem eandem ſignificari*, demonſtrare voluerit ullibi, vix nobis perſuaſum eſt, ei nimirum congruentiæ, niſi

cum

cum documentis aliis conjungatur, parum roboris ineſſe, haud ignorans. Exemplo ſit ipſum illud argumentum de *Cretbi & Plethi*, in quo diligentia LAKEMACHERI verſatur, a BOCHARTO pariter erudite illuſtratum lib. I. *Geogr. ſacr.* cap. XV. ubi, quinam illi *Crethim* fuerint, non una ratione, inprimis ex *ſagittandi* arte *Philiſtæis* & *Cretenſibus* priva, populis autem aliis plane ignota, adſtruitur, licet in repetendo hoc argumento LAKEMACHERUS magni BOCHARTI mentionem non fecerit. Ut taceamus, ſententiam LAKEMACHERI poſtea rejectam fuiſſe a variis, & ante decennium a Cel. IKENIO in diſſert. ſing. de *Crethi & Plethi*, quæ inter *diſſertatt.* ejus *philol. theol.* locum nonum obtinet.

C. omnes geminatas radicales intendere ſignificationem fruſtra dicit BOCHARTUS, atque ex hoc pſeudo canone ארמרם eſſe *ſumme lucidum* ſeu *ſumme candidum*, exiſtimat, judice *Chriſtiano* NOLDIO in *concordantiis particularum Ebraicarum* p. 738. Sed fallitur ipſemet NOLDIUS, *ſummus* ceteroquin *in omni doctrina Vir* *), & cum Cl. HIL-

*) Ex ſententia TH. CRENII in præfat. *Faſcis* IV. p. 35. ſicuti & *Theologorum Daniæ ſuæ Alpha* a Ven. DIECMANNO diſſert. ad Gen. XLIX, 10. Tomo primo inſerta *theſauri Haſæo Ikeniani* f. 238. in notis, appellatur.

HILLERO BOCHARTVM noſtrum fruſtra taxat, eam ob rem J. SIMONIS in *arcano formarum nominum linguæ hebr.* p. 215. iterum notatus: hanc enim vocum, ſecundam & tertiam geminantium, inprimis του ארמרם vim eſſe, ut ſignificationem non *minuant*, ſed *intendant*, ex inductione exemplorum p. 223. a Viro celebri allatorum, facile conſtat. Nec contrarium probat verbum כחרחר Pſ. 38, 11. a doct. SIMONIS omiſſum, quod NOLDIVS *languide circumivit*, *palpitavit*, interpretatur; nam & hoc loco geminationem literarum *intendere*, B. MICHAELIS in *annotatt.* ad *Pſalmos* jam dudum obſervavit. Vide ipſum, ſi vacat. Ceterum ſpecimen illud novæ obſervationis in NOLDIO non miramur, utpote cui ſolenne eſt *nova ſectari*, ſicuti etiam eadem ex cauſa ab uſitatiſſima ſignificatione *particularum* in libro alias eximio, ſæpius recedere ſolet a J. CLERICO idcirco recte jam notatus conf. A. E. L. 1694. p. 16. & LÖSCHERVS in libro de *cauſis linguæ Ebrææ* p. 418. qui poſterior non ſine ratione dolet, NOLDIVM *circa exteriora potius Ebraismi verſatum, quam circa interiora, enarrare potiſſimum, quot modis particulæ Ebræorum ſignificanter latine reddi poſſint, atque ex tot modis transferendi in aliam linguam tot formare ſignificationes: quo ipſo linguam ſanctam defor-*

deformet, & *Interpretes ſacros valde ambiguos reddat.* Ne memoremus verbis ill. BOCHARTI alium plane ſenſum affingi, quaſi de omnibus geminatis radicalibus ſic pronunciaverit, nam de vocibus forma illius אדמרם ſermonem ibi tantum eſſe, lector quivis ſtatim animadvertet, ſicuti etiam paulo poſt emphatice ſubjungit: *Ex quibus exemplis patet, quo pertineat hæc literarum geminatio, nempe ad vim vocis geminandam, atque intendendam, ut apud nos ſuperlativus gradus. Itaque veriſſimum eſt, quod diximus.* Verum & hanc NOLDII licentiam nemo mirabitur, cogitans, NOLDIUM & aliis Viris doctis *affingere* ſolere, de quo nunquam cogitarunt vid. CRENIUS faſce II. p, 77, in notis.

D. Columbam יונה vocari non ab opprimendo, quod eſt ינה, ſed ab יון, ſive *Græcia*, quod ab omni ævo in Græcia columbæ fuerint, Cl. BOCHARTUS contendit. Idem nomen fuit *homini & Vati. Num ideo, quia ex Græcia ortus? Silices neceſſe eſt concoquat, qui hæc ferre poſſit.* Ita MAJUS Part. II. *obſervat. Sacr.* p. 95. 98. qui, ſi alias ullibi, hic certe *judicium Critici* monſtravit. Dignus qui in toto hoc negotio *bis* relegatur, judice WOLFFBURGIO *obſervat. Sacr. N. T.* p. 195. Nec nobis ſenten-

ſententiam BOCHARTI placere, lubentes fatemur. Interim bene feciſſet Cl. MAJVS, ſi conjecturam Viri ſummi integram adpoſuiſſet, ne omni probabilitatis ſpecie carere videretur. Cenſet nimirum BOCHARTVS *hieroz.* Part. I. f. 65. & Part. II. f. 3. יונים dictos eſſe ab Jonibus ſeu *Græcis*, quorum ex regione ſeu patria in *Judæam* translatæ fuerint columbæ, ſicuti v. g. pavones תוכיים pro כותיים dicti videantur per *metathesin*, quia nimirum ex *Cuth* ſeu *Perſide* in *Judæam* primo allati ſint. Admodum probabile enim eſt, *nomina* animalium ex lingua illius regionis ducta eſſe, ex qua ipſa *animalia* originem traxerint, judice RELANDO Part. I. *diſſert. miſcell.* p. 184. Præterea BOCHARTVS ſententiam ſuam omni exceptione majorem minime exiſtimat, ſed potius pro *conjectura* habet. Aliquid afferre *vero ſimilius* conatur, uti Part. II. f. 2. a. diſerte ſcribit. Denique conjectura hæc BOCHARTI tolerabilior omnino eſt, quam ſi in rebus majoris momenti cum HAMMONDO oſcitamus, *argutias ex eo diſcimus, fabulasque vendimus*, cujus vitii reum Cl. MAJVM facit WOLFFBVRGIVS loc. cit. p. 59. 135. & alibi. add. *Relat. innoxiæ* A. 1713. p. 658. ſqq. Ut taceamus, ipſum doct. MAJVM in libro *obſervationum* ſuarum, quas ex ſententia Cenſoris adducti male

male *sacras* dixit, sæpius inhiare *conjecturis*, conf. Part. III. *observat.* ejus *sacr.* p. 138. nec raro talibus, quæ omni fundamento prorsus carent. Exemplo sit ipsum nomen *Jonæ*, quod non *columbam* significare vult, sed ab *opprimendo* dictum Prophetam censet, addita ratione, quod *mulieribus* in gente judaica ab *animalibus mitissimis* nomina fuerint imposita, *Viris* a *ferocissimis*; sicuti enim respectu etymi prioris paucos forte adsentientes habebit, ita asserti posterioris falsitas ex *onomasticis* HILLERI, SIMONIS & aliorum facile constat. Unde non mirum, quod Vir Cl. multas sibi molestias non raro pepererit, inprimis cum non sine magno animi fervore aliter sentientes taxare soleret *. Audiamus ipsum in epist. ad ANDR. L. KÖNIGSMANNUM *Giessæ* 1725. commercio epistolico Eruditorum *Hamburgi* ex MScr. dein 1751. p. 664. sqq. inserta: *Observationes meas sacras, de quibus quæsiviisti, ægre me adduci patiar, ut novis libellis adaugeam. Quamvis enim* nomen

*) Hoc vitium in eo notat. cel. HEUMANNUS in Erklärung des N. T. ad Luc. 2, 52. p. 90. der jungere Majus vertheidiget dieses nach seiner Gewohnheit dermassen eyfrig in seinen obs. sacr. daß er die, so es nicht glauben wollen, sich schämen heisset.

nomen forsan aliquod ex illis sperare possim, expertus tamen jam sum non paucorum invidiam, & illorum fere omnium, quibus non nisi detrita sapiunt, quorum numerus est innumerus.

E. אגמון BOCHARTO est *juncus*, quo funes olim plenos fuisse, e PLINIO & Hebræis docte confirmatum it, sed frustra. Et Virum longe eruditissimum hic hæsisse patet, quia alio loco *juncum ferreum* exponit. Atqui non de *ferro*, sed de re maxime *infirma* agere hoc loco Jobum, nemo, rem paulo diligentius expendens dubitabit; nempe qua ad ferocissimam bestiam capiendam absurde uti quis velit. Ita O. C. (OL. CELSIUS) Prof. Upsal, cujus triga observationum de *plantis biblicis* extat in *Actis lit. Sueciæ* A. MDCCXXXI. n. 10. p. 60. sqq. Ast vocem אגמון *juncum* significare, non modò BOCHARTUS noster sed & alii, ab ipso CELSIO allati, judicant, imo *omnes consentiunt*, ut scribit *C. Vitringa comm.* ad Jes. tom. I. f. 256. b. sicuti etiam nec HASÆUS de *Leviathane Jobi* p 128. nec JO. SIMONIS in *arcano formarum* p. 570. nec nuper CLODIUS in *lexico hebr. selecto* p. 12. notionem illam rejecerunt. Præterea solent quidem Botanici veteres & recentiores *arundinem* & *juncum* distinguere; num tamen

men distinctionem illam semper observent, vix nobis persuasum est, cum potius juncus in locis a Cl. CELSIO illustratis ipsam arundinem complecti videatur. Denique nec ibi BOCHARTUM haesisse arbitramur, ubi vocem ברזל (ferreum) exposuisse videtur, adjectivum enim *ferreum* parenthesi inclusum legimus, ut lectorem doceat, si vel *ferrum* junco innexum intelligere malis, nec ita tamen bestiam tantae molis capi posse, utpote quae sine laesione faucium & ipsum *ferrum* deglutire queat, sicuti ex uncinis ferreis, & catenis in ejus ventre inventis luculenter liquet, vid. Cl. HASAEUS loc. cit. p. 129.

§. II.

Injuriam BOCHARTUS non raro fecit Auctoribus antiquis v.g. PHILONI, quem magno errore *Typhoni* tribuisse dicit, quae *Osiridis* essent propria, quia non *Typhon*, sed *Osiris* Aegyptiis in praecipuo cultu fuisset, habuissetque pro symbolo *taurum*. *Quis quaeso tantam rerum Aegyptiacarum ignorantiam tribuere ausit Philoni, Alexandriae, media in Aegypto, versanti &c.* Ita MILLIUS *dissertatt. select.* p. 48, nec non PLINIO, quem Scythas olim dictos *Aramaeos* ex turpi errore scripsisse opinatur, notatus eam ob rem HASAEO tomo V. *Biblioth.*

Brem. p. 286. & denique OLYMPIODORO in quo *legisse aliquid sibi videtur, quod nullus alius facile deprehenderit*, judice eodem Viro docto tract. de *Leviath.* p. 137. Nos quod attinet, BOCHARTUM quidem ab omni errore non plane immunem declaramus, sicut & alii Viri docti mentem auctorum veterum & aliorum Scriptorum non semper rite assecuti sunt, quod vel ex exemplo CHR. NOLDII, qui AUGUSTINUM & PHILONEM locis a CRENIO fasce II. p. 77. sq. citatis, male intellexerat, nec non HASÆI apud HEUMANNUM ad Marc. p. 539. in notis, confirmatur, alios ubivis obvios ut taceamus, ipsum tamen celeb. MILLIUM BOCHARTI nostri mentem non satis recte assecutum censemus: neutiquam enim omnem *Typhoni* cultum denegat Vir summus, licet *Osiridem* Ægyptiis in præcipuo cultu fuisse scribat, quod infra clarius docet, *Typhonem* non tam pro Deo, quam pro Cacodæmone ab Ægyptiis habitum fuisse, eique non bovem, sed asinum, crocodilum, & alia tributa, recte cum PLUTARCHO affirmans, unde perperuum illum Philonis errorem erudite a BOCHARTO correctum cum WITSIO *in Ægypt.* p. 664. ZORNIUS tom. I. *biblioth. antiquariæ* p. 666. in notis non male judicat. Præterea PHILO *Judæus* licet non omnis eruditionis & eloquen-

quentiæ laus ei deneganda, auctoritas tamen ejus, ſicuti in rebus Ebræorum, ita etiam in ipſis Ægyptiacis non raro vel *exigua* admodum, vel prorſus *nulla* eſt. vid. judicia VITRINGÆ & aliorum, in tract. noſtro de *panibus facierum* p. 50. jam olim collecta. PLVTARCHI ſaltem in poſterioribus non unam ob rationem potior nobis eſſe ſolet, prouti & ipſemet Cl. MILLIVS eum *Auctorem* agnoſcit *graviſſimum*, *quitam erudite*, *graviter & ornate in ſingulari* de Iſide & Oſiride *libro*, *ſymbolicæ ſapientiæ ingenti theſauro*, *ſcripſerit*, *ut paucos hodie in univerſo Eruditorum ordine fore exiſtimet*, *quin ingentem veritatis ſapientiæque lucem in his tenebris & nebulis magis conſpiciant*, *conſpectamque venerentur* in elegantiſſima oratt. de *fabulis Orient.* p. 36. Idem eſto judicium de iis, quæ HASÆVS contra BOCHARTVM de nomine *Aramæus*, Scythis olim dato, erudite ſcripſit; *errorem* enim *ibi commiſſum fuiſſe*, *nihil certius eſt*, judice cel. IKENIO tomo V. *Biblioth. Brem.* p. 796, licet non ipſi PLINIO, ſed *Amanuenſibus* potius tribuendum velit Vir doctiſſimus. *Syros* autem hoc nomine inſigniri conſtat, ſicuti & HIERONYMVM, qui maximam vitæ ſuæ partem in *Syria* tranſegerat, a *Theodoro Antiocheno* ARAM, id eſt, *Syrum* dictum fuiſſe, novimus. vid.

post ill. NORISIVM in *Hist. Pelag.* & Cl. GARNERIVM in *dissertat. ad Marium Mercatorem* TH. ITTIGIVS in *heptade dissertat. select.* dissert VII. conf. A. E. L. 1696. pag. 113, & 1698. p. 80. Quæ denique ad vindicandum OLYMPIODORVM *) attulit HASÆVS, Vir præstantissimus, paucis satisfacient, cum a propria nominis סכות notione recedat, aliamque alibi non obviam, ceu ipsemet p. 146 fatetur, adferat. Ast hæc uberius excutere, nunc non licet.

§. 12.

De loco admodum difficili Thren. IV, 3. *perpauca attulit* BOCHARTUS, *alias in aliis uberrimus.* Ita WOLFFBURGIUS *observatt.* p. 144. **) & alius Vir doctus: *Cum de hippopotomo multis egisset doct.* BOCHARTUS, *de cauda stricte loquitur, & utcunque explicatam pæne transcurrit* in *Actis lit. Sueciæ* A. 1733. p. 76. Ast intempestive Virum magnum taxant. Priorem enim locum quod attinet, perpauca quidem attulit

*) Cujus de ætate Viri doctissimi dissentiunt. Vid. IO. ERN. GRABIUS in *Spicilegio Patrum & Hæreticorum* sec. II. tom. I. p. 245. & ex eo A. E. L. 1700. p. 274.

**) Sicuti alium locum longo verborum apparatu pro more suo explicuit, facillime tamen refellendus. Idem in præfat. II. p. 7.

tulit BOCHARTUS noſter loco a WOLFFBURGIO citato, Part. II. ſcilicet lib. VI. cap. IX. Sed ipſemet Vir ill. Lectorem ſuum remittit ad caput de *cetis*, quod lib. I. Partis primæ ſeptimum eſt, & in quo locum illum ſic illuſtravit, ut *ferias fecerit* HASÆO laudato, & in hiſtoria *cetorum* illuſtranda diligentiſſime occupato, qui p. 104. conferri omnino meretur. Interim errorem ejusmodi in WOLFFBURGIO non miramur, utpote qui, ceu ex *præfatione* ejus diſcere licet, BOCHARTUM aliosque Auctores ipſe non habuit, niſi mutuo, & per breve temporis ſpatium, quamdiu poſſeſſoribus eorum placuit, unde memoria lapſus nobis videtur. Ratione poſterioris nos judicamus, BOCHARTUM de *cauda Behemoth* tantum dixiſſe, quantum ad rem ipſam ſufficiebat, caudam ſtricte ſic dictam intelligens, & cum hippopotamo brevior cauda ſit, non ratione longitudinis, ſed alias ob cauſas cum *cedro* poſſe componi, obſervans. Præterea nec ipſemet *Philologus Suecus* plura attulit, quæ ad illuſtrationem vocis illius facerent, cum tamen loco non plane alieno facere id potuiſſet. Denique BOCHARTUS noſter uberior ſine dubio eſſe noluit, ne, quæ contra verecundiam ſtyli ſacri pugnarent, adferre cogeretur, ſicuti ab aliis factum dolemus, con-

tra quos vid. ALB. SCHULTENS animadv. in *Jobum* p. 162. ſqq. & B. LAMPIUS in diſſert. de *cedro*. §. §. 34-35. tom. I. *diſſert.* p. 469. collect. *Gerdeſianæ* *). Ceterum pro ſe loquatur ipſemet BOCHARTUS in præfatione *hieroz.* f. 61. *Multa obiter attingere neceſſum habui, in quibus tantum operæ fuit inſumendum, ut ſæpe* το παρεργον *ipſum opus æquet, aut etiam ſuperet. In quo cenſu* (ut præteream amplos tractatus de Paſtoribus, & bubulcis, de ſacrificiis &c.) *ponenda omnino ſunt a nobis reſtituta ſexcenta loca, quæ vel in Sacri Textus verſionibus, vel in veterum doctorum ſcriptis, vel in aliis etiam Scriptoribus omne genus temporum injuria & Scriptorum incuria corruperat.*

§. 13.

Ipſum *Alcoranum* a BOCHARTO fortaſſe non inſpectum, ſed fide lexici *Alcamus* **) Virum doctum ita ſcripſiſſe, VORSTIUS

*) A pinguedine *caudam* dici זנב JO. SIMONIS in *arcano formarum nominum hebr. linguæ* p. 157, & doct. GEBHARDUS tom. I. *theſauri Haſao-Ikeniani* f. 556. obſervant.

**) *Alcamus*, id eſt, *Oceanus*, quo titulo vaſtum linguæ arabicæ lexicon in ipſa Arabia ſcripſit *Mahometes*, *Jacobi Phiruzabadenſis* filius. Illud *Holmiæ* ſe totum percurriſſe, teſtatur BOCHARTUS in præfat. *hieroz.* f. 62.

STIUS satis libere judicat. Dixerat nimirum Vir ill. vocem גמל in textu arabico non per duplex *Fatha;* sed per *Dsamma* & *Fatha* legi *) Cui asserto VORSTIUS opponit duos codices Alcorani in Bibliotheca *Electoris Brandenburgici* a se inspectos, in quibus vox prædicta גמל non per *Dsamma* & *Fatha*, sed per duplex *Fatha* scribatur. Quicquid vero sit, male tamen Censor inde colligit, non verisimile esse, quod codices *Alcorani* heic discrepent, & quod BOCHARTUS aliquem inspexerit, qui aliter quam duo prædicti codices Electorales habeant. Neque fide Lexici *Alcamus* ita scripsit Vir in lingua Arabica facile Princeps, sed lectionem sui codicis auctoritate illius confirmare tantum voluit. Quæ de ipso loco insigni Matth. XIX, 24. disceptari solent, vid. apud cel. WOLFFIUM, in *curis crit.* & quos ibi laudat, nec non Doct. EWALDUM Part. III. *emblem. sacr.* p. 207. sqq.

*) Forte in illo Alcorano Arabe, quem cum ipso communicaverat Dominus de la MOTTE, Vir amplissimus. De ipsa voce גמל vid. MORINUS in vita BOCHARTI f. 4. Cl. SIMONIS loc. cit. p. 618. & CLODIUS in *lexico selecto.* p. 119.

§. 14.

Latuit forsan BOCHARTUM (*Hieroz.* Part. I. f. 542. b.) Virum alias stupendæ πολυμαθησεως, & qui *hierophyticon* singulare condere voluit, quod *planta*, quæ communiter *Aloe Orientalis* vocatur, Græcis dicta fuerit χρυσολαχανον, ex conjectura WOLFFBURGII p. 150. Atqui hoc BOCHARTUM nostrum omnino latere debuit, cum *aloen Orientalem* sic appellatam fuisse, nemo facile probatum dederit, sicuti nec ipse WOLFFBURGIUS notionem illam loco ullo Scriptoris antiqui confirmavit. Præterea, cum sit *oleris* genus, non diffitente WOLFFBURGIO in altitudinem arboris proceræ excrescens, arietem eo implicari potuisse, nemo nisi somnians finxerit, ut recte quidem ill. BOCHARTUS judicat. Denique si quædam in tanta rerum farragine ignoraverit Vir πολυμαθεστατος facile ei condonamus, cum MORINUS in præfatione *Operum* BOCHARTI f. 4. nec pauca supplere promisit in *hiero-botanico*, quod opus eximium nunquam prodiisse, cum Viris doctis, supra in fine *Sectionis primæ* laudatis, nec non cum Cl. HINCKELMANNO apud TENZELIUM in *colloq. menstr.* A. 1694. p. 728. valde dolemus.

§. 15.

§. 15.

Majoris omnino ponderis est censura Cl. TENZELII loc. cit. A. 1695. p. 403. quod nimirum BOCHARTUS studium *nummismaticum*, ad notitiam Geographiæ antiquæ valde necessarium, ignoraverit. Necessitatem enim studii illius in ipsa Geographia veterum nemo Eruditorum inficias facile iverit., sicuti etiam ex RELANDI *Palæstina* p. 35. 40. passim, aliorumque scriptis *Geographicis* abunde constat *). Iisdem subsidiis adjutum ABRAH. ORTELIUM, *Ptolomæum Germanorum* dictum, vid. Cl. STOLLIUS ad HEVMANNI *conspect. rei publ. lit* p. 251, spartam suam Geographicam, id est, *vastum orbis terrarum theatrum* ornasse, ex selectis *nummismatibus* æreis, argenteis, aureis, quibus abundat, satis liquet. Conf. quæ ex ANDR. SCHOTTO, Jesuita, diligenter excerpsit CRENIUS in præfatione *Musei phil. & hist.* Part. II. p. 49. Laudandus idcirco est *thesaurus* ejus *geographicus*, quem *opus aureum* VOETIUS in *biblioth. studiosi Th.* p. 409. recte dixit, sicuti & eo non posse esse absolutius in eo genere *opus*, plerique credunt, teste TH. REI

*) Vid. quoque OLEARII epist. ad JO. HENR. a TIMÆS de *nummo L. Sept. Severi rarissimo, in quo Mars cum scalis conspicitur.* p. 15.

REINESIO in tract. eximio de *Deo Endovellico* apud CRENIUM in *Muſeo* ipſo p. 395 *). Interim Virum ſummum in re *nummaria* non plane hoſpitem fuiſſe, vel ex iis, quæ brevi ante mortem extrema vitæ ſuæ hora in conſeſſu Academicorum de *nummis* Arabum *Marbotins* dictis, erudite diſſeruit, referente MORINO in vita Bocharti f. 35. diſcere ſatis licet; ut taceamus, quæ in ipſo *Geographiæ* ejus volumine paſſim occurrunt, atque ſtudium illud *nummiſmaticum* BOCHARTO noſtro non plane neglectum teſtantur. Sicuti & alii Viri docti illius ſeculi ſtudio hoc mirifice delectabantur, nominatim Cl. SAURINUS, pro religione ex Gallia dein exul, *Jacobi*, *Hagienſis* poſtea V. D. *Miniſtri* celeberrimi, *Pater*, qui multa præclara ex antiquitatibus veterum *nummis-*

*) Duo tamen in opere *Orteliano* REINESIUS & CRENIUS haud immerito deſiderant: 1) quod æque ac in aliis Geographorum operibus nomenclaturæ gentium & locorum plerumque corruptæ lectori obtrudantur. 2) Quod perpauca ex iis quæ ad Geographiam recentiorem pertinent, complecti ſoleat. Utriusque operis *Orteliani* quoque meminit Cl. STRUVIUS in *biblioth. ſel. hiſt.* p. 778. additis variis *Editionibus*; ubi tamen omiſſam videmus Plantinianam. quæ Antwerpiæ 1579, fol. cum mappis eximiis edita, in Biblioth. Bashuyſiana reperitur.

mismaticis calluit, aliisque feliciter detexit, teste JO. BAPT. OTTIO in *historia vitæ suæ*, quam pl. Rev. HULDRICUS, Theologus hodie *Tigurinus* præstantissimus, *Saturæ Helvet.* Parti primæ inseruit.

§. 16.

Quæ denique de BOCHARTO nostro habet *Anonymus* quidam in epist. resp. ad *Virum doctum Nobilem*, quod fuerit *Orator non eximius* (ein elender Redner) sine dubio de *dotibus externis* intelligenda sunt, quæ in Viris præclaris, magna tamen cum ædificatione bonum Ecclesiæ promoventibus, non raro desiderantur. Nota satis sunt exempla cujuscunque seculi Eruditorum, qui *dotibus externis* destituti in cathedris *Ecclesiastica* & *Scholastica* summo cum applausu docuerunt. Interim prorsus aliter de BOCHARTO judicat MORINUS in *vita* ejus f. 3. *Nullis verbis exprimi potest, quanto cum studio omnes vigilantissimi Pastoris expleverit partes, aut quanta cum aviditate delectationeque escam spiritualem ab ipso propositam grex ejus capesserit; condiebat enim sermones suos rara eruditione, quæ pariebat admirationem, sed ad captum etiam ita temperabat, ut gustui omnium mirabiliter saperent. Præterea Zelo ardenti inflammabat ad pietatem torpescentes & reluctantes domabat*

bat - - - quapropter cunctis gratissimus fuit, etiam Pontificiis. Ut taceamus sermones ejus sacros, quos in *Genesin* usque ad cap. XLIX, 18. *O Domine salutem tuam expectavi*, conscripsit, a Cl. MORINO passim laudatos, unde non mirum, quod non modo *Cadomenses*, sed & alii exteri magno numero cœtum *Cadomensem* frequentantes, BOCHARTUM sedulo & avide audiverint. f. 7.

§. 17.

Atque hæc speciminis loco sufficiant. BOCHARTUM nostrum hominem fuisse, nec ab omni nævo alienum, ex supra dictis evidenter liquet. Interim eundem Virum magnum sæpius *injuste*, & *nimis acriter* taxatum fuisse, ea, quæ Sectione hac ultima attulimus, abunde confirmant. Erit interim *totius orbis literati decus summum ac perpetuum*, de quo coronidis loco merito exclamamus, quod olim SNABELIUS, Theologus quondam apud *Bremenses* præclarus, de JO. COCCEJO, Theologo olim summo, in ipso orationis suæ exordio alta voce exclamavit: *Ite, ite*, BREMENSES mei (*Rhotomagenses, Cadomenses, imo* GALLI *ad unum omnes*), & quemadmodum *Roterodamenses Batavi* ERASMO suo, (addimus: *quemadmodum invictissimus et sapien-*

ſapientiſſimus Boruſſiæ Rex FRIDERICUS II, qui *Martis* & *Apollinis* gloriam implet, SAMUELI COCCEJO, *magno ſuo Cancellario, & Miniſtro e primis, noſtris diebus) ſic Vos Civi huic veſtro ſtatuam e marmore Pario*, vel *ære Corinthiaco ad latera Coloſſi Rolandini* (Statuarum Regiarum) *decernite, ponite, conſecrate.* in orat. eximia de *origine & præſtantia Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ*, quæ in *Amœnitatibus Theologiæ emblematicæ & typicæ*, Trajecti ad Rhenum A. MDCCXXVIII editis, p. 20. ſqq. recuſa legitur.

IV.

IOHANNIS NICOLAI RICHTERI DISSERTATIO AD PHIL. II, 9. IO. II.

§. 1.

In eis dictis sacri codicis, quæ de Sessione Servatoris nostri ac Domini, IESU CHRISTI, ad PATRIS dextram, agunt, hoc quidem, cui breviter explicando adieci animum, insignem sine dubio meretur locum. Proponuntur enim hic aperte & dilucide, modo probe ad vim verborum phrasiumque in eo occurrentium animadvertas, quæ impropria illa locutione involvuntur enucleanda. Quanquam vero non is ego sum, qui verbis hisce plane novam nec ab aliis accensam adfundam lucem, atque ipsarum veritatum, quæ egregio hoc loco describuntur, uberiorem tradam expositionem; agam tamen atque contendam, ut determinati, nec latius,

tius, quam par eſt, dilatati, phraſium verborumque conceptus in lucem prodeant. Ex quo fine, B. L. hanc meam dijudicari velim opellam.

§. 2.

Animum demiſſe ſentientem, nec ſua tantum, ſed aliorum quoque commoda operari cupientem, commendat & præcipit ſanctus gentium Apoſtolus. Proponit hanc ob cauſam exemplum Servatoris, quod imitandum eſſe docet, quippe qui rapinam non exiſtimaverit, æqualem eſſe DEO, ſed ſe exinaniverit, ſe demiſſe geſſerit, ſe adeo voluntati PATRIS ſubjecerit, ut vel cruentam crucis non recuſarit mortem. Et quis animi hujus ſubmiſſi obſequioſique effectus, quæ ſequela erat? *Propterea*, inquit Paulus, *Deus etiam Eum ſuperexaltavit, & nomen dedit ſupra omne nomen: ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium & terreſtrium & ſubterraneorum, atque omnis lingua confiteatur, Dominum eſſe Ieſum Chriſtum, ad gloriam Dei Patris.* Conſequentias, quas hinc deduci voluit Apoſtolus, elicere & derivare haud difficulter licet. Hoc ſcilicet innuit: qui hæc illave bona aut dona præ aliis poſſidet, de iis, exemplum CHRISTI intuens, ne glorietur,

tur, nec ſemet propterea efferat, ſed demiſſe & modeſte ſe gerat, voluntatique Servatoris ad ſummum honoris imperiique culmen evecti, amoremque in alios jubentis obtemperet: quod enim ſi fecerit, exaltabitur ſupremo mundi die cum Domino ſuo, cujus honori in hac terra ſervivit, & obedientiæ Ipſi præſtitæ uberrimos feret largiſſimosque fructus.

§. 3.

Prioris commatis, quod rite expoſitum reliquorum explanationem perquam facilem reddit, prius membrum his verbis continetur: Διο και ὑπερυψωσεν αυτον ὁ Θεος. Non eſt, quod eos diutius morer, qui vocem ὑπερυψωσεν vertunt, *exaltavit*, quum plenum compoſiti hujus verbi ſignificatum veramque emphaſin hac ſua verſione non exprimant. Dicit enim, quod facile eſt intellectu, hoc verbum plus, quam ſimplex ὑψωσεν; neque quidquam obſtat, quo minus transferri queat & debeat: *exaltavit Eum ſupra omnia* a), præſertim ſi locum paralle-

a) Non obſervavit hanc emphaſin DODDRIDGIUS in paraphraſi ſua; nec bene, quem ille recte notat, PEIRCIUS ſenſum verbi explicuit, quando explicat: *adhuc magis Eum exaltavit, quam antea.* Nec melius GROTIUS: *Eum multo ſublimiorem fecit, quam erat*

rallelum Eph. I, 21. cum hoc noſtro conferas. Jam vero quid hæc *ſupra omnia exaltatio* ſibi vult? b) Utrum hoc innuitur, datum eſſe CHRISTO ſummum dominium ſive ſummam poteſtatem, qua omnia Ejus imperio ſubjecta ſint? Ego vero hoc indicari non arbitror. Neque enim hæc notio ſignificatui verbi ὑψοειν frequentiori reſpondet, ſicuti poſthac probabo. Atque illa ipſa evectio Soſpitatoris ad ſummam poteſtatem,

erat antea. Optime vero vertit ſumme ven. HEUMANNUS; dafür hat ihn auch Gott **aufs Höchſte erhöhet**, & cel. MICHAELIS in paraphraſi ſua: Gott hat ihn deswegen **ungemein und über alles** erhöhet, quanquam prius ſuperfluum eſſe videatur. Simili ratione ERASMUS: *vehementer* exaltavit ſive *inſigniter.*

b) Miror, omnes, quos inſpiciendi copia fuit, interpretes, id ſibi hic negotii datum eſſe credidiſſe, ut ſenſum impropriæ hujus locutionis enuclearent. Hæc vero omiſſio, hoc ſilentium inde dimanaſſe videtur, quod inſequentia verba horum priorum explicationem eſſe arbitrati ſunt. Ita Cel. NONNENIUS Diſp. de *ſummo Dominio* Θεανθρωπου *exaltati in univerſum* p. 12. diſerte aſſerit, *conceſſionem nominis ſupra omnia nomina cum exaltatione coincidere*; hanc ergo denotare introductionem in dominatum. Sed neſcio, qua ducti ratione hanc coincidentiam ſtatuamus.

altero, quemadmodum ad ejus explicationem demonſtraturus ſum, hujus commatis membro, ad hoc diverſo, proponitur. Alii hanc Ipſius ὑπερυψωσιν tam late extendunt, ut omnes illos actus glorioſos, qui κενωσιν & ταπεινωσιν Ejus inſecuti ſunt, intelligendos eſſe ſtatuant. At eadem, quæ modo attigi, argumenta evincunt, nullo niti hanc explicationem fundamento. Attendamus igitur ad frequentiorem verbi ὑψοειν ſignificatum, attendamus ad nexum cum præcedentibus & ad ſcopum Apoſtoli: & patebit facile, mea quidem ſententia, de *honore* in Servatorem quoad humanam Ejus naturam collato ſermonem eſſe. Significat enim ὑψοειν generatim *in ſtatum eminentiorem evehere*, & ſpeciatim *in honore conſtituere*, & opponitur τω ταπεινουν, quod plerumque eſt *deïcere ſublimes*, ſive *in honore collocatos* c). Quam ob cauſſam verba noſtra etiam hac ratione commode ac tuto tranſferri poſſunt: *quapropter*, quoniam ſe Ipſe ſubmiſit, neque ſuum, ſed PATRIS honorem quæſivit d), *etiam* DEVS *ad ſummum honoris*

c) Hoc ſignificatu ſæpius in SSa occurrit, e. gr. Matth. XXIII, 12. Luc. I, 52. XIV, 11. XVIII, 14. Cf. cl. KYPKIUS in *Obſervat. Sacris* ad Act. XIII, 17.

d) Perſpicuum & planum eſt, particulam διο ad Servatoris ſubmiſſionem obedientiamque per-

noris fastigium Eum evexit: Quodsi igitur creaturæ quædam rationis usu præditæ ho-

 nore

perfectissimam Patri Iudici ad honorem Ejus præstitam respicere, præmiumque adeo his verbis denotari- quod eam insequi voluit cœlestis Pater. Non possum igitur ex toto adsentire DODDRIDGIO, ita παραφραζοντι: Darum hat ihn auch Gott erhöhet, nicht in der Absicht, ihm dadurch eine verdiente Belohnung auszuzahlen, sondern nur zu zeigen, daß unsere künftige und ewige Erhöhung durch ihn erworben und verursachet worden, und daß, wie er um unsert willen bis zum Tode des Kreuzes erniedriget, Er also auch um unsert willen auferwecket worden. Quanquam enim hæc paraphrasis nonnisi vera contineat, ea tamen hic scopum Apostoli minus feriunt, nec cum nexu conspirant. Nam illud διο non debuit declarare, indicari fructus, qui ex statu exinanitionis in nos, mortales peccatores, redundant, sed præmium in Ipsum Servatorem collatum significari. Hinc perquam egregie cel. MICHAELIS hæc verba cum prioribus hac ratione connectit: Und wie angenehm ist dieser sein Sinn Gott gewesen? Wie herrlich ist die Belohnung, die er dafür erhalten hat? Nec tamen placitis Socinianorum Pontificiorumque, quod WOLFIUS aliique veriti sunt, quidquam præsidii ex hac expositione accedit. Aliud enim est: ἡ ταπεινωσις της ὑπερυψωσεως caussa meritoria exstitit; aliud: hæc exaltatio præmium est, in humanam Ipsius naturam collatum. Neque hæ duæ quæstiones con-

fun-

nore & existimatione singulari fruuntur, si sancti Angeli, dum veluti thronum DEI circumstant, beati in coelo, dum vultum DEI spectant, Reges Principesque in terris, dum imperant, in eminentiore quodam honore constituti sunt; attamen is ne umbra quidem est illius, qui CHRISTO triumphanti tribuitur, atque olim præcipue tribuendus est Sed hac tamen locutione, qua Eum PATER ὑψωσε dicitur ὑπερ παντα, non solum maxime sublimem & eximium, h. e. summum esse honorem, in Ipsum collatum, innuitur, sed etiam *omnes* ad hunc honoris cultum obligatos esse significatur. Qualis autem speciatim honos indicetur, res ipsa loquitur. *Adoratione* enim major non existit, hinc nonnisi Summo Numini præbendus. Inrelligendam hanc esse, *genuflexio* sequenti commate memorata probat, quam vel jam exhibentes vel olim demum exhibituri in tres distribuuntur classis. Adorant Eum Angeli boni, dum mandata Ejus a se exsequenda exspectant, & perfectiones ipsius collaudant. Adorant Eum Beati in regno gloriæ, dum gratiam Ejus & misericordiam sibi

fundendæ sunt: quem in finem se exinanivit Christus? Et quo præmio id Ipsi Deus remuneravit?

sibi præstitam cum ceteris Ipsius virtutibus extollunt. Adorant Eum pii, in regno gratiæ viventes, dum laudem Ipsi debitam, in æterna vita continuandam, canunt, Ejusque præsidium precibus ad Eum fusis implorant. At adorabunt quoque Eum quanquam inviti ipse Satanas, malorum Angelorum cohors, & grex incredulorum hominum, quippe qui supremo mundi die *genua flectent*.

§. 4.

Neque vero tantum ad honoris, sed etiam ad *potestatis* summum fastigium evectus est Servator; quod altero hujus commatis membro significatur: Και εχαρισατο αυτω ονομα το υπερ παν ονομα. Varie hoc ονομα ab oraculorum sacrorum interpretibus exponi constat. Sunt primo, qui eo *honorem* indicari putant e). At quam male, ex ante

e) Ita DODDRIDGIUS: Und hat ihm einen Namen und Ehre gegeben, der über alle Namen ist, eine Ehre, mit welcher keine andere in Vergleichung gestellet werden kann. Wie er sich vorher so tief erniedriget, daß er nicht tiefer sich erniedrigen können; so hat ihn auch sein Vater dergestalt erhöhet, daß er ihn nicht höher erheben kann. Quæ quidem si ad explicationem prioris membri appositum esset DODDRIDGIUS, non esset, quod rejiceremus. Simili modo,

dictis non amplius obscurum esse potest. Sunt alii, qui ad *nomen* aliquod excellentius, quod Servatori, in coelum evecto, datum impositumve sit, respici arbitantur; sed in quo determinando, seu nominatim indicando, non conveniunt f). Ego vero

do, sed obscurius tamen, cel. MICHAELIS: Und hat ihm den Ehren-Namen geschenkt, der über alle Namen ist. Necdum enim intelligitur, quidnam id *nomen honoris* significare debeat.

f) Ex his VITRINGA, cujus sententiam & WOLFIUS cum alia combinatam adoptavit, inprimis nominandus est. Argumento ille utitur, desumto ex verbis, quæ Apoc. XIX, 16. leguntur, ubi scriptum dicitur επι το ιματιον και επι τον μηρον αυτου. Βασιλευς βασιλεων και κυριος κυριων. Corruit vero hoc argumentum, adeoque etiam, quæ illi superstructa est explicatio, quum certum sit, improprie capienda esse hæc verba, nisi CHRISTO etiam proprie vestem tribuere velis, quod absurdum esse nemo facile dubitaverit. Impropria enim hac locutione nihil aliud indicatur, nisi tantam Sospitatorem ad dextram Patris sedentem manifestare potentiam, tantam majestatem & gloriam, ut tam certum sit, quam si veluti in veste Ejus expressum legatur, ipsum esse Regem regum & Dominum dominorum. Addit idem, Apostolum h. l. respicere ad Iesaiam XLV, 21. seq. ubi legitur: *Deus justus* ומשיע, speciatimque ad hoc nomen מושיע ocu-

vero, quodcunque ſpeciatim nomen intelligas, hanc explicationem neque phraſi, neque verbis antecedentibus, neque conſequentibus convenientem ſatis eſſe exiſtimo. Quid enim ονομα το ὑπερ παν ονομα. Non ſolum maius & excellentius dicitur hac phraſi nomen *Chriſto* donatum, quam omne nomen aliis conceſſum, ſed etiam omne hoc aliorum nomen Ipſius nomini *ſubiectum* eſſe Nam hunc ſignificatum voculæ ὑπερ tribuendum eſſe, probat locus parallelus Eph. I, 20. 21: και εκαθισεν —— ὑπερανω —— παντος ονοματος *& collocavit Eum ſupra omne nomen.* Qua vero ratione hoc cum nomine proprie intellecto com-

oculos intendere, quando ajat, *ut in nomine* IESU *omne genu flectatur.* Quod quidem nomen & alii quamplurimi intellexerunt; unde γονυκαμψιαν ad ipſius appellationem ex illorum opinione non omittendam originem traxiſſe omnibus uotum eſt. At loquitur clariſſime Apoſtolus de nomine, quod Servatori optimo tum quidem temporis, quum in cœlum abiret, atque ſupra omnia exaltarctur, conceſſum fuit. Illud vero nomen jam in ſtatu exinanitionis, jubente angelo Domini, inpoſitum Ei fuerat. Eadem eſt ratio omnium ceterorum nominum, ad quæ alii hic reſpici arbitrantur, quæque omnia magnus ceteroquin & immortalis COCCEJUS in *opp*, ſuis ad h. l. cumulat, atque intelligenda eſſe ſtatuit.

binare liceat? Et posito, revera factam esse talem impositionem novi nominis excellentioris, qualem volunt, qui hoc ονομα proprió significatu accipiunt, nonne ea pars esset & quidem minor της ὑπερυψωσεως seu honoris in Servatorem collati? Quid vero, quaeso, Apostolum impulisset, ut hujus, omissa nobiliore & majore parte, speciatim mentionem faceret? Indicat praeterea particula καὶ, nisi a significatu ejus primo absque omni omnino necessitate recedere velis, hanc donationem maximi ac summi nominis non comprehendi sub Ejus ὑπερυψωσει, sed ab ea differre; quasi dicat Apostolus: exaltavit Eum supra omnia, neque hoc solum, sed etiam nomen dedit supra omne nomen. Denique quid sibi vult sequenti commate; *in nomine Iesu genua flectere?* Num hoc innuitur: *ex motivo*, ut ita dicam, (hoc enim hic significat particula εν) novae hujus appellationis, Servatori concessae, Ipsum adorare, & sententiae Ejus judiciali se subjicere? Aliam quidem eandemque multo sublimiorem excellentioremque, magno judicii die se Ei subjiciendi rationem, locum habituram esse, ad explicationem horum verborum non obscure videbimus. Sunt igitur alii, qui *dignitatem* g) voce ονομα intelligendam esse

g) Vid. WOLFIUS ad h. l.

eſſe exiſtimant. Sed qualem dignitatem? Si honorem putant, eam ob cauſſam falluntur, quod evectio ad ſummum honoris culmen verbo ὑπερυψωσις jam indicata eſt. Sunt, qui *majeſtatem*, *auctoritatem*, *gloriam* interpretantur. Hi veri quidem aliquid habent, ſed minus clare & dilucide propoſitum. Qua enim in re *majeſtas* illa conſiſtit! Quodſi honos cum poteſtate conjunctus innuitur, eadem eſt reſponſio, quam modo dedimus, ſcilicet honorem CHRISTO exhibitum his verbis non exprimi. Notionem *auctoritatis*, niſi hæc poteſtatem imperandi ſignificet, locus parallelus ſupra allatus, de quo mox plura, non admittit. Idea *gloriæ*, complexum perfectionum, quæ aliis innoteſcunt, indicantis h), niſi idem ſignificet, quod majeſtas, latior eſt, quam ut in ea acquieſcere liceat. Sunt igitur alii, qui *celebritatem* magnam innui contendunt. At contraria eſt huic explicationi phraſis ονομα το ὑπερ παν ονομα. Dixiſſet enim ſine dubio Apoſtolus ονομα μεγαν ſeu μεγιϛον ſeu διαφορωτατον. Nec probari poteſt, credo, hæc notio. Deſumta eſſe videtur ex idea, quæ cum voce noſtra ver-

h) Cf. ſumme vener. NONNENIUS in egregia Diſp. *de fide in nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, Filii Dei*, §. VI.

vernacula nomen exprimente combinari nonnunquam ſolet. Sunt denique, qui *teſtimonium altitudinis*, & *præcellentiæ* Servatoris explicanti): quæ quidem explicatio adeo arbitraria eſt, ut eam refellere ſupervacaneum ſit.

§. 5.

Non poſſum igitur, omnibus probe expenſis, per *nomen* CHRISTO a PATRE datum, cujus toties in ſacris litteris fit mentio, ſummam non intelligere *poteſtatem*, ſummum ejus *dominium* ſive *imperium*. Hoc ſignificatu, in V. T. libris jam ſatis frequente k), in N. T. tabula vox ονομα ſæpi-

i) Cf. COCCEJUS ad h. l.

k) Vox enim שם frequentius divinam potentiam ſeu poteſtatem, qua pii nituntur, & cui tanquam DEO ſubditi ſe committunt, ſignificat. David Goliatho, *tu ad me venis*, inquit, *cum gladio, haſta & clypeo*, his armis fragilibus & impotentibus confiſus, *ego vero ad te venio in* nomine *Jehovæ exercituum*, i. e. fiduciam meam in potentia DEI, ſeu potentiſſimo Ejus auxilio collocans, 1. Sam. XVII, 45. *Nomen DEI Iacobi*, i. e. Ejus omnipotentia *te proteget*, Pſ. XX, 2. Item v. 8: *Illi curribus & equis confidunt, nos vero nominis Jehovæ, Dei noſtri, recordamur.* Prov. XVIII. *nomen Dei arx munita* dicitur, *ad quam juſtus confugit & tegitur*; cuſtodiuntur autem tegunturque *potentia* divina pii, 1. Pet. I, 4.

ſæpius occurrit, atque in eadem quidem materia. Locum primarium, qui rem conficit, neque dubium facile relinquit, jam aliquoties adduximus. Dicitur *collocatus eſſe a Patre Chriſtus ad dextram Ipſius in cœlis ſupra omnem principatum & poteſtatem & vim & dominationem, quin omne omnino nomen, quod non in hoc tantum, ſed & in futuro nominatur ævo*, Eph. I, 20. 21. Prioribus hujus dicti verbis ſpecies Principum Dominorumque, ſive in cœlis ſint ſive in terra, enumerantur, quorum omnium imperia Servatoris imperio ſubjecta eſſe dicuntur. Tunc vero generatim pronunciat Apoſtolus, plane nullam eſſe poteſtatem, cujuscunque ſit nominis, ſive in hoc exiſtat ævo ſive in futuro, quæ ſupremo Ejus imperio ſubjecta non ſit: *quin* (hunc enim ſignificatum particulæ καὶ ſatis frequentem hic applicandum eſſe putamus) *ſupra omne omnino nomen.* Nonne clarum eſt, ονομα ſignificare *poteſtatem* quamcunque, & vocem generaliorem eſſe, ſub qua αρχη, εξουσια, δυναμις. κυριοτης tanquam dominiorum imperiorumque ſpecies continentur? Apparet hinc, quam ob cauſſam in loco noſtro, quem explicamus, generaliore hac voce uſus ſit Apoſtolus. Hoc enim ονομα patet latius, ſeu latioris ſignificatus eſt, quam omnes ceteræ voces, poteſta-

teſtatem denotantes, atque haud obſcure indicat, nullum omnino eſſe imperium, nullum dominium, quocunque nomine inſigniatur, quod Ejus poteſtati imperioque parere non debeat. Quæ præterea ex aliis dictis ad hanc notionem τοῦ ὀνόματος Servatoris & confirmandam & illuſtrandam huc afferri poterant, ne ipſam loci noſtri explicationem prolixiore παρεκβάσει interrumpam, infra in nota 1) declarare ſtu-

1) Evolvenda igitur ſunt alia loca, ubi eadem notio obtinet, & in quibus non obtinet, ceteras tamen notiones haud difficulter inde derivare licet. Non obſcurus eſt locus Act. III, 6: *in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Quid enim innuit Apoſtolus, niſi per omnipotentiam Servatoris, ſi claudus fidem ſuam in ea collocet, uti etiam collocavit, ſanitatem ſive incolumitatem ipſi donari. Probat hoc v. 12 & 16: *Quid adſpicitis nos, ac ſi propria potentia & pietate effecerimus, ut hic ambulet: in fide nominis Chriſti hunc, quem videtis & noſtis, ejus firmavit nomen* Removet igitur Apoſtolus opinionem adſtantium, ſua ipſorum δυνάμει patratum eſſe hoc miraculum, atque id ſoli Servatoris ὀνόματι, i. e. δυνάμει *potentiæ* vindicat. Similis eſt locus Act. IV, 10: *Notum ſit vobis omnibus omnique populo Iſraelis, in nomine*, h. e. per potentiam *Ieſu Chriſti Nazareni —— hunc ſtare coram vobis ſanatum.* Nequeo idcirco adſentire cel. KYPKIO, qui v. 12. ὄνομα pro Chriſto ipſo poſitum eſſe arbitratur; quanquam

ſtudui. Eſt igitur, ut nodum contraham, *nomen ſupra omne nomen* non ſolum maxi-

ma

quam locum hunc ceteroquin egregie explicet: *Non in alio nomine*, inquit Apoſtolus, *ſita eſt ſalus*, hoc eſt, recte ſic exponente Viro laudato, Chriſtus unicus eſt Soſpitator hominum; ab illo ſolo ut auctore hominibus obtingit liberatio ab omnibus vitæ præſentis calamitatibus, corporisve vitiis & infirmitatibus; inprimis vero in ſolo Ieſu ſita eſt ſalus animarum, quarum morbi tam inhæſive quam imputative ſanandi ſunt. Jam Apoſtolus hujus veritatis rationem affert: *Neque enim aliud nomen datum eſt ſubter cœlo inter homines, per quod liberari nos oportet*, h. e. neque enim cuiquam niſi ſoli Chriſto quoad humanam naturam ſpectato potentia & poteſtas data eſt, ad hanc liberationem ſervationemve efficiendam neceſſaria. Hac ratione nihil verbis ſuperflui ineſt; ineſſet vero, aut potius tautologia admittenda eſſet, ſi ſententiæ eruditiſſ. KYPKII calculum adjicere velis. Marc. XVI, 17: *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, cet. Etiam hic intelligendam eſſe potentiam Servatoris, quæ ſe, appellantibus modo Apoſtolis Ipſius nomen, in patrandis miraculis manifeſtavit, ex v. 20. haud obſcure elucet: *Illi vero egreſſi ubique locorum prædicarunt, Domino cooperante & verbum confirmante per inſecuta* miracula, exſtantiſſima potentiæ Ipſi conceſſæ veritatisque Evangelicæ *ſigna*. Cf. & Matth. VII, 22, Luc. X, 17. 19.

ma & abſoluta, ſed etiam ſuprema poteſtas, i. e. cui omnes omnium poteſtates parent

19. Marc. IX, 38. 39. Luc. IX, 49. Act. XVI. 18. Quum vero hæc poteſtas & potentia ideo Servatori conceſſa ſit, ut dominetur & imperet, credentibusque ſalutem partam applicet; vox ονομα ſæpius ipſum Ejus *dominium*, quod eodem redit, ſignificat. *Apoſtolatum per Ieſum Chriſtum* ſe *accepiſſe*, dicit Paulus, *ad obedientiam fidei in omnibus terrarum gentibus* excitandum, ὑπὲρ του ονοματος αυτου, ad propagandos imperii ſui fines, Rom. I, 5. Et quid *fides* eſt & *credere in nomen Ieſu Chriſti*? Eſt fides in Ejus dominium, ſive aſſenſus intellectus cum conſenſu voluntatis conjunctus, Ieſum eſſe Regem regum & Dominum dominorum omnipotentem, potentemque adeo eſſe, omnibus obſtaculis e medio ſublatis, partam ſanguine ſalutem applicare. Eſt igitur receptio Chriſti ut regis animo ſubmiſſo atque obſequioſo. Differt enim hic fidei actus ab illo, qui *fides in ſanguine Ipſius* dicitur. Hæc eſt receptio Ejus ut Sacerdotis animo veniam peccatorum æternamque vitam anhelante, ſeu conſiſtit in aſſenſu intellectus cum conſenſu voluntatis conjuncto, Ieſum ſanguinis effuſione ſive obedientia ſua loco peccatoris præſtita ſalutem peperiſſe. Uti igitur hæc fides comparationem acquiſitionemve, ita illa præprimis applicationem ſalutis ſpectat. Demonſtrant hoc loca, ubi de poſteriore hac fide ſermo eſt. Ioh. I, 11. 12: *Venit in ea, quæ Ipſius ſunt propria, &*

SUI,

rent subditæve sunt. Hanc veram & genuinam esse explicationem, ipsa Servatoris pro-

SUI, h. e. ii, quorum Rex est & Dominus, *non receperunt Eum* ut Dominum: *quotquot autem receperunt, eis dedit potestatem, ut filii Dei fierent, quippe qui in nomen Ejus crediderunt*, i. e. qui agnito Ejus dominio sua sponte se Ipsi subjecerunt, legique Ejus obtemperarunt. Quæ Ioh. II, 23 exstant verba, paullo aliter, & juxta priorem ὀνόματος notionem exponenda sunt, quoniam h. l. non de salvifica fide sermo est: *Multi crediderunt in nomen Ejus, videntes signa, quæ patrabat.* Indicatur enim *potentia*, de qua adspectu miraculorum convincebantur multi. Consspirat igitur hic locus cum Act. III, 16, quem jam attulimus. Ioh. III, 18: *Qui in Eum credit, non judicatur; qui vero non credit, jamjam judicatus est; neque enim credidit in nomen unigeniti Dei filii*, i. e. in Ejus dominium. 1. Ioh. III, 23: *Et hoc est Ejus mandatum, ut credamus nomini Filii Sui, & amemus nos invicem*, h. e. ut nos subjiciamus dominio Christi, & hoc Ejus dominio, hacque nostra subjectione ducti Ejus legem servemus, quæ mutuam charitatem commendat atque præcipit. Adde cap. V, 13. Forsitan eadem *dominii* notio in formula baptismi præcipua est, quin etiam fortasse unica. Baptizamur in *nomen* DEI triunius, in Ejus dominium, dum DEUS tanquam Dominus noster potentissimum suum auxilium & quævis bona, quæ in

bant verba. quæ ſublimis in cœlum abiens pronunciavit, quippe quæ cum noſtris omni-

in regno gratiæ & gloriæ gratis diſtribuuntur, hac lege nobis promittit, ſi nos Ejus dominio nosmet ſubjiciamus, debitamque Ipſi tanquam ſupremo noſtro Domino præſtemus obedientiam. Videtur inde, ni fallor, faciliori modo quæſtio diſſolvi poſſe, cur Apoſtoli tantummodo in nomine Servatoris noſtri baptizaverint. Act. II, 38; VIII, 16; XIX, 5. Hujus enim immediate dominio & imperio ſubjecti ſumus, 1. Cor. XI, 3. Hujus *nomine* æternam vitam nanciscimur. Ioh. XX, 31. Huic igitur immediate fides juranda, Ejusque legi obtemperandum eſt. Qui vero Hujus dominium agnoſcit, & ſecundum voluntatem Ejus vitam ſuam inſtituit, is generatim DEUM tanquam Dominum ſuum ſupremum veneratur, Eique ſe ſubjicit, quippe qui Illum Κεφαλην nobis dedit & Κυριον. Quæcunque igitur agimus, εν ονοματι, h. e. *ex motivo*, ut ita dicam, dominii Servatoris noſtri agenda ſunt, Col. III, 17. In Ejus *nomine* poculum aquæ ſuis præbendum, Marc. IX, 41; preces fundendæ, Ioh. XIV, 13. 14; XV, 16; XVI, 23. 24; liberi ſuſcipiendi, Matth. XVIII, 5; omnia relinquenda, Matth. XIX, 29; gratiæ agendæ Patri, Eph. V, 20; hominum ατακτως ambulantium conſortium fugiendum, 2. Theſſ. III, 6; ſanctis ſerviendum, Hebr. VI, 10; ægrotique oleo ungendi erant, Iac. V, 14. Hinc & Ejus *nomen invocare*, Act. XXII, 16,

Rom.

omnino congruunt: *data mihi eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.* Reſpondet enim hic εδοθη τω εχαρισατο, & εξουσια τω ονοματι m).

Rom. X, 13. 14; in eo *ſperare*, Matth. XII, 21; illud *nominare*, 2. Tim. II, 19, & *confiteri*, Hebr. XIII, 15: eſt in agnitione viva ſupremi ipſius dominii Ejus potentiſſimum auxilium implorare, in Eo fiduciam ſuam ponere, illud profiteri & celebrare. Notiones *mandati* & *cultus*, quæ his illisve locis voci ονομα tribuendæ ſunt, ex eis, quæ diſputavimus, ſponte ſua fluunt. Domini enim eſt, mandare & leges ferre; ſubditorum vero, Dominum colere, eique dicto audientes eſſe. Sed jam ſatis de nominis Servatori conceſſi ſignificatu. Diſceſſi quidem in notionibus hiſce eruendis & locis explicandis majorem partem a cel. NONNENII ſententia, quam in Diſputat. maxime egregia lectuque digniſſima jam cit. *de fide in nomen Domini noſtri, Ieſu Chriſti, Filii Dei*, fuſius explicuit: ſed multa tamen Eidem me debere, atque id maxime, quod doctiſſimis ſuis meditationibus meditandi dederit anſam, gratiſſime hic mihi fatendum eſt.

m) Expoſito verborum ſenſu, ipſius dominii uberiore pertractatione hoc lubentius ſuperſedeo, quod eam alii non ſine optimo ſucceſſu ſuſceperunt. Pertinet huc imprimis doctiſſima & ſucci plena, quam jam adduxi, cel. NONNENII Diſp. *de ſummo Dominio* Θεανθρωπου *exaltati, in univerſum.*

§. 6.

Progredimur nunc ad finem, qui evectione Servatoris noſtri ad ſummum honoris imperiique faſtigium obtinendus eſt, his verbis propoſitum: *Ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cæleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum, atque omnis lingua confiteatur, Ieſum eſſe Dominum, ad gloriam Dei Patris.* Id primo ſtatim intuitu apparet, verba hæc ex vaticinio Ieſ. XLV, 23 deſumta eſſe, atque ita quidem, ut explicationem addat Apoſtolus, quæ in his conſiſtit, primo ut nominentur, quorum genua ſe flectent, ſcilicet *cæleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum*; tum ut confeſſio illa afferatur, quam omnis lingua editura eſt, ſcilicet *Ieſum eſſe Dominum*; denique ut indicetur, fore hanc confeſſionem dominii Ieſu *ad gloriam Dei Patris.* Itaque nullum plane eſt dubium, ex illo Ieſajæ loco hæc noſtra verba deſumta eſſe. Efficit hæc obſervatio, quæ unicuique ſuccurrat neceſſe eſt, qui modo locum illum in memoriam ſibi revocat, ut ipſum tempus, quo hic finis evectionis CHRISTI implemento dabitur, determinare valeamus. Explicat enim Apoſtolus locum Ieſajæ de die ultimi judicii, Rom. XIV, 11 n). Quanquam

n) Quæritur vero, quo jure & fundamento locum

quam igitur verum eſt, jam hodiedum multorum genua ſe flectere, multorumque linguas, Ieſum eſſe Dominum, confiteri; nondum tamen ſunt omnium genua, nec omnium linguæ. Itaque hæc verba Pauli eo modo interpretari nos oportet, quo magno demum iudicii die implenda ſunt o).

cum Ieſajæ de die pantocritico exponat Apoſtolus. Prout enim, recte hoc monente cel. MICHAELIS in *paraphr.* citata, in verſione vernacula verba ſe habent, atque ab interpretibus plerumque intelliguntur, ad diem ultimi judicii minime transferri poſſunt. Corrigit igitur Vir linguarum orientalium peritiſſimus verſionem noſtram, aut potius aliam ſubſtituit, eamque obſervationibus nonnullis confirmare ſtudet. At quanquam non pauca protulit lectu minime indigna, & de ultimo judicio ſermonem eſſe ex ipſis Vatis divini verbis probavit: id tamen ego quidem lectione ejus, collato doctiſſimo commentatore VITRINGA, non impetravi, ut omnis mihi ſublatus ſit ſcrupulus. Ne vero hac qualicunque diſſertatione brevitatis limites tranſgrediar, v. D. ſpeciali diſſertatiuncula cogitata mea de hoc loco explicabo, eumque cum Rom. XIV, 11. & Phil. II, 10. 11. conferam.

o) Non poſſum igitur adſentire cel. NONNENIO, qui in egregia ceteroquin jam cit. Diſput. *de Jummo Dominio* Θεανθρώπου *exaltati in*

§. 7.

Adducit Apoſtolus unum tantummodo finem, propter quem Servator ad ſummum honoris poteſtatisque culmen evectus eſt, quippe qui ſcopo, quem ſibi propoſuit, obtinendo ſufficiebat. Quemadmodum vero hic ultimus eſt ratione Θεανθρωπου; ita etiam ultimus adjicitur ratione PATRIS. Prior, qui ad CHRISTI ſpectat gloriam, exaltatione Ipſius a PATRE intentam, duo complectitur membra, quorum priùs: *ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat cæleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum*, ad finem της ὑπερυψωσεως; alterum vero: *ut omnis lingua confiteatur, Ieſum eſſe Dominum*, ad finem donationis ſummi nominis aperte reſpicit. Intelligimus autem cum aliis per hos

in univerſum hæc ſcripſit §. VII, p. 11: *In dicto* Phil. II, 10 *finis* ὑπερυψωσεως *ponitur, ut omne genu flectatur & omnis lingua confiteatur, non ſtatim poſt exaltationem, ſed pedetentim, uti cum victoria Ieſu Chriſti increſcit Dominium Ejus, & quod hic præcipuum eſt, dominii illius agnitio.* Loquitur enim Apoſtolus de ſollemni eademque ſimultanea omnium genuum curvatione, & de univerſali confeſſione dominii Servatoris ab agnitione differente, quæ non pedetentim, ſed ſimul, adeoque ultimo demum judicio locum habitura eſt.

hos genua flexuros & confeſſuros, qui in tres diſtribuuntur claſſes, omnes creaturas moraliter cum bonas tum malas. Quid enim hæc diſtributio ſibi vellet, eccur ea opus fuiſſet, ſi ſolos homines indicare voluiſſet Apoſtolus? Neque etiam ſoli homines coram tribunali Servatoris noſtri comparebunt. Nonne enim Ipſe deſcendet de cœlo cum Angelis Suæ potentiæ? 2 Theſſ. I, 7. Nonne, ſicut omnes omnino homines coram Eo ſiſtentur, ſive malum egerint ſive bonum, 2. Cor. V, 10, etiam malos Angelos, ad judicium magni diei detentos, Iud 6. ſiſtere ſe oportebit? En igitur tres claſſes adorantium & confitentium! Sunt οι επουρανιοι *cœli incolæ*, Angeli & beati jam reſuſcitati; οι επιγειοι *homines*, qui partim jam vivunt, partim vivent, partim mortui ſunt; οι καταχθονιοι *dæmones* p), qui repræſentantur tanquam

p) Obſtare videtur huic explicationi locus Apoc. V, 13, ubi per κτισμα υποκατω της γης *mortuos* intelligendos eſſe arbitrantur Interpretes. Itaque pari ratione καταχθονιους non dæmones ſed defunctos ſignificare contendunt. Ego vero non video, quid impediat, quo minus per *creaturas ſub terra* ſpiritus illos infelices intelligamus, qui hoc quidem ævo dominium Regis regum non agnoverunt, die vero pantocritico cum ceteris

ſub terra commorantes, quoniam inviſibilibus *tenebrarum* catenis vincti ſunt q). Neque

teris creaturis ratione præditis exclamaturi & confeſſuri ſunt, ſedentis in throno eſſe benedictionem, honorem, gloriam & potentiam in omnia ſæcula. Soline enim homines hoc prædicaturi ſunt? Accedit, vocem επιγειοι non tantum notare homines *ſuper* terra conſtitutos adeoque viventes, ſed etiam *in* terra dormientes, hinc mortuos. Quæ quidem notio του επι clara eſt ex verbis Iohannis, quæ inſequuntur: και επι της θαλασσης, quippe quæ non modo *ſuper* facie, ſed etiam *in* inferiore maris parte poſitas creaturas ſignificant. Qua denique de cauſſa homines in viventes & mortuos diſtribuat Apoſtolus, cum Angelos non diſtribuat? Nihil probat locus Rom. XIV, 9, ubi CHRISTUS reſuſcitatus dicitur, *ut & viventium & mortuorum Dominus eſſet.* Hic enim hac diſtributione opus fuit: atque idem plane eſt, ſi hunc mihi locum opponis, ac ſi ex eo, quem explicamus, demonſtrare velles, viventes hic non ſolum homines eſſe ſed & Angelos.

q) Cel. NONNENIUS intelligit per καταχθονιους & infelices animas, & genios catenis tenebrarum ſub terra vinctos, Diſſ. ſæpius cit. p. 11. Ego vero priores ad επιγειους referendas eſſe exiſtimem. Talis enim eſt hæc diſtributio, qualis ultimo hujus ævi die obtinebit. Iſto autem die in *terreſtrium* numero erunt increduli. Beati vero reſuſcitati, quoniam jam nunc eo loco vivunt,

quo

que enim aptius hoc eſt emblema, ad infelicem malorum Angelorum conditionem adumbrandam. Cœlum eſt locus lucis amœniſſimæ, ubi DEUS, qui habitat in luce inacceſſa, radios Suæ gloriæ & felicitatis in cœlites ſpargit, ubi lux faciei Suæ ſplendidiſſime lucet. Etiam in terram exeunt radii hujus luminis, licet non eo ſplendoris gradu. Sed quemadmodum radii Solis in interiores terræ partes non penetrant; ita etiam dæmones lucis faciei Divinæ participes non exiſtunt; atque hanc ob cauſſam *ſubterranei* commode & concinne appellari poſſunt.

§. 8.

Omnes igitur creaturæ ratione præditæ ultimi judicii die coram CHRISTO *genua flectent*. Deſignare hanc locutionem externam venerationem & adorationem, inprimis ſententiam accipientium & Judicis judicio ſe ſubjicientium, non obſcurum eſt. Quoniam vero creaturæ ad judicium vocandæ diverſi ſunt generis, ratione ſtatus moralis habita; illa adorationis ſubjectionisque teſtatio non ex eodem fonte,

quo CHRISTUS quoad humanam naturam, non amplius terreſtribus ſed *cæleſtibus* annumerandi ſunt.

non ex eadem animi commotione, ſed partim ex terrore & angore, partim ex incredibili lætitia proficiſcetur. Quantus enim angor tremorque impios invadat neceſſe eſt, qui ſceptrum Summi Regis in hac vita agnoſcere noluerunt, quando Eum in throno gloriæ ſedentem, ſententiam condemnationis in ipſos ferentem, jubentemque, ut ad καταχθονιους abeant, conſpicient? Tum ſane Iudæi, quem confoderunt, videbunt, cum pavore & hic exclamaturi: cadite in nos, montes, & tegite nos, colles, præ facie Ejus, qui in throno ſedet, & ira Agni. Spiritus impuri, qui jamjam tremunt agnoſcentes Deum, tunc magis contremiſcent, quando ipſi documenta ſummæ poteſtatis ſummique dominii Servatoris noſtri habebunt. At quanta contra lætitia eos omnes exhilarabit, qui ex terræ incolis in cœleſtium adſciſcentur ſocietatem? Hi Eum cum ineffabili voluptate adorabunt, externaque adorationis teſtatio cum interna conjuncta erit. Quid vero eſt, quod illinc angorem, hinc lætitiam, & profluentem inde genuflexionem excitabit? Eſt omnipotens Servatoris dominium, quod tum quidem excellentiſſima ratione, & glorioſis judicii circumſtantiis, & ſententia omni majeſtate plena, & executione judicii illico inſecutura manifeſtabitur.

bitur. Quod genuflexionis, h. e. adorationis subjectionisque motivum Apostolus indicat verbis: εν τω ονοματι ιησου, q. d. *ut* ad conspectum potestatis imperiique Iesu & ex ejus motivo *omne genu se flectat* r).

§. 9.

Quod de incurvatione genuum breviter dixi, idem de confessione dominii Servatoris, quæ cum illa conjuncta erit, dicendum est. Erit hæc universalis & simultanea; atque ex diversa illa animi commotione profectura, & coacta quodammodo, & spontanea futura est. Exstat ejusmodi confessio Apoc. V, & quidem primo v. 12 Angelorum presbyterorumque, atque adeo των επουρανιων: *dignus est Agnus mactatus, qui accipiat potestatem & divitias & sapientiam, & robur, & honorem, & gloriam*

r) Etiam hinc videre est, voci ονομα non facile alium, nisi quem adduxi, tribui posse significatum. Quid enim dæmones, quid impios homines, ut cum externa adorationis testatione sententiæ Servatoris nostri se subjiciant, impellet maxime? Illa, ni fallor, supremæ potestatis, quæ Ipsi ut Mediatori concessa est, splendida & gloriosa manifestatio: quæ quidem fortior genuflexionis est ratio, quam nudum nomen.

riam & benedictionem. Sequitur v. 13 confessio omnium creaturarum simultanea, adeoque terrestrium & subterraneorum, cœlestibus partim præ gaudio, partim terrore confessores se adjungentium: *& omnem creaturam, quæ est in cœlo & in terra & subter terra, & super mari quæ est, & quæ in eis sunt omnes, dicentes audivi: sedenti super throno & Agno benedictio est & honor, & gloria, & robur in omnia æva.* Atque hac ratione compensabitur insignis illa contumelia, qua ab illis affectus fuit, qui dato in manum baculo genua Ei posuerunt, Regemque Ipsum jocabundi salutarunt. Quod denique addit Apostolus: *ad gloriam Dei Patris*, hoc finem ultimum, particula εις indicatum, non tam ipsius dominii s), quam genuflexionis & confessionis signi-

s) Cel. MICHAELIS cum aliis de ipso dominio hunc finem explicat: Eine Herrschaft, inquit, die nicht zur Kränkung der Herrschaft des Vaters, sondern vielmehr zu seiner Ehre und Verherrlichung gereichet. Quodsi vero hæc verba εις δοξαν θεου πατρος non ita cum prioribus, connecti possunt: & omnis lingua confiteatur, Iesum ad gloriam Dei Patris esse Dominum; quam explicationem ipse Vir Eruditissimus appositio parentheseos signo improbare videtur: hac potius ratione combinanda sunt: & omnis lingua,

ſignificat. Felices illos, qui hac ſua futura γονυκαμψια & confeſſione nihil novi ſibique inſoliti acturi ſunt, ſed jam in hac vita fide ducti Caput ſuum adorarunt, debitaque obedientia, debitis laudibus dominium Ejus profeſſi ſunt!

gua. Ieſum eſſe Dominum, confiteatur, ad gloriam Dei Patris. Hoc modo genuflexionis potiùs confeſſionisque illius adjicitur finis ultimus, ratione Patris.

V.
LITTERARIA.

ALTORFI NORICORUM.

Prodiit V. C. JO. AUG. DITELMAIERI, *Historia Dogmatis de Descensu Christi ad inferos litteraria* 1762. 8.

V. C. *Joh. Bartholomæus* RIEDERER, *Th. D. & Prof.* edidit *Programma de Usu ingenii in interpretanda S. S.* quo ad orat. auspicalem *de abusu ingenii in interpretanda S. S.* invitavit a. 1753. &

- Dissert. Inaug. Theolog. *in genuinum sensum oraculi Jer. XXXI*, 3. a. 1753. &

- Dissert. Theol. *de felicibus Pauli prædicantis inter gentes Evangelium successibus ad Rom. XV*, 18. 19. 1759.

- Beytrag zu den Reformations-Urkunden, betreffend die Händel, welche Dr. Eck bey Publication der päbstlichen Bulle wider den sel. Dr. Luther im Jahre 1520 erreget hat, aus grösstentheis ungedruckten Nachrichten herausgegeben und erläutert 1762. 4.

AMSTELODAMI.

Prodierunt *Observationes Miscell. in librum Job, quibus Versionum & Interpretum passim crisis instituitur & obscurioribus hujus libri locis lux nonnulla adsunditur* 1758. 8.

La Verité de la religion Chretienne, prouvée par l'Etat present du peuple Juif, *en trois Sermons; aux quels on en a joint deux autres, l'un* sur l'epoque de l'avenement du Messie, *l'autre* sur le lieu de sa naissance *par* J. G. DE CHAUFEPIE, *Pasteur de l'Eglise Walonne d'Amsterdam* 1756. 8.

Le

Le Pyrrhonisme de l'Egliſe Romaine, ou Lettres du P. H. B. D. R. A. P. à Mr. - - avec les reponſes 1757. 8.

Hiſtoria Critica Catoniana per ſingulorum ſeriem conſuetam Dionyſii Catonis Diſtichorum ex ordine deducta; cui præmittitur Maximi Planudis Metaphraſis Græca cum caſtigationibus Jos. Scaligeri in eandem perpetuis, itemque Eraſmi concinna expoſitio. Adnexæ ſunt VV. CC. *Barthii, Opitii, Daumii, Wackii, Boxhornii, Cannengieteri, Wiethofii, & Arntzeniorum fratrum Animadverſiones ſelectæ; addita quoque ad calcem Diſtichorum cuique nova Paraphraſis* 1759. 8.

Arithmetica Univerſalis, ſive de Reſolutione & Compoſitione Arithmetica, Auctore JS. NEWTON, *cum Commentario V. C.* JOH. CASTILLIONEI, *in alma Trajectina Philos. Matheſ. & Aſtronomiæ Prof. 2 Vol.* 1761. 4.

Hiſtoire des Troubles de Cevennes, ou de la guerre des Camiſards ſous le regne de Louis XIV; tirés de Manuſcrits ſecrets & authentiques, & des obſervations faites ſur les lieux memes, avec une Carte des Cevennes, par l'Auteur du Patriote Francois & Impartial 3 Vol. 1761. 12.

Vir quoque S. Rev. & Doctiſſimus L. CHAIS, V. D. M. Hagienſis, perrexit egregie in edendis Bibliis. Prodiit *la Sainte Bible, ou le Vieux & Nouveau Teſtament avec un Commentaire Litteral compoſe de Notes Choiſies & tirees de divers Auteurs Anglois. Tom. V. ſeconde partie, contenant le ſecond Livre de* SAMUEL *par Mr.* L. CHAIS 1761. 4.

Lucem quoque conſpexit liber in praxi Chriſtiana utiliſſimus, pietatem ſpirans, & ardens vitam Spiritualem in proximo excitandi & promovendi ſtudium, Viri Doctiſſimi & pl. Rev. J. H. SCHACHT, cujus Obſervata ad Matthæum ſecundum hujus Biblioth. Faſciculum exornant, hoc titulo: *De nood-*

noodzakelykheid van eene ſpoedige Bekeeringe ter waarſchouwinge tegen het Uitſtel van dezelve 1762. 8. Stylum & Methodum *Doddridgii* ſatis feliciter ſecutus fuiſſe videtur pl. Rev. Auctor. Meretur verſionem Germanicam.

Memoires de la Reine Chriſtine par Mr. ARCKENHOLZ Tom. IV. 1760. 4.

ARGENTORATI.

Obiit V. C. JOH. LEON. FROEREISENIUS *Th. D. & Prof.* d. 13. Jan. 1761.

M. ISAACUS JUNDT edidit Comment. *de Suſceptorum baptismalium origine* 1755.

AURICI.

Edidit pl. Rev. DID. LUD. GÖDEKEN, V. D. M. Grundriß zur näheren Erklärung der Epiſtel Jakobi in einer erläuterten freyen Ueberſezzung 1762. 8. Multa in hoc libello ſunt bonæ frugis.

BERNÆ.

Prodiit v. c. JOH. CONR. FUESLII, *Tigurini, Capituli Vitodur. Camerarii*, diſſ. *de Fanaticis ſeculi XI. in Italia ad Cardin. Domin. Paſſionenm* 1761. 8. ut &

V. C. J. RUD. SINNER, *Bibliothecarii, Catalogus Codicum MSS. Bibliothecæ Bernenſis annotationibus Criticis illuſtratus* 1760. 8.

Collegit V. C. DANIEL FELLENBERG Opuſcula & Diſſertat. quibus leges antiquæ præſ. Moſaicæ Græcæ & Romanæ illuſtrantur, & horum, ſub Titulo *Jurisprudentia Antiqua*, Tomum *primum* edidit 1760. 4.

Recueil d' Antiquités trouvées à Avanche, à Culm &

au-

autres lieux en Suisse, par Mr. SCHMIDT. 1760. 8.

BEROLINI.

Prodierunt J. CONYBEARE, der H. S. D. und Rektors zu Oxford, Vertheidigung der geoffenbarten Religion gegen den Schriftsteller, das Christenthum so alt als die Welt, aus dem Englischen, 1759. 8.

JO. TAYLORS, Predigers zu Norwich, Paraphrasis und Anmerkungen über den Brief an die Römer, samt einem Schlüssel zu den Apostolischen Schriften, aus dem Englischen. 1759. 8. Multa in hoc libro sunt optimæ notæ, sed varia Socinianismum sapiunt.

V. S. V. JO. PETRI SÜSZMILCH, Königl. Preuß. Oberconsistorial-Rath, &c. Die göttliche Ordnung in den Veränderungen des menschlichen Geschlechts aus der Geburt, dem Tode und der Fortpflantzung desselben erwiesen. Zweyte und ganz umgearbeitete Ausgabe, 2 Theile 1762. 8. Liber præ plerisque aliis utilissimus, Providentiæ Divinæ sapientiam mirifice illustrans.

BIPONTI.

V. C. GEORG. CHRIST. CROLLIUS edidit programma *de Quantitate moralitatis actionum moralium*, 1753.

BREMÆ.

Excidit in ipso ætatis flore 1761. d. VI. Oct. ex numero Illustris Lycei Professorum, quorum seriem dedimus Fasc. I, Vir Clarissimus & Eruditissimus CONR. IKENIUS, *Conr. Filius*, longiore omnino vita dignus, LL. OO. Prof. cui Ampl. Proceres vix Professionem Logices & Metaphysices, morte V. C. *Lud. Henr. Rungii* vacuam,

cuam, demandaverant, obituque suo spem eruditorum frustravit. Occupatus enim erat in transferendo & illustrando libro *Karaitico*, cui S. V. Parens jam manum admoverat, & *Ahmedis Arabsiadæ historiam Timuri Arabicam.* Jacturam Doctissimi hujus Collegæ Ampl. Proceres resarcire quantocyus curarunt. Demandarunt d. 29. Dec. 1761.

Viro Nob. JOHANNI, V. C. NICOLAI NONNENII, Theologi nostri Senioris, filio, Provinciam *Logicam & Metaphysicen* docendi, &

Viro Doctissimo JOH. PET. BERG, Provinciam *LL. OO.* postquam hic, mactatus a Viro Celeb. J. J. SCHULTENSIO perquam honorifico testimonio, quo suam in LL. OO. insignem peritiam ostendit, *Specimen Animadv. Philol. ad selecta V. T. loca* L. B. 1761, exhibuisset.

Lugduno Batavorum, ubi studiis adhuc operam dant, indies novos hos Professores exspectamus, utque Lyceo nostro & reip. Litter. sint ornamento serio vovemus.

Prodierunt hic WILLIAM COOKE, M. A. Untersuchung der Religion und Tempel der Patriarchen und Druiden, worinnen die Grundsätze derselben entdecket, und ihre genaue Uebereinstimmung untereinander, und beider mit den Lehren der christlichen Religion und derselben frühen Einsetzung gezeiget, u. s. w. aus dem Englischen übersezzet von Joh. Phil. Cassel, Prof. mit Kupfer 1756. 8.

Zeugnisse der Religion, welche abgestattet hat N. Nonnen, ältester Diener J. C. in der Kirche und hohen Schule zu Bremen 1759. 8.

Nath. Lardner, der Gottesgel. D. von den Besessenen, deren im N. T. gedacht wird, in vier Reden über Mark. V, 19. aus dem Englischen übersezt von J. P. C. P. Nebst eines Ungenannten Prüfung der Gedan-

Gedanken, welche H. Lardner über die Besessene geäussert hat. 1760. 8.

D. Joh. Chapmanns Eusebius, welcher die gute Sache des Christenthums behauptet. Zweyter und letzter Theil, und John Hallets Abhandlung von der Unsittlichkeit des sittlichen Weltweisen übergesetzt von J. Fr. Steffens, V. D. M. 1761. 8.

BRUNSVICI.

V. C. Wilhelm Robertsons, Th. D. Geschichte von Schottlandt unter der Regierung der Königinn Maria und des Königs Jakobs VI. bis auf dessen Erhebung auf den Englischen Thron, nebst einem Abrisse der Schottischen Historie vor diesem Zeitraum, und einem Anhange von Urkunden, aus dem Englischen übersetzt, mit einer Vorrede von M. Th. S. Mittelstadt, Fürstl. Braunschw. Hofprediger, 2 Theile 1762. 8.

D Thomas Sherlocks Heilige Reden über wichtige Glaubens-Lehren und Lebenspflichten, aus dem Englischen, IV. Theil. 1762. 8.

V. Pl. R. Joh. Fried. Weirenkampf, Lehrgebäude vom Untergang der Erden. 1762. 8.

BALTHASARIS LUDEWALD, V. D. M. Commentatio *de Criteriis fabularum & resecandis ab historia fabulis, in qua & ipsa fabularum criteria & subsidia, quibus ab iis liberanda sit historia præceptis & exemplis exponuntur.* 1761. 8.

CANTABRIGIÆ.

Δημοσθενους Αισχινου Δειναρχου και Δημαδου τα σωζομενα *Græce & Latine* edidit JO. TAYLOR, *LL D. Ecclesiæ de Lawford in agro Exsexiensi Rector*, &c. 1757. 4.

CASSELLIS.

M. Johann Jak. Plitts, Abhandlung von den göttlichen

lichen Absichten bey der 40jährigen Reise der Israeliten durch die Wüste nach Kanaan. 1755. 4.

COBURGI.

V. C. JOH. FRID. GRUNERI Opuscula *ad illustrandam historiam Germaniæ pertinentia* Vol. II. 1760. 1761. 8.

COLMARIÆ.

V. C. JOH. DAN. SCHOEPFLINI *Alsatia illustrata, Celtica, Romana, Francica, Germanica & Gallica,* Vol. II. cum figuris. 1751-1761. fol.

DAVENTRIÆ.

Edidit V. C. A. F. RUCKERSFELDER *Sylloges Commentat. & Observat. Philolog. Exeget. & Criticarum Fasciculum priorem* 1762. 8. ubi *prima* Comment. Cantica *Deboræ* Jud. V. & *Psalmi* LXVIII. ex genio *Pindaricorum* illustrantur; *secunda* descriptio datur *Codicis Mss. Hebr. Bibliothecæ Daventriensis,* Prophetas continentis, cum Indice omnium in eo Variantium Lectionum; *tertia* sistitur Specimen *strictturarum Criticarum in V. C. Benj. Kennicotti Diss. pr. de statu textus Hebraici.*

DUISBURGI AD RHENUM.

Vocatus hic v. pl. Rev. & Doct. DID. ADR. WALRAVEN V. D. M. Randwicensis, *Prof. Theol. & LL. OO.* vocationi morem gerere renuit.

ERLANGÆ.

Prodierunt V. J. HUGONIS GROTII *Annotationes in Novum T. Editio nova.* Recensuit & præfatione

tione *de Socinianiſmo Hugonis Grotii* auxit V. C. C E. DE WINDHEIM, Vol. II. 1755. 1756. 4.

V. C. DE WINDHEIM LL. OO. Prof. & Philoſ. Diſſ. in *Danzianam Grammat. Hebr. qua Proſtheſis ad rationes revocatur* 1751.

- - Diſp. Philol. *qua Litteræ Epentheticæ Hebr. ad rationem ſuam revocantur, illæque voces quibus ineſſe putantur, reſolvuntur, variaque loca V. T. illuſtrantur.* 1752.

- - Diſſ. Philoſ. qua *de nonnullis ad doctrinam de permiſſione mali ſpectantibus & præſertim de legibus felicitatis a Ven. Bældikio adſertis.* 1753,

Sub ejusdem V. C. præſidio G. W. A. HARRER Exerc. Phil. *de Dualitatis ratione nominum Hebr. maxime adpellativorum* 1753.

- - L. J. J. LANGE diſſ. Inaug. Philol. *in locum difficiliorem Hoſ. X*, 10. 1755.

V, C. PH. LUD. STATII MULLER diſſ. Inaug, de *juſto Probabilitatis valore & uſu* 1757.

FLORENTIÆ.

Lucem vidit *Conciliorum Sacrorum Nova & ampliſſima Collectio, in qua præter ea, quæ Ph. Labbeus & Gabr. Coſſartus & Nic. Coletus & Jo. Dom. Manſi edidere, optime diſpoſita exhibentur ad eodem J. D. Manſi, Lucenſi. Editio Noviſſima, Novorum Conciliorum & Documentorum additionibus locupletata, ad MJs. Vaticanos, Lucenſes aliosque recenſita & perfecta. Accedunt notæ & Diſſertat. plurimæ, quæ in ceteris editionibus deſiderantur.* 1759. Vol. II. fol.

FRANCOFURTI AD MOENUM.

Viro Excell. FRID. CAR. DE MOSER tribuuntur libri ſequentes utiliſſimi digniſſimi, qui in omnes linguas transferantur.

Der Herr und der Diener, geschildert mit patriotischer Freyheit 1759 8.
Beherzigungen 1761. 8.
Vertraute Briefe über die wichtigsten Grundsätze und auserlesenen Materien des Protestantischen Geistlichen Rechts 1761. 8.

Prodierunt **A. V. L. Carstens** Versuch die Gründe der Gewisheit des ewigen Lebens der menschlichen Seelen vernunftmäßig und practisch vorzutragen 1760 8.

Fr. Hutcheson, der Rechten D. und Prof. der Weltweisheit zu Glasgow, Untersuchung unsrer Begriffe von Schönheit und Tugend in 2 Abhandlungen 1. von Schönheit, Ordnung, Uebereinstimmung und Absicht 2. von dem moralischen Guten und Uebel, aus dem Englischen 1762. 8.

FRANCOFURTI AD VIADRUM.

Orbata est hæc Academia, quin omnis Philosophiæ sanioris & solidioris Regio, Viro Excellentissimo ALEXANDRO GOTTLIEB BAUMGARTEN, qui lugentibus omnibus Musis fato functus est.

Ediderat *Initia Philosophiæ Practicæ Acroamatice scripta* 1760. 8.
& *Acroasin Logicam in Christ.* L. B. DE WOLFF. 1761. 8.

Cl. CAUSSE, diss. edidit *de supernaturali Revelatione possibili, probabili, necessaria & rationabili* 1762.

V. pl. Rev. **Joh Gottl. Töllner**, das Abendmahl des Herrn gegen alle Verächter desselben erkläret und gerettet 1756. 8. Moderationis laudem meretur.

FRANEQUERÆ.

Edidit Diss. Inaug. pro gradu Doctoratus Vir pl. Rev.

Rev. & Doctiſſimus JOH. HENR. VERSCHUIR, V. D. M. Bolſvardienſis, *ad Hag. II*, 6-9. 1760.

Sub præſidio Cel. VENEMÆ edidit JOH. SZENTESI, Hungarus, Auctor, Diſſ. Phil. Theol. *de Verbo* נחש, *cujus præter ſignificationes ſuperſtitioſe hariolandi, vindicatis a prava interpretatione aliquot locis V. T. ſenſus purus Philologico indagine detegitur* 1761.

Ipſe autem Cel. VENEMA eruditiſſimum edidit Commentarium ad *Primos Viginti & unum* Pſalmos, *quo ſingulorum argumentum, tempus & hypotheſis explicandi ſtudioſe inquiritur, eorumque partes paraphraſi & ſelectis Obſervatt. Illuſtrantur* Leov. 1762. 4.

Lucem quoque vidit V. C. ÆGIDII GILLISSEN Oratio *de Deiſtis præſtantiam Relig. Chriſt. declatrantibus, dicta, quum Magiſtratu Academico abiret* 1762.

GIESSÆ.

Diem ſupremum obiit Academiæ Cancellarius J. C. PFAFFIUS, Vir in hiſtoria Litteraria celebratiſſimus.

GOETTINGÆ.

Maxime Academia hæc luget obitum Viri toto orbe Celeberrimi J. M. GESNERI, Conſiliarii regii, Doct. & Prof. Eloq. Gr. L. & Poeſeos, Bibliothecarii & Acad. Scient. R. membri d. 3 Aug. 1761. fato functi.

Programma funebre ſcripſit V. C. J. D. MICHAELIS hoc titulo: *Memoriam J. M. Geſneri civibus poſterisque commendat Prorector cum Senatu*, 1761. fol.

Obiit quoque V. C. ANDR. GEORG WAEHNER. *Prof. LL. OO.* d. 21 Febr. 1762.

Ut & V. C. TOB. MAYER, *Mathem. Prof. celeberrimus*, d. 20 Febr. 1762.

Ab aliquot jam retro annis lucem conſpexit V. D. DAVID CLEMENT V. D. M. *Bibliotheque curieuſe hiſtorique & Critique, ou Catalogue raiſonné des livres difficiles à trouver* T. IX. 1750 — —

V. C. C. A. HEUMANNUS edidit *librum de Prudentia Chriſtiana*, 1761. 8.

V. C. JO. DAV. MICHAELIS recudi curavit, *Eſſay Phyſique ſur l'heure des Marees dans la Mer rouge comparee avec l'heure de paſſage des Hebreux, avec des remarques de Ms. Michaelis*, 1758. 8.

Ut & V. C. ROB. LOWTH, *de S. Hebræorum Poeſi Prælect. Acad.* Partem *Secundam, ſubjecta Metricæ Harianæ confutatione & Oratione Crewiana; notas & Epimetra adjecit J. D. Michaelis* 1761. 8. &

De l'Influence des opinions ſur le langage & du langage ſur les opinions, Diſſertation qui a remporté le prix de l'Academie Royale des Sciences & belles letters de Pruſſe en 1759. *par Mr.* MICHAELIS, *Conſeiller de Cour de S. M. Brit. &c. traduit de l'Allemand.* Breme 1762. 8.

Mox quoque prodibit ejusdem V. C. Entwurf der Typiſchen Gottesgelahrtheit, zweyte und vermehrte Auflage Bremen 1762. 8.

Prodiit V. C. C. G. FR. WALCHII, P.P. *Monumentorum medii ævi Volum. Secundi Faſc. Primus*, in quo leguntur.

1. JO. GOCHII *de Scholaſticorum Scriptis & religioſorum votis* Epiſtola *Apologetica.*
2. NIC. WIGELII *de valore Indulgentiarum adverſus Joh. Huſſum* Diſputatio.
3. ALB. ENGELSTET, *Speculum aureum*

Ejusdem V. C. Grundſätze der Kirchengeſchichte des N. T. 1761. 8.

V. C. P. Jac. Hoertſch, P. P. kurzer Entwurf der Catechetiſchen Theologie zum Gebrauch Akademiſcher Vorleſungen 1758. 8.

V. C.

V. C. **Jo. Tob. Köhlers**, volständige Nachricht vom Pabst Johann XXI, welcher unter den Nahmen Petrus Hispanus als ein gelehrter Arzt und Weltweiser berühmt ist 1760.

Ejusdem V. C. Anweisung vor Reisende Gelehrte, Bibliotheken, Münz-Cabinette, Antiquiteten-Zimmer, Bildersäle, Naturalien und Kunstkammer u. d. m. mit Nuzzen zu besehen Frankf. 1762. 8.

GRONINGÆ.

Edita sunt V. C. FRID. ADOLPH. VAN DER MARCK JC. Oratio Inaug. *de finibus Jurisprudentiæ optimisque ad eos obtinendos mediis, quum ordinariam Juris publici, N. & G. auspicaretur* 1758.

Et ejusdem V. C. Oratio, quum Magistratum Academicum deponeret, *de libertate reipubl. Groningo Omlandicæ interna, unice propriis patriæ legibus innixa* 1761. 8.

Ut & *Institutiones Juris Civilis privati, communis & reipubl. Groningo-Omlandicæ proprii* 1761. 8. pars I.

In locum V. C. JO. GER. CHRIST. RUCKERI Jc. qui nunc almam Trajectinam ornat, vocatus est Herborna Nassoviorum V. C. LUD. CONR. SCHROEDERUS, *N. G. frater*, Provinciamque Juris auspicatus est Oratione dicta d. 17. Sept. 1761. *de Jure Consultis Romanis suum in legibus interpretandis officium non transgressis.*

Paulo post iterum Professio Juris Antecessorem amisit obitu V. C. JOACH. JO. SCHWARZII d. 19. Oct. 1761.

Suffecerunt in hujus locum Nob. Academiæ Curatores V. C. A. VAN DER KEESSEL, qui mox muneri suo inaugurabitur.

DID. MESTINGH, sub præsidio V. C. N. G. SCHROEDER LL. OO. & Antiq. P. edidit Diss. *de Authentia quorundam Cethibim* 1757.

Et sub ejusdem V. C. præsidio GUALT. RUD. NANNINGA Disp. Philol. continentem *Animadvers. Misc. ad quædam V. T. loca* 1756.

Idem G. R. NANNINGA sub prælidio V. C. MICH. BERTLINGII Th. D. & P. edidit Diss. explicantem *naturam corruptionis moralis* 1760.

Laudem singularem autem merentur editæ a V.C. N. G. SCHROEDERO *Observationes Selectæ ad Origines Hebræas* 1760. 1761.

GUELPHERBYTI.

Joh. Andr. Buttstets Schrift und Vernunftmäßige Abhandlung von der Gnadenwahl 1755. 8.

Fried. Anr. Knittels neue Gedanken von den algemeinen Schriftfehlern in den Handschriften des N. T. mit Erläuterung Jo. XIX, 14. und Luk. III, 35. 36. 1755. 4.

HAFNIÆ.

Editæ a Viro S. V. JO. ANDR. CRAMER *homiliæ Germanicæ* varii generis laudem demeritam reportarunt: uti ejusdem Poetische Uebersezzung der Psalmen mit Abhandlungen über dieselben Leipzig 1758. 1759. Vol. II. Commentationes illæ sunt 1. von der Glaubenslehre der Psalmen 2. von der Sittenlehre der Psalmen 3. wieder diejenige, welche die Verfasser der Psalmen eines rachgierigen Geistes beschuldigen 4. über die Profezeyungen der Psalmen von JEsus Christus und seinem Reich.

Prodierunt gelehrter Männer Briefe an die Könige in Dännemarck vom Jahre 1522. bis 1663. zum Drukke befodert von **Andr Schumacher** Secretair 1758. Vol. II.

Ludw. Harboe, Bischofs in Seeland, zuverläßige Nachrichten von dem Schikfahle des Johann a Lasco

und

und seiner aus Engeland vertriebenen Reform. Gemeine in Dännemark. 1758. 8.

HAGÆ COMITUM.

Tweede Vervolg op den grooten Heildag der Christenheid, vervattende een uitgebreid Vertoog der verscheide hezigheden, en gebeurteniſſen, voorgevallen volgens het verhaal der Evangelisten, van na den eerſten Dag der opſtandinge van den Heere J. C. geduurende deszelfs verkeeringe onder zyne Discipelen tot op deszelfs glorieryke Hemelvaart toe, benevens nog eenige Toegiften van verſcheiden aart daar agter, door Mr H. S. VAN SON, *Rechtsgeleerde.* 1761. 8.

HALÆ SAXONUM.

Eodem modo uti ante aliquot annos *Onomaſticon* Vet. Teſtamenti, ita nunc edidit V. C. JOHANNES SIMON, Prof. Philol. S. *Onomaſticon Novi Teſtamenti & librorum Apocryphorum V. T. uti etiam Bigam Diſſert. de Thammuz Ezech. VIII,* 14. *& de Uſu Itinerariorum Orientalium* 1762. 4.

Quæ, uti Cl. I. p. 557. notavimus, fama tulit, ipſo eventu comprobata ſunt, Prodiit Venerab. JOH. LAUR. MOSHEMII Sittenlehre der H. Schrift. Sechster Theil, Auctore V. C. JOH. PET. MILLERO, *Scholæ Rectore meritiſſimo* Helmſt 1762. 4.

Lucem quoque viderunt Paul Sarpti Hiſtorie des Tridentiniſchen Concilii mit des D. Courayer Anmerkungen mit einer Vorrede begleitet von Fr. E. Rambach 2 Theile 1761. 1762. 8.

V. C. G. Fr. Meiers philoſophiſche Betrachtungen über die Chriſtliche Religion 3 Theile 1761. 1762. 8.

V. C. Joh. Fried. Stiebritz Prof. auserleſene Nachrichten der Vernunft und der geoffenbahrten Religion 2 Theile 1761. 1762. 8.

V. C

V. C. **Joh. Sal. Semler**, Prof. Versuch den Gebrauch der Quellen in der Staats- und Kirchen-Geschichte zu erleichtern 1761. 8.

Ut & Ejusdem umständliche Untersuchung der dämonischen Leute, oder so genannten Besessenen und Beantwortung einiger Angriffe 1762. 8.

Nec non ejusd. Auszug aus der Kirchengeschichte der Christen mit Anzeige der Quellen zu Fortsezzung des Baumgartenschen Auszugs, vierter Theil 1762. 8.

Sub ejus præsidio Diss. CAR. GOTTL. NEIDEL. *quod Paulus Epistolam ad Hebræos Græce exaraverit* 1761.

V. C. CHRIST. BENED. MICHAELIS *Th. D. & Prof. L. L. OO. Philologemata Medica sive ad Medicinam & res Medicas pertinentia ex Hebræa & huic adfinibus linguis Orient. decerpta* 1758.

Andr. Gottl Masch, Pred. zu Beseriz, Abhandlung von der Grundsprache des Evangeliums Matthäi 1755. 8.

H. D. **John Lelands** Abhandlung von dem göttlichen Ansehen des A. und N. Testaments zur Widerlegung der Einwürfe des moralischen Philosophen, aus dem Englischen von **A. G. Masch**, mit D. Baumgartens Vorrede. Rostok 1756. 8.

HAMBURGI.

Amisit Ill. Gymnasium Virum Celebratissimum MICHAELEM RICHEY *Historiarum & Græcæ Linguæ ultra* 34. *annos Professorem*, cum annos 82. menses 7. & dies 9. vivendo expleviſſet. In *Programmate funebri*, quod V. C. JO. GEORG. BUSCHIUS, Mathem. P. P. & p. t. Rector, eleganti calamo composuit, merita Eruditissimi Senis, & scripta recensentur.

In ejus locum faustis avibus vocatus fuit GODOF. SCHUTZIUS, Vir, cui multa debent elegantio-

res

res Literæ, eruditissimus. Dimissus a Rege suo perquam honorifice ex statione Altonavica novo muneri inauguratus fuit Oratione, in qua publice dixit *Encomium florentissimæ reipublicæ Hamburgensis*, quæ typis excusa est 1762. 4.

Prodierunt Auserlesene Briefe über verschiedene Gegenstände aus der Sittenlehre und Religion des Herrn **Jacob Hervey**, Pfarrers zu Weston Favell, nebst einer Nachricht von seinem Leben und Tode, aus dem Englischen 1762. 8.

HANOVERÆ.

Occubuit d. 25 Oct. 1761. Vir multis meritis in rem Litterariam conspicuus C. L. SCHEIDIUS, *Bibliothecarius & Historiographus Regius*. Historia præprimis Ejus obitum luget.

Prodierunt D. **Js. Watts** kleine Catechetische Schriften, aus dem Englischen übersetzt durch **Christ. Bernh. Kaiser** 1757. 8.

V. C. D. **Lohn Lelands** Abriß der vornehmsten Deistischen Schriften, die in dem vorigen und gegenwärtigen Jahrhunderte in England bekandt worden sind: nebst Anmerkungen über dieselben und Nachrichten von den gegen sie herausgekommenen Antworten, aus dem Englischen übersezt von **H. G. Schmid** und **J. H. Meyenberg** 1755. 1756.

V. C. **Christ. A. Heumanns** Erklärung des N. Testaments, IX. X. und XI. Theil. 1759. 1760.

HEIDELBERGÆ.

Prodierunt V. C. **Carl Büttinghausen**, Vertheidigung seiner *Horarum Hebraicarum* gegen die Nachricht in der Neuen Theologischen Bibliothek. 1760. Vertheidigung einiger Gelehrten gegen **H. Melch. Lud. Widekind** 1760. 8.

Dis-

Dissert. *de Jo. Aventini vitiis commissis in vita Othonis Witteisbachii* 1761. 4.

Anmerkungen über den §. III. des neulich herausgekommenen Pfältzischen Staats-Rechts von dem Ceremoniel, welches Churfürst Friedrich III. gegen König Henrich zu Heidelberg beobachtet 1762. 8.

HEILBRONNÆ.

M. H. W. Klem, Zwey und funfzig Betrachtungen über die Absichten der Religion, 3 Theile 1760. 8.

HELMSTADII.

V. C. JOH. CHRIST. WERNSDORFIUS, P. P. O. scripsit Comment. doctam *de Antiquitatibus Balearicis* 1761. 4.

Prodiit quoque Diss. Inaug. JOACH. ALB. BAY, *Specimen Juris Naturæ, exhibens genuinam Imputationis notionem* 1761.

Ut & V. C. JO. BEN. CARPZOVII Diss. *de Quantitate emendationis doctrinæ morum naturalis per Revelationem Divinam* 1761.

Nec non V. C. Joh. Ernst Schuberts, Gedanken von den Quellen der Gottseligkeit nach dem Lehrbegrif der Protestanten 1762. 4.

JENÆ.

V. C. JO E. J. WALCHIUS, Phil. D. & Prof. doctissimas in *Acta Apostolorum* edidit *Dissertationes, quibus multa Antiquitatis Sacræ & profanæ capita explicantur & illustrantur.* Nobis notæ sunt sequentes: 1) *de munere Apostolico* κλησις της διακονιας Act. I, 17. 25. 2) *de Apostolorum Sacris conventibus* Act. II, 1. 3) *de natura & indole* του γλευκους Act. II, 13. 4) *de claudo a Petro sanato* Act. III. 5) *de* παρρησια *Apostolorum idiotarum*

tarum Act. IV, 13. 6) *de sepultura Ananiæ & Sapphiræ* Act. V, 6. 10. 7) *de religiosa veterum* αγοποδησια Act. VII, 33. 8) *Antiquitates Damascenæ* ad Act. IX. 9) *de Ethnarcha Judæorum Damascenorum Pauio insidiantium* Act. IX, 23. 24. 2 Cor. XI, 32. 10) *de Simone Coriario* Act. X, 6. 11) *de Agabo vate* Act. XI, 28. XXI, 10. 12) *de vinculis Petri ex antiquit illustratis* Act. XII. 13) *de* συντροφοις *Veterum* Act. XIII. 14) *de Menachemo* συντροφω *Herodis* Act. XIII, 1. 15) *de* Στρατηγοις *Philippensium in Pauli & Silæ causa judicibus* Act. XVI, 20. 16) *de servis Veterum fatidicis* Act. XVI, 16. 17) *Antiquitates Corinthiacæ* Act. XVIII. 18) *de Veterum Diis patriis* Act. XXIV, 14. 19) *de Deo Melitensium* Act. XXVIII, 6. 20) *de Publio* πρωτω *Melitensium* Act. XXVIII, 7.

V. C. J. G. WALCHIUS, cujus merita in rem Litterariam abunde cognita sunt, edidit *Bibliotbecam Selectam Theologicam, Litterariis adnotationibus instructam* Tom. II. 1758. 8.

& V. C. **Joh. Christoph Köcher**, Catechetische Geschichte der Reformirten Kirchen, in welchen sonderlich die Schicksahle des Heidelbergischen Catechismus aus bewährten Urkunden und Schriftstellern ausführlich erzehlet werden.

LEOVARDIÆ.

Prodierunt COELII SEDULII *Carminis Paschalis libri V. & Hymni Duo cum notis Barthii, Cellarii, Vonckii, Gruneri aliorumque: quibus accedunt Thomæ Wopkensii adversaria emendatiora maxima ex parte adhuc inedita, curante* HENR. JOH. ARNTZENIO. *J. F. qui adnotationes & Observat. Specimen adjecit* 1761. 8.

Viri D. ADRIANI HERINGA, M. D. *Observat. Criticarum*

ticarum liber singularis, in quo passim Veteres Auctores, Græci maxime emendantur 1761. 8.

LINGÆ.

Valedixit Musis Lingensibus vocatus Theol. Professor in Joachimico Berolinensi V. C. FERDIN. STOSCHIUS Th. D. editis *Brevissimis doctrinæ Sanæ de Concordia Rationis & fidei lineis,* 1761. 8.

LIPSIÆ.

d. 6. Jul. A. 1761. diem suum obiit Vir Doctissimus & variis Scriptis eruditis inclytus CHRIST. WOLLE, Theol. Prof.

V. C. GUIL. ABR. TELLER, A. M. idem, qui *Kennicotti* Diss. de textu Hebr. V. T. in Latinam linguam transfudit, edidit Beurtheilung des ersten Th.ils der Crameriſchen Ueberſezzung der Psalmen in 2. Sendschreiben an den H. Verfasser 1760. 8.

Vir hic Cl. vocatus *Helmstadium* Theol. Professor Dissert. Inauguralem edidit sub titulo *Topice Scripturæ* 1761.

Novis Actis Eruditorum Anni 1761. & quidem mensis Sept. inseruit Vir Excellentissimus GERARDUS MEERMAN, Syndicus Roterodamensis, *Admonitionem de Chartæ nostratis s. lineæ origine,* ubi postquam indicasset, quam adhuc circa Originem chartæ hujus indicandam mancæ sint observationes exhibitæ, pro suo in Litteras amore hac admonitione claudit. *Visum igitur hac schedula est, quoscunque in Europa Viros Litteratos, quibus ad insigniores Bibliothecas aut Archiva publica aditus est, amice exhortari, ut singuli inquirant in antiquissimum cujusvis regionis sive librum, sive diploma, sive qualecunque tandem documentum chartæ lineæ impressum, & si tale offenderint, ejus titulum,*

epo-

epocham, locumque ubi adſervatur, accurate deſignent; probe ſemper attendentes, ne in chartæ genere decipiantur, ut mihi fere accidit inſpecto libro MS. cujus chartam ſtatim juraſſem linteam, tum ob candorem, tum quod per nimium libri uſum omnem prope fulgorem amiſiſſet, niſi pro bombycina pugnaſſent Codicis tam ligatura, quam idioma Græcum, idemque accuratius deinde examen confirmaſſet. Has vero Obſervationes ut Roterodamum ad me mittere velint ante Kalendas Januarias, vel certe Februarias anni proximi 1763 *enixe ac humillime rogantur. Eo ſiquidem tempore, modo vitam viresque Deus conceſſerit, illas omnes in ordinem redigere, moxque in Diario quodam, adjecta honorifica Auctorum mentione, ne quem inſumti pœniteat laboris, publicare conſtitui: illi præterea, qui omnium primum in hoc genere inſtrumentum detexerit, poſtquam per alterius examen res confirmata erit, ſimile, atque Gœttingenſis conſtituit Academia, adjudicaturus præmium, nempe Viginti & quinque aureorum, Ducatos vocant, qui victori aut nummis, aut libris apud Bibliopolas venalibus, ad ejus arbitrium, ſolventur.*

Prodierunt hic V. C. **Joh. Rud. Rießlings** Beweis der Wahrheit der Evangeliſch-Lutheriſchen Religion, aus den Kunſtgriffen der Römiſch-Catholiſchen Kirche, ihre Religion zu verbreiten, dargethan 1762. 8.

D. **Georg Benſons** Paraphraſtiſche Erklärung und Anmerkung über einige Bücher des N. T. aus dem Engliſchen überſezt, und mit einer Nachricht von dem Leben und Schriften des Verfaſſers vermehret von **J. P. Bamberger**, Pred. zu Berlin. 4 Bände 1761. 4.

V. C. JOH. FRID. FISCHERUS edidit *Palæphati librum de incredibilibus Hiſtoriis, Græce, e recenſione Sigiſm. Frid. Dreſigii cum ejusdem notulis, quibus ſuas*

suas Animadversiones, una cum Indice atque praefatione adjecit 1761. 8.

A. 1756. D. **Joseph Butlers**, Bischofs zu Durham, Bestätigung der natürlichen und geoffenbahrten Religion, aus ihrer Gleichförmigkeit mit der Einrichtung und dem ordentlichen Laufe der Natur, nebst 2 kurzen Abhandlungen von der persöhnlichen Identität und der Natur der Tugend, aus dem Englischen 8.

A. 1757. D. **Thomas Newtons** Abhandlung über die Weissagungen, die merckwürdig erfüllet sind, und noch bis auf den heutigen Tag in ihre Erfüllung gehen, aus den Englischen. 8.

LONDINI ANGLORUM.

Reverendissimus hujus urbis Episcopus THOMAS SHERLOCK d. 17 July. 1761. diem suum obiit.

LONDINI GOTHORUM.

Edidit M. SUEN BRING, hist. Prof. diss. *de nonnullis circa resurrectionem carnis hypothesibus historice examinatis* 1752. *de origine primatus Episcopi Romani* 1752. *de antiquissimis Christian. jejuniis* 1753. *de distinctione Ecclesiarum in matres & filias* 1753. *de baptismo per immersionem* 1753. *ad Bullam Pontificiam Unigenitus* 1754. *de decimis Christianorum* 1754.

D. JO. CORYLANDER *de Orpheo Græcorum Philosopho* 1754.

M. NICOL. HESSLEN *dissert. de usu Botanices morali* 1755.

M. JO. GUST. GRIPENSCHIÖLD diss. *de cultu larium* 1758.

M. NICOL. SCHENMARK diss. *de situ locorum Geographico ex solis Eclipsi determinando* 1755.

LU-

LUBECÆ.

Miſcellaneorum Lubecenſium Volumen IV. 1761. editum continet

1) D. W. C. J. CHRYSANDRI diſq. *de omiſſione verborum Inſtitutionis in Lutheranorum liturgia baptiſmali.*

2) J. C. HARENBERGII d. *de Tonſura Pauli Ap. Votiva ad Act. XVIII*, 18. *Sectio altera.*

3) D. J. C. H. DREYERI *Bullarii Lubecenſis Contin. Ultima.*

4) b. O. L. KOENIGSMANNI *Obſ. ad Gen. VI, aliquot Commata.*

5) *Index ſcriptt. a Lubecenſibus proxime emiſſorum*

6) *Indices.*

LUGDUNUM BATAVORUM.

Amiſit d. 14 Febr. 1761. V. C. FRANC. OUDENDORPIUM, *Eloquentiæ & hiſtor. Profeſſorem*, ſcriptis variis celebrem.

In illius locum ab Ampliſſimis Curatoribus ſubſtitutus eſt V. C. DAVID RUHNKENIUS, *Græcæ linguæ hucusque Prælector*, qui, quod gratulamur Viro Doctiſſimo impenſe, hanc Provinciam auſpicatus eſt d. 21 Sept. 1761. Oratione *de Doctore Umbratico*, typis excusa 1762.

Nec pepercit mors Viro Celebratiſſimo PETRO VAN MUSSCHENBROEK, *A. L. M. Med. & Philoſ. D. Philoſ. & Mathem. Prof. Membro Academiarum ſcientiæ Petroburgenſis, Berolinenſis, Holmienſis, Montpelienſis, Bolognenſis, Londinenſis, Harlemenſis & Pariſienſis.* Septuagenarius obiit 1761. d. 19 Sept.

Theologo quoque quatuor nondum annos docente Academia orbata eſt. In ipſo enim ætatis flore extinctus eſt V. C. JOH. VAN SCHELLE Th. D. & Prof. 1760. d. 27 Juny.

Ediderat autem Vir Doctiſſimus & facundiſſimus

ſuperiori anno Sermones ſuos Belgicos in Jeſ. XI. & XII. h. tit. *De Voortreflykheden van Meſſias Koningryke vorgeſteld in XX Kerkelyke Redevœringen* 4.

Dum hæc ſcribimus triſtiſſimus nobis de novo Academiæ huic, quin toti reip. Litterariæ, inflicto vulnere affertur nuntius. Die 13. hujus menſis Auguſti Vir Eruditiſſimus & S. V. JOH. ALBERTI, Theologus Academiæ Lugdunenſis Senior, cui quantum debeant præſertim Muſæ Græcæ nemo ignorat, mortalitatem ærumnoſam exuit. Faſciculum hunc Ipſi ut Obſervantiæ teſſeram dicare erat conſtitutum. Totus adhuc erat in edendo HESYCHII Tomo Secundo, qui ut Orphanus opem VV. Cell. HEMSTERHUSII & RUHNKENII mihi videtur implorare.

Ex inſtituto *Stolpiano*, Veritatem Religionis Chriſt. roborante, prodierunt J. A. MELCHIORIS, *A. L. M. & Philoſ. D. Diſſ. de Argumentis, quibus exiſtentia Dei a poſteriori probatur, quæ legati Stolpiani præmium reportavit; accedunt Anonymorum de eodem argumento Diſſert. duæ* 1756. 4.

Et GER. GUIL. AB OOSTEN DE BRUYN. I. C. *Diſſert. de progreſſibus, quos per ſolum rationis lumen in Ethices doctrina fecerunt mortales, qui revelationem Divinam prorſus ignorarunt, quæ legati Stolpiani præmium reportavit* a. 1757. *Accedunt Anonymorum de eodem argumento Diſſert tres* 1758. 4.

Nec non GODFR. ARN. MAAS, *S. Min. Cand* tract. h. titulo. *Het noodzakelyk beſtaan van een Opperweezen betoogt uit het werkelyk beſtaan van iet, aan wien* a. 1759. *de Prys van het legaat van den Hr. J. Stolp is toegekent: waarby gevoegt is eene Verhandelinge over dezelve ſtoffe door* JOH. MONNIKHOF, *Heelmeeſter te Amſterdam: accedunt* ABR. PERRENOT, *J. C. Conſulis Culemburgenſis, nec non* SAM. JORDAN *Diſſert. duæ, quibus efficitur ex eo, quod aliquid eſt, Jequi Deum eſſe* 1760. 4.

Re-

Recusa hic sunt CALLIMACHI *Hymni, Epigrammata & Fragmenta cum notis integris Stephani, Vulcanii, Fabri, Grævii, Bentleji, quibus accedunt E. Spanhemii Commentarius & notæ nunc primum editæ VV. CC. T. Hemsterhusii & Dav. Ruhnkenii: textum ad Msc. fidem recensuit, latine vertit atque notas suas adiecit V. C.* JOH. AUG. ERNESTI Vol. II. 1761. 8.

Et EUTROPII *Breviarium historiæ Romanæ cum metaphrasi Græca Pacanii & notis integris E. Vineti, H. Glareani, T. & A. Fabri, C. Cellarii, Th. Hearnii, C. A. Heumanni & S. Haverkampii, itemque selectis F. Sylburgii: accedit Rufus Festus cum notis integris Sylburgii, Cellarii & Haverkampii, recensuit, suasque adnotationes cum Indicibus addidit V. D.* HENR. VERHEYK 1761. 8.

Nec non *les Provinciales, ou lettres de L. de Montalte a un Provincial de ses Amis, avec les Notes de Guil. Wendrock, nouvelle Edition 4 Vol.* 1761. 12.

Hic quoque prodierunt V. C. J. A. ERNESTI *Opuscula Oratoria; accessit Narratio de J. M. Gesnero ad V. C. D. Ruhnkenium* 1762. 8.

MARPURGI.

Edita est a V. D. JOH. SIM. LINDINGER, *Rectore Gymnasii Servestani*, Diss. Inaug. *de Usu Scriptorum Græciæ atque Latii in Theologia* 1760.

MEDIOBURGI.

Venerabilis & doctissimus Senex JOH. PLEVIER, V. D. M. ab aliquot annis jam propter sinistram corporis valetudinem rude donatus, d. 18 July animam suam Deo & Servatori suo reddidit. Memoriam sui servabunt Libri ab ipso Belgico idiomate editi utilissimi, uti

1) Commentarius *over de Handelingen der Apostelen, IV Deelen* Utrecht 1734. 4.

2) *Over Paulus Briev aan de Galaten, 2 Deelen* Utrecht 1738. 4.

3) *Over Sephanias Voorzegginge, en Pſ. CI. en CII. ook over Ezechiels gezegte aan de Rivier Chebar Ez I.* Middelb. 1744.

4. 5. 6) *Commentarios in Pſalmos* jam annunciavimus Cl. I. p. 576.

ONOLDINI.

Prodiit **Miſchnah**, oder der Text des Talmuds, d. i. Sammlung der Aufſäzze der älteſten und mündlichen Ueberlieferungen oder Traditionen als der Grund des heutigen Fariſäiſchen Judenthums, aus dem Hebräiſchen überſezt, umſchrieben und mit Anmerkungen erläutert von **Joh. Jakob Raben**, Stadtcaplan zu Onolzbach, 3 Theile 1760. 1761. 4.

OXONII.

Recuſa eſt, quæ raro occurrebat, Viri Cel. TH. HYDE, S. Th. D. & LL. OO. P. *Veterum Perſarum & Parthorum & Medorum Religionis Hiſtoria cum quibusdam adnotationibus e typographeo Clarendoniano* 1760. 4.

LUTETIÆ PARISIORUM.

Edita ſunt *Nouveaux Eclairciſſemens ſur l'origine du Pentateuque des Samaritains, par un Religieux Benedictin de la Congregation de St. Maur* 1760. 8.

Traduction nouvelle du Prophete ISAIE, *avec des diſſertations Preliminaires & des Remarques par feu Mr.* DESCHAMPS, *Docteur de Sorbonne* 1760. 8.

V. C. DE BURIGNY, qui jam vitam Ill. Virorum GROTII & ERASMI deſcripſit, edidit biographiam BOSSUETI, *Vie de M. Boſſuet, Eveque de Meaux, par M. de Burigny de l'Academie Royale des Inſcriptions & Belles Lettres, Bruxelles & Paris* 1761. Vol. I. 12.

Prodiit quoque, *Vie de* PIERRE PITHOU *avec quelques Memoires ſur ſon Pere & ſes Freres* Vol. II. 1756. 8.

Et *Defenſe de la Chronologie fondee ſur les Monumens de l'hiſtoire ancienne, contre le Syſteme Chronologique de*

de Mr. Neuton, par M. FRERET, *Penſionaire & Secretaire perpetuel de l'Academie des belles Lettres* 1758. 4.

RINTELII.

V. C. J. J. PLITT, Th. Prof. vocatus *Francofurtum ad Mœnum* abiit, & Senioris B. J. *Freſenii* locum exornat.

ROSTOCHII.

D. **Ph. Doddridge**, Heilige Reden über auserleſene Wahrheiten des Evangeliums, aus dem Engl. und mit einer Vorrede von **J. E. Rambach** 1760. 8.

D. **Fried. Haſſelquiſts**, der Acad. d. Wiſſenſchaften zu Stokholm und Upſala Mitglieds, Reiſe nach Paläſtina in den Jahren von 1749 bis 1752 auf Befehl J. M. der Königin von Schweden herausgegeben von **Carl Linnäus**, aus dem Schwediſchen 1762. 8. Varia continet lectu digniſſima, hiſtoriam Naturalem Palæſtinæ illuſtrantia.

SERVESTÆ.

V. C. ERN. LUD. DAN. HUCH, Log. & Eloq. Prof. edidit Diſſ. Theol. *de genuino Nominis Divini conceptu* 1761.

Et Diſſ. *Aeſtheticam de Q. Horatii Fl Od. XXII. l. I. ad illuſtrandam præſtantiam Pſalmi primi* 1761.

Nec non Diſſ. Philol. *de Adamo ipſo lapſus die non moriendo* 1762.

STADÆ.

Reverendiſſimus J. H. PRATJE edidit des Theologiſ. Magazins drittes und viertes Stück. Gotha 1761. 8.

Ut & *Obſervationum Sacrarum Decurias, primam & ſecundam*, in quibus varia S. S. loca docte non minus, *ac eleganter illuſtrantur* 1759. 1761. 4.

TIGURI.

V. C. JOH. CASP. HAGENBUCHIUS, Th. P. *Animadverſ. de τη των τοι λογοι δεξαμενων ευγενια* Act. XVII. 11, 1757.

Et *Prolusionem de verbis* δυσνοητοις, 1. *Joh. V*, 6. 1757.
Nec non Exerc. Th. Philol. *de Servorum erga heros* ἐυεργεσια *ad* 1. *Tim. VI*, 2. 1758.

TRAJECTI AD RHENUM.

V. C. FRANC. BURMANNI, Nep. S. Th. D. &P. Oratio *funebris in obitum V. C. Guil. Jrrhovii S. Th. & Ph. D illiusque ut & Hist. Eccl. P. d.* 18. *Dec.* 1760. *habita.*

V. C. G. BONNET, qui Cl. *Jrhovio* in munere successit, Oratio Inaug. *de fidei mysteriis Revelatam religionem adstruentibus* 1761.

Viri pl. Rev. &Doctissimi JAC. ALB. VOS, V.D.M. *Montfortensis*, Commentarius optimæ frugis in Danielem idiomate Belgico: *Uitlegginge van het Boek van den Profeet Daniel. Eerste Deel* 1761. 4.

V. C. JOH. CASTILLIONEI oratio *de legitimo studiorum nexu, dicta quum Magistratu Academico abiret* 1759.

Sub Præsidio V. C. SEB. RAVII edidit LEON. VAN WOLDE diss. *Antiquariam de Testamenti factione Hebræis veteribus ignota* 1760.

JONA GUIL. TE WATER, jam V. D M. Hæmstedienſis in Zelandia, sub præsidio V. C. P. WESSELINGII, disp. *Hist. Criticam ad historiam sepulchri & sepulturæ Jesu Christi* 1761.

Et sub V. C. G. BONNET præsidio, GER. DE HAES diss. *Phil. Crit. Theol. de Paulino velandæ mulieris præcepto ad* 1. *Cor. XI*, 10. 1761.

V. C. CHRISTOPH. SAXIUS Orationem *in Septem Artium Liberalium Magistros habitam, quum Rectura Academica se abdicaret* 1761.

Recusæ hic sunt & emendatæ *Dissertt. Sacræ Antiquariæ, Una de Nube gloriosa super arcam fœderis opposita Cl. M. C. G. Thalemanno, Lipsiensi; altera de libamine facto in sacra Mensa ad Ex. XXV*, 29. *Auctore V. C.* JOH. EBERH. RAVIO *Theolog. Herbornensi* 1760. 8.

UL-

ULMÆ.

Edita sunt V. C. J. G. SCHELHORNII Diatribe *de Antiquissima Bibliorum Latinorum editione, ceu primo artis Typographicæ fœtu* 1760.

EJUSDEM V. C. *Apologia pro Petro Paulo Vergerio adversus Jo. Casam; accedunt Monumenta inedita & IV. Epistolæ memorabiles* 1760.

Nec non EJUSDEM V. C. Ergötzlichkeiten aus der Kirchengeschichte und Literatur, in welchen Nachrichten von seltenen Büchern, wichtigen Urkunden, merkwürdige Briefe und Anmerkungen enthalten sind, 4 Stükke 1761. 8.

Francisci Griselini Denkwürdigkeiten des berühmten Fra Paoli, ehemaligen Serviten in Venedig, oder merkwürdige Anekdoten zu dem Leben und Schriften dieses berühmten Mannes; aus dem Italiänischen übersezt, und mit wichtigen Zusäzzen vermehret 761. 8.

ANGELI MARIÆ QUIRINI liber sing. *de Optimorum Scriptorum editionibus, quæ Romæ primum prodierunt a Typographia inventa, adjectis eorum tantum non omnium præfationibus seu Epistolis cum brevibus Observatt. ad easdem, rei Typographicæ origini illustrandæ valde opportunis., Recensuit, annotationes, rerumque Indicem adjecit, & Diatriben præliminarem de variis rebus ad natales artis Typographicæ dilucidandas facientibus præmisit* V. C. J. G. SCHELHORNIUS, *Lindaviæ* 1761. 4.

UPSALIÆ.

Edidit M. PETRUS EKERMAN, Eloq. Prof. diss. *de Lyra Davidis eloquentiæ Palæstra* 1757.

Et *Diss qua origo & usus Mythologiæ de cornu copiæ exponitur* 1758.

D. ANDR. NELANDER diss. *hist. Philol. de scriptis Paulinis in genere, & in specie de dicto* 1 *Cor. XI*, 10, 757.

M. JOH. JAC. AMNELL diss. *Philol. quas sistitur fabella Hesiodea* Ἔργ. κ. ἡμ. *v.* 200 *Jq. Æsopicarum exemplar* 1757.

M.

M. CHRISTOPH. CLEWBERG diſſ. Philol. *de* רתם *arbore, ſub qua Elias profugus recubuiſſe dicitur ad* 1 *Reg. XIX*, 4. 5. 1758.

WITTEBERGÆ.

Edidit A. 1753. & ſeqq. V. C. FRID. IMMAN. SCHWARZIUS *Exerc. hiſt. Crit. in utrumque Samaritanorum Pentateuchum*, ubi *de Samaria & Samaritanis, de forma Pentateuchi externa, de Authentia textus ejus merito ſuſpecta, de antiquiſſima Pentateuchi verſione Samaritana, de præſtantia & uſu utriusque Pentateuchi.*

Et A. 1754. de *Maſora Scripturæ S. Polyglotta.*

Et *de Unctione Pontif. M. Hebr. per Crucem* 1755.

Ut & diſſ. *de Martyrio Stephani e pandectis Hebr. illuſtrato* 1756.

V. C. FRID. BOERNER, Med. D. & P. Exerc. *de ſtatu Medicinæ apud vet. Hebræos* 1755.

V. C. JO. DAN. RITTERUS, hiſt. P. diſſ. *de Ethnarcha Aratæ Arabum Regis Paulo Apoſt inſidiante ad* 2 *Cor. XI*, 32. 1755.

M. SAM. BENJ. MARTINI *Specimen exploſi conſenſus, quem Paulino Nolano cum Romanenſium cœtu aſſingit Cel. Lud. Ant. Muratorius* 1756.

V. C. JOACH. SAM. WEICKHMANNUS progr. *quo Jeſu in vitam reditus adverſus mortis terrores præſidium firmiſſimum aliis adjumentis in Lucretia imitatione noviſſime commendatis multo firmius religioſe contemplatur*, contra *Philoſophum de Sans Souci* 1760.

BIBLIOTHECA
BREMENSIS
NOVA
HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA

CLASSIS SECUNDÆ
FASCICVLVS TERTIVS ET VLTIMVS

BREMÆ & AMSTELODAMI
Sumptibus Bibliopolarum
G. W. RUMPII & H. VIEROOT.
MDCCLXIII.



VIRO

SUMME VENERANDO

ERUDITISSIMO

JOANNI AUGUSTO ERNESTI

THEOLOGO ET PHILOLOGO CELEBERRIMO,

LIPSIENSIS ACADEMIÆ

QUIN TOTIUS

REIPUBLICÆ LITTERARIÆ

INSIGNI ORNAMENTO

SCIENTIARUMQUE OMNIS GENERIS

PROMOTORI INDEFESSO

SEXTUM HUNC

BIBLIOTHECÆ

BREM. NOVÆ.

FASCICULUM

EA, QUA PAR EST, RELIGIONE

INSCRIBIT.

ET UT
INSTITUTO HUIC,
AD
PROMOVENDAM ERUDITIONEM
ET VERITATEM
ADORNATO,
SIBIQUE
QUAM MAXIME FAVEAT,
CUM VOTO
OMNIGENÆ FELICITATIS
IN SERVATORE OPTIMO,
IN PRIMIS
UT
MERITORUM SUORUM
IN REMPUBLICAM CHRISTIANAM
CUMULUS
SCRIPTIS ET MOLIMINIBUS
UTILISSIMIS
INDIES ACCRESCAT,
ET
BENEDICTIONE DIVINA
IN EMOLUMENTUM
REGNI VERITATIS ET PIETATIS,
SUI IPSIUSQUE
GAUDIUM ET PRÆMIUM
CEDAT,
SERIO FLAGITAT
EDITOR.

SERIES OPUSCULORUM FACICULI TERTII CLASSIS SECUNDÆ.

I. JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, Meletematis *de Pericopis Biblicis recte conſtituendis & dijudicandis* Continuatio pag. 421.

II. JACOBI SCHEPPII, Diſſertatiuncula Exegetica *de Palo infixo carni, Paulo Apoſtolo dato, qua ſimul ejus Apoſtolatus adverſus obtrectationes adverſariorum vindicatur, ad* 2 COR. *XII*, 7. pag. 453.

III. JOANNIS HERMANNI SCHACHT, V. *D. M. ad Adam, Spicilegii Obſervationum Philologicarum in N. T. libros* Specimen II, & nunc quidem in MARCUM. pag. 479.

IV. AMBROSII DORHOUT, V. *D. M. Dokkumenſis*, Diſſertatio *de Iride ſigno fœderis Noachici ad Gen. IX, 9. 10. qua oſtenditur non adeo eſſe attendendum ad colo-*

colores Iridis, quam ad id, quod sit Arcus sine nervo pag. 514.

V. NICOLAI BARKEY, Επικρισις *in præcedentem Dissertationem, qua etiam Nova Conjectura proponitur* pag. 541.

VI. EJUSDEM Observatio Philologico Exegetica ad JEREM. *XXXI*, 22. נקבה תסובב גבר pag. 549.

VII. EJUSDEM Addenda ad Dissertationem suam de Aschima Hamathæorum idolo, quæ legitur Cl. I. Fasc. I. d. VI. p. 125. pag. 572.

VIII. Versio Capitis primi Geneseos & Psalmi Primi Americana, Dialecto, quæ circa Bostonum Coloniæ Anglicanæ urbem viget. pag. 577.

I.

IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII MELETEMATIS DE PERICOPIS BIBLICIS RECTE CONSTITUENDIS ET DIJUDICANDIS CONTINUATIO *).

§. 22.

Transpositio pericoparum non solum ex variis collectionibus virorum, qui ordinem Chronologicum ob ocu-

*) Fasciculus antecedens hujus Biblioth. Quintus partem priorem hujus Meletematis exhibuit.

oculos non habebant a) eumque ignorabant, sed etiam ex aliis causis orta fuit. Si enim in voluminis membranacei dorso nota numeri erat oblitterata, volumen facile potuit in locum numerumque minus justum poni, ac deinde cum reliquis membranis compingi, ordine prorsus turbato. Exempla hujus transpositionis in exemplaribus LXX Interpretum intra *Proverbiorum* volumina exstant. Ibi caput XXX integrum apparet insertum post incisum 22 usque ad 34 incisum capitis XXIV. Sunt etiam loca alibi, ubi ex diversis membranarum capitibus pericopisque, si cujus initium haud fuit seorsim notatum, unum volumen & quasi caput unum fuit constitutum. Obex subinde his transpositionibus positus fuit per litterarum alphabeticarum seriem, fronti incisorum paris numeri præfixam. Exemplo sunt *Psalmus* CXIX & *Threni Ieremiæ*. Librarii præpropere scribentes, obice ejusmodi non refrenati, nonnumquam pericopam breviorem omiserunt, ac, eam nonnullis jam descriptis incisis postposuerunt. Ita in Codice *Cantabrigiensi*, græco-latino positus fuit Luc. VI, 5 post versum 10.

§. 23.

a) EUSEBIUS *Comment. in Psalm. p.* 298 *To. I. Patrum & Script. Græc.* B. DE MONTFAUCON.

§. 23.

De pericopis intrusis seu inter verba Auctorum aliunde insertis nonnihil videtur adjiciendum. Eas ipso *Cæsaris*, de *Bello Gallico* commentantis, libro primo sub ejus initio de Helvetiis esse obvias, pridem b) indicavi. Dantur in LXX additamenta aliquot librariorum, quæ ab hebræo fonte, quo utimur, passim abhorrent. Deprehendi talem accessionem extrinsecus adscitam *Ies.* XXIX, 24, in fine. En illam: Καὶ αἱ γλῶσσαι αἱ ψελλίζουσαι μαθήσονται λαλεῖν εἰρήνην, *Et linguæ balbutientes discent loqui pacem.* Sub fine *Luc.* VI, 5, in uno Mstorum Codicum *Stephani* & alio *Bezæ* antiquo inserta legitur hæc additio: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον ἐν σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ, Ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας, τί ποιεῖς, μακάριος εἶ: εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ ὑπερβάτης τοῦ νόμου, *Eodem die quum vidisset aliquem, in sabbato opus facientem, ipsi dixit, Homo, si omnino nosti, quid facis, beatus es; sin vero ignoras, diris devotus es & transgressor legis.* H. GROTIUS, ad hunc locum, hoc additamentum Marcionitæ cuidam tribuit æque ac ANT. ARNALDUS apud R. SIMONEM c). IS. DE BEAU-

b) *In Miscellaneis Lipsiensibus Novis Vol. II. p. 305. s. Lipsiæ* 1743. 8

c) *Diss. crit. sur les MSS. du N. T. p. 20.*

SOBRE hæc ſententia prorſus haud probatur d), ſiquidem ea additio in collectione mutationum haud inveniatur, quas Marcion ad Evangelium Lucæ contexuerit. Videtur pericopa illa ex evangelio *ſecundum Hebræos* deſumta ac in Græcum converſa. Nam illud οἶδας idem eſt ac *recte perpendis atque animum de actione certum tenes:* & ſenſu convenit cum hebræo verbo יָדַע, quod tanto notitiæ gradu pollet, 2 *Sam.* XII, 22. *Prov.* XXIV, 22. *Cohel.* III, 21. *Pſ.* XC. 11. *Eſt.* IV, 14. Si ad uſum ſpectes, qui ex utraque pericopa ad lectorem redundare poteſt, doctrina & pietas inde labem contrahere non poteſt. De reliquo facillimum eſt intellectu, prius illud in LXX additamentum prorſus eſſe ſupervacuum, & poſterius ab optimis pluribusque e) MStis *Lucæ*, cunctisque Verſionibus abeſt, nec reſpondet inſtituto Chriſti, quippe qui hoc tempore nemini Legis Hebrææ gratiam fecit. Supra jam dictum fuit de alia pericopa, *Marc.* XVI, 14 ad finem intruſa, §. 17, de qua ex ſolo HIERONYMO *adv. Pelagianos* c. 6. notitiam quam-

d) *Hiſt crit. de Manichéen & du Manichéisme P. II. ſeu L. II, c. I. §. 5. p. 342, 343.*

e) JO. MILLIUS memorat *Stephani ſecundum, Cantabrigienſem græco-latinum, & Iunii vetuſtiſſimos duos.*

quamdam cxſtare, MILLIUS monuit. Nullus certe codex ſive græcus ſive latinus illam habet pericopam, fortaſſis ex apocrypho f) quodam evangelio, quæ SIMONIS eſt conjectura, deſumtam, quod dicitur *Thomæ*, & Manichæorum placitis abundavit.

§. 24.

Sunt, qui doxologiam, precibus dominicis ſubjectam *Matth.* VI, 13. pro pericopa intruſa habent, ſiquidem eam in *Vulgato* latino haud deprehendunt. At doxologiam illam omnes habent codices manuſcripti græci, & ipſe codex *Brixianus* latinus g), Vulgato antiquior, nec non verſiones *Armenica* & *Arabica* h), exceptis modo codicibus græcis tribus, qui ex pervulgata interpretatione latina fuerant depravati. In *Lucæ* Evangelio i) utique doxologia illa non legitur, ſiquidem Lucas eam repetere noluit, jam olim a Ieſu precibus illis ſubjunctam, necdum oblivione contritam, quippe quam ejus ætatis Iudæi precibus ſuis ſubjicere conſueverant. Eo

f) Conf. I. MILLIUS *in Proleg. n.* 724. 725.
g) In I. BLANCHINI *Evangeliario quadruplice P. I. Vol. I. p.* 39.
h) Has haud meminit WETSTENIUS ad *Matth.* VI, 13.
i) *Luc.* XI, 4.

quod oratio dominica apud *Matthæum* plene legebatur, librarii apud *Lucam* omiserunt nonnihil, rati, cætera intelligi posse & patescere ex *Matthæo*. Inde motus fuit AUGUSTINUS, ut significaret k), oratione dominica apud *Lucam quinque* modo petitiones contineri, *septem* vero apud *Matthæum*. Illud enim: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo*, a Cantoribus seu Canonicis Basilicarum cani solebat solis, quæ consuetudo in hanc usque diem fuit propagata. *Tertiam* petitionem apud *Lucam* omisit *Vulgatus* latinus, ORIGENES ipse in Libro *de Prece* & plurimi optimæ notæ codices l). In *Evangeliario* latino *Perusino* illa petitio- *Libera nos a malo*, fuit omissa m). At *Itala* vetus, Codices varii *Latini* manuscripti & *Græci* omnes exhibent singulas petitiones apud *Lucam* sine doxologia, subjuncta penes *Matthæum* verbis istis *Libera nos a malo*. *Lucæ* evangelium videtur Romæ & in Italia primis rei Christianæ temporibus fuisse lectitatum & ad ejus formulam orationis dominicæ doxologiam pasim a librariis apud

k) *In Enchirid. ad Laurentium* c. 116.
l) GARBELLUS in *Proleg.* ad *Blanchini Evangeliarium quadruplex P. I. Vol. I.* p. 55, 2.
m) In *Evangeliario eodem* P. II. Vol. II. p. 570.

apud *Matthæum* omissam. Codex *Vercellensis* latinus & *Corbeiensis* vetus hanc doxologiam non habent. At nihilominus eam in numero pericoparum intrusarum referre non licet. Sola enim in quibusdam codicibus ac versionibus omisio haud sufficit ad pericopam quamdam Autori subtrahendam. MILLIUS, WETSTENIUS & JO. JAC. BREITINGERUS n) utique doxologiam a manu *Matthæi* profectam esse, negare contenderunt, & certe dubitationibus causam obtenebrarunt. Dubitantibus sese præterea adgregavit BENGELIUS. *Millius* & *Bengelius* interpretem *Vulgatum* latinum plus justo æstimarunt. Accederem eorum sententiæ, si doxologia illa insignis ab omnibus vetustis codicibus græcis & latinis abesset. Copiosius causam doxologiæ vindicandæ egit JAC. SIG. BAUMGARTENIUS in *Diss.* cui est index *Authentia doxologiæ* Matth. VI, 13. *a recentissimis oppugnationibus vindicata*, Halæ 1753, 4.

§. 25.

Incisum illud 1 *Joh.* V, 7. pro pericopa intrusa habere, id vero nunc magni & oppido critici ingenii o) videtur proprium.

n) Diss. I. II. III. *in Museo Helvetico.*
o) WETSTENIUS *ad h. l.* p. 722-727. To. II.

prium. Si illud nudius tertius adparuisset, nec in ullo græco latinoque codice inde a rei Christianæ exordio lectum esset, eamdem ingenii laudem a me non alienam fore, sperandi haberem rationem non unam. Quantum ad Codices adtinet græcos, *Erasmus*, *Beza*, *Millius*, *Clericus*, *Simonius*, *Küsterus*, *Wetstenius* aliique critici nondum dimidiam MStorum N. T. partem attigerunt p). Nondum omnes Codices inspecti & examinati sunt, licet copiam eruditionis criticæ effuderit WETSTENIUS in *Proleg. criticis* ad To. I. Novi Testamenti græci, quod Amstel. 1751. in forma maxima publicavit. In insula *Chio* multi & antiquissimi sunt codices græci, præcipue sacri, ad quos nemini permittitur aditus, præterquam iis, qui eis adservandis invigilare solent. Inter Græcos & unitos & Schismaticos latent codices Bibliorum græci satis multi, quos nemo attentione critica perlustravit. In Basilianorum bibliothecis tum *Romæ*, tum in regno utriusque *Siciliæ*, non pauci antiquissimi codices N. T. inveniuntur, quorum nonnulli sunt indicati apud BLANCHINUM P. II. Vol II. *Evangeliarii quadruplicis*. Ostendit *Paulo Antonio* Græcus auctoritatis non modicæ codicem græcum *Venetiis*,

p) *Bibliotheque raisonnee To. XLV.* P. II. p. 427.

tiis, in quo pericopa illa legebatur. Et videtur illa omnino in codicibus græcis fuisse lecta. Nam *Carthaginensis* ecclesia, quæ græca exemplaria ac latina acceperat ex ecclesia Romana q), pericopam illam pro canonica & genuina agnovit. TERTULLIANUS finem pericopæ idemtidem vexatæ laudavit inter cetera ex sacris litteris oracula L. I. adversus Praxeam c. 15. En verba ipsa: *Cæterum de meo sumet, inquit, sicut ipse de patris. Ita connexus patris in filio & filii in paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero,* QUI TRES UNUM SUNT, *non unus, quomodo dictum est, Ego & pater unum sumus, ad Substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Objici

q) TERTULLIANUS L. *de Præscriptionibus adv. hæreticos* p. 108-109. *Basil.* 1550. *fol.* "Percurre „ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc „cathedræ Apostolorum suis locis præsiden„tur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eo„rum recitantur, sonantes vocem & repræ„sentantes faciem uniuscujusque. - - Ha„bes Romam, *unde nobis quoque autoritas præ„sto est*" C. 36. Ad propria Apostolorum scripta seu MSta delegavit eos, qui dubitare volebant, an apographa & versiones inde factæ essent incorruptæ, & genuinæ. cf. FRICKII *Comm. de cura veteris ecclesiæ circa SSam.* c. 4. §. 4. Cel. FERDIN. STOSCHIUS *de Epistolis Apostolorum idiographis* §. 20, 21. *Guelf.* 1751. 8.

jici nobis non potest a quoquam, *Tertullianum* primæ Joannis epistolæ canonicam auctoritatem denegasse, vel enunciata ex hac adhibuisse nunquam. Nam qui non tractavit viri scripta perfunctorie, in eum objectionis ejusmodi cadere non potest conatus. Ex superfluo adscribam hisce ultima *Tertulliani adversus Praxeam*, quæ propemodum omnia ex Joannis epistola prima fuerunt desumta. En illa: „Quid enim erit inter nos „& illos, nisi differentia ista? quod opus „Evangelii, quæ est substantia Novi Te„stamenti, statuens legem & prophetas us„que ad Johannem, si non exinde *Pater &* „*Filius & Spiritus tres* crediti *unum* Deum „sistunt? Sic Deus voluit novare sacramen„tum, ut nove unus crederetur per Filium „& Spiritum, ut coram jam Deus in pro„priis suis nominibus & personis cognosce„retur, qui & retro per Filium & Spiritum „prædicatus non intelligebatur. Viderint „igitur antichristi, qui negant r) Patrem & „Filium. Negant enim patrem, dum eum„dem filium dicunt, & negant filium, dum „eumdem Patrem credunt, dando illis, „quæ non sunt; auferendo, quæ sunt. Qui „vero confessus fuerit Christum filium Dei „non

r) 1 Jo. II, 12.

„non patrem, Deus in illo manet & ipſe in „Deo s). Nos credimus teſtimonium t) Dei, „quo teſtatus eſt de filio ſuo: Qui filium „u) non habet, nec vitam habet. Non „habet autem filium, qui eum alium quam „filium credit.„

In hac clauſula *Tertulliani*, ex verbis Joannis compoſita, non temere illa exſtant: *Pater & Filius & Spiritus, tres unum.* Eadem ratione ſupra c. 15. ex profeſſo de Deo triuno ex enuntiatis ſacrarum litterarum egerat, ad liquidum & proximum ſenſum facientibus. Non aliunde ea hauſerat, quæ verbis illis, *Tres unum ſunt*, priora & poſteriora ſunt. CYPRIANUS *de Unitate eccleſiæ* ſatis dilucide: „Dicit Dominus: *Ego* „*& Pater unum ſumus.* Et iterum, de *Pa*„*tre, Filio & Spiritu Sancto* ſcriptum eſt: „*Et hi tres unum ſunt.*„ Conſentiunt libri manuſcripti. FULGENTIUS *Africanus* plane indicat in *Reſponſione contra Arianos* ſub finem, verbis iſtis *Cyprianum* reſpexiſſe ad 1 Jo. V, 7. Denuo CYPRIANUS in *Epiſt. ad Jubajanum* ad hunc locum per verba *Tres unum ſunt* animum adpellit. VIGILIUS

s) 1 Jo. IV, 15.
t) 1 Jo. V, 9.
u) Ibi v. 12.

LIUS x) L. I. de *Trinitate* eodem respicit per verba: *Tres sunt, qui testimonium dicunt* y) *in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus & in Christo Jesu* z) *unum sunt.* In Italica versione, quam *Vigilius* sequebatur, non legebantur verba illa *In Christo Jesu.* Quamobrem illa pro explicatione *Vigilii* reputari debent. *Enarratio Pseudo-Athanasiana in symbolum* Apostolicum, à J. BLANCHINI ex membranis vetustis Veronensibus *Veronæ* 1732. 4. edita, p. 59. testimonium illud cœleste habet, ipsa emendato per *Hieronymum* utique codice Italicæ biblico antiquior, siquidem ex *Italica* versione promit enuntiata biblica. VIGILIUS *Tapsensis Episcopus*, in *Libro contra Varimadum Arianum*, sub *Idacii Clari* adpellatione in *Bibliotheca Patrum* emisso, idem testimonium protulit. Postquam enim ipse Evangelium Joannis adlegaverat, sic pergit "Item ipse „*ad Parthos* a): Tres sunt, qui testimoni-

„um

x) *To. VIII. Bibl. Patrum. p.* 775. *sq. F. & p.* 793. *H.*

y) Altero in loco legitur *dant.*

z) FULGENTIUS cum *Cypriano* habet *Et tres unum sunt.*

a) Parthi tunc Babyloniam tenebant, quum scriberet Ioannes. Per Parthos Babylonii, & per hos Iudæi, designantur a Joanne. Scripsit enim ante excidium Hierosolymæ ad Christianos

„um perhibent in terra: Aqua, Sanguis, &
„Caro. Et tres in unum b) ſunt. Et tres
„ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo,
„Pater, Verbum & Spiritus, & ii tres u-
„num ſunt.„ *Vigilii Tapſitani* hæc ſunt ex *Libro* VI. *de Trinitate ad Theophilum* p. 70. in *Mariæ Blanchini* illa Sylloge:

„*Pater* Deus, *Filius* Deus, *Spiritus*
„*Sanctus* Deus; & tres unum ſunt.„

Eſt mihi *latinus* codex MStus ad manus, pro *Corbeienſibus* monachis Sæculo IX. aut X. exaratus, in quo teſtimonium trium in terra teſtium præcedit quoque illud trium teſtium teſtimonium in cœlo. CASSIODORUS ſeu, ut SCIPIO MAFFEJUS contendit eſſe legendum, *Caſſiodorius* pericopam illam confirmavit c) & pro genuina habuit, ita ſcribens:

„Cujus rei teſtificantur in terra tria
„myſteria, aqua & ſanguis & ſpiritus, quæ
„in paſſione Domini leguntur impleta; in
„cœlo

nos Hieroſolymitanos tres ſuas epiſtolas, quarum ſecunda ætatem habuit ante primam.

b) Vitio librarii ibi legitur *nobis*. In *Italica* & *Vulgata* ibi legitur *unum*,

c) *Complexion. in I. Ioann* p. 145. in Opere *Scip. Maffeji Opuſc. eccleſiaſt. in calce Voluminis Iſtoria theologica Trenti* 1742. *fol.*

„cœlo autem Pater & Filius & Spiritus „Sanctus. Et hi tres unus est Deus.„

Non ad verbum hæc sunt expressa, sed summæ sensus congruenter, qui nos Patribus passim familiaris fuit. Res tamen ipsa clamat, tres cœlestes ac terrestres ex notissimo Joannis loco fuisse decerptos.

VICTOR *Vitensis* d) & ecclesia *Africana* omnis in libello fidei per Eugenium Carthaginis antistitem, quod GENNADIUS e) docet, composito, catholicorum omnium Episcoporum, subscriptione firmato, sic sententiam suam professi sunt:

„Joannis Evangelistæ testimonio com„probatur. Ait namque: Tres sunt, qui „testimonium perhibent in cœlo, Pater, „Verbum, & Spiritus Sanctus.„

Libet duo AUGUSTINI loca hisce addere. Unus legitur in opusculo *contra Maximum* L. II. n. 3. hunc in modum: *Hi sunt tres testes, & tres unum sunt, quia unius substantiæ sunt.* Alter legitur in op. *de Civitate Dei V*, 11. ita: *Deus itaque summus & verus cum verbo suo & Spiritu Sancto, quæ tria unum sunt.*

Quæ-

d) *De Persecutione Vandalica L. III. p. 42. 66.*
e) *De Viris illustribus c. 97.*

Quæritur, an pericopa illa notiſſima in antiquis fideique plenis Codicibus græcis legatur. Qui adſimant id ipſum, monere ſolent, auctores bibliorum *Compluti* publicatorum, ALDUM MANUTIUM & ROB. STEPHANUM ipſumque ERASMUM inde ex anno 1522. in editionibus ſuis eam græce evulgaſſe, ideoque in vetuſtis codicibus græcis inveniſſe. XIMENIUS certe, in *Prologo* Complutenſibus bibliis præmiſſo Papam compellans, adfirmavit, ſe vetuſtiſſimis & caſtigatiſſimis archetypis uſum eſſe atque ex ipſis quidem græcos codices ſanctitati ipſius debere, quippe qui ex iſta apoſtolica bibliotheca antiquiſſimos cum veteris tum novi Teſtamenti perquam humaniter ad *Ximenium* miſerit. *Manutium* ſemper codices vetuſtos perquiſiviſſe, tradunt, græce N. T. editurum. *Rob. Stephanus* prædicavit ipſe, ſe codices ob antiquitatem adorandos ad N. T. græcum recte edendum conſuluiſſe. *Alexandrinus* Codex *Londinenſis*, a *Cyrillo Lucari* transmiſſus, dicitur f) pericopam noſtram habere. Inter Codices *Veronenſes Capitulares* Latinos tres codices eam pericopam lectori offerunt, litteris majoribus deflectentibus exarati, quorum

f) Falſum id eſt. WETSTENIUS *p.* 723. *To. II. Novi Teſtamenti Græci.*

rum ætas a millenario non abeſt. Unus ex his catholicas epiſtolas exhibet neque in capita diſtinctas neque in verſiculos, ſed continenti oratione. Cœleſtium in eo teſtimonium videas, terreſtrium haud æque g). M. V. LA CROZE inter primos fuit nuper, qui genuinam hanc eſſe pericopam negavit, epiſtola ſingulari ea fini conſcripta h) Poſt ætatem *Lutheri* idem jam ſenſit BUGENHAGIUS i) Eamdem ſententiam amplexi fuerunt EMLYNUS, JO. DAV. MICHAELIS, JO. JAC. WETSTENIUS, RICH. BENTLEY, *auctores* novellarum litterariarum *Gœttingenſium* k) & vir max. rever. JO. SAL. SEMLERUS l). *Illi* contendunt, in nullo græco codice cum genuina auctoritate pericopam ante annum 1500 legi. SKELTONUM Anglum, ſecus ſentientem ac pericopæ auctoritati faventem, eidem refellere ſtudent. *Skeltonum* præiverant MILLIUS,

g) BLANCHINUS in *Evangeliarii quadruplicis Appendice P. II. Vol. II. p.* 601. *B. a.*

h) In C. E. J. *Hiſtoire d'un Voiage literaire p.* 152. *ſ. à la Haye* 1735. 8.

i) In L. *Ionas prophetа expoſitus* in *ultima plagulæ d pagina. Witteb.* 1550. 8.

k) Anzeigen von gelehrten Sachen 1755. *p.* 1377.

l) Einleitung in die dogmatiſche Gottesgelahrtheit vor dem III. Bande der Evangeliſchen Glaubens-Lehre D. Baumgartens, p. 5. ſq. Halle 1760. 4.

US, & WHEATLY, deliciæ Britannorum. EMLYNO vindicias pericopes oppoſuit. DAV. MARTIN, miniſter eccleſiæ Trajecti ad Rhenum. RICH. SIMONIUM, pericopen qui exauctoravit, refellerunt SMITHUS, GRABE in *Adnotat.* ad *Bulli Defenſionem fidei Nicænæ ſect.* II, *c.* 11. fol. 139. §. 3. ſ. ac J. H. MAJUS in *Exam. hiſt. crit. Simon.* c. 8. Exercuerunt induſtriam ſuam in vindicanda pericope JO. GERHARDUS *Diſput. acad.* Part. II. JO. ANDREAS in *Diſſertat.* peculiari, GOTHEFR. WEGNERUS *in Vindicat. teſtimonii trium teſtium in cælo* Jen. 1690. 4. FRID ERN. KETTNERUS in *Hiſtoria dicti Joannei Quedlinburgi* 1696. 4. JO. MILLIUS in *Proleg.* ad editionem ſuam *N. T. Græci* & in *notis ad* 1 *Jo V*, 7. nec non C. M. PFAFFIUS *de var. lectionibus* N. T. p. 219. ſ. Diſſeruit de ea b. m. FR. AD. LAMPIUS m) nonnihil, adjecto hoc judicio: *Quanto molimine in utramque partem diſputatum ſit, nemo neſcit. Neque negari poteſt, ab oppugnantibus produci, quæ ſpeciem inſignem habent; ſed adhuc fortiora nobis requiri videntur.* Auctoritatem pericopes tuentur varia argumenta. Nam 1) fa-

m) *Vol. I. Diſſertationum philologico-theologicarum Syntagmatis, Amſt.* 1737. 4. *Diſſ VI.* §. 6. *p.* 171.

1) facilius aliquid excidit, quam inferi poteſt. Excidit in aliis etiam Autorum locis aliquid, ubi duo enuntiata proxime ſequentia eisdem vocibus initiálibus n) gaudent. 2) Nihil per hanc pericopen inferitur contextui, quod ab eo vel Joannis ſtilo eſt alienum. Illud *in terra* plerumque in altero enuntiato legitur in Codicibus latinis vetuſtiſſimis. Videtur id omnino convenire cum illo *in cœlo*, ἐν τῷ ἐρανῷ, *in illo aere* ſupra Jordanem, quum Jeſus baptismum ſuſciperet. Græce, non dici in LXX, apud exteros Scriptores, & in N. T. Græco ἐν τῇ γῇ, ſed potius illud ἐπὶ τῆς γῆς pro *in illa regione*, *ſuper illa terra*, falſum eſt o) omnino. Nam videtur indicari non generatim tellus, ſed *illa regio*, in qua Jeſus cruci fuit adfixus, in quam venit p) non cum ſanguine

n) Id contigit in *Veronenſi* illo pervetuſto latino codice, in quo inciſum 7. legitur, deeſt vero octavum. Conf. WETSTENII *Proleg.* p. 44.52.

o) LXX. *Deut. V*, 31. *VI*, 1. *Pſ. VIII*, 2. *XXIII* (24), 1. *Nehem. V*, 14. 1 *Macc. I*, 9. 52. *III*, 29. 40. *Matth. V*, 31. *IX*, 31. *Luc. VIII*, 15. *XII*, 51. *Act. VII*, 36. *Apoc. XIII*, 3. Illud ἐν τῷ ἀρανῳ eſt *in illo aëre*, & illud ἐν τῇ γῇ eſt *in illa regione* Palæſtinæ ad Hieroſolymam.

p) *Venire* de calamitate ingruente, 1 *Macc.* VI, 11. & homine, quem tangit.

guine ſolo, quem effudit, ſed etiam cum aqua, quæ ſeparata jam a ſanguine fluxit ex latere ejus transfixo, poſtquam animam manibus Patris tradiderat, morte in cruce defungens. Venit ibi in cruce ad mortem. 3) Congruit teſtimoniūm hominum ad nuntiationem de morte Jeſu, qui animam commiſerat manibus Patris & ex cujus latere transfixo profluxerat ſanguis & aqua; quadrat ad teſtimonium, quod Deus de filio ſuo perhibuit. teſtimonium cœleſte Jordanicum, tres perſonas unius Dei arguens. 4) Vetuſtiſſimi Latini codices & ipſa verſio *Italica* pericopen habuerunt ante inventam trium teſtium terreſtrium expoſitionem myſticam. 5) Latini illi codices e græco facti ſunt, quum authenticæ ſeu originales Apoſtolorum litteræ adhuc exſtarent. 6) Necdum certo adfirmari poteſt in nullo codice græco ante annum 1500. adparere pericopam, quam quippe in concilio *Lateranenſi* a. 1215. manibus ſuis terebant Græci. Et quis omnes manuſcriptos N. T. codices vidit vel examinavit. 7) Licet non innotuerit certiſſimus modus, quo pericope ex codicibus græcis excidit, in quibus non legitur; inde tamen contra ejus authentiam nil certi poterit conſtitui. Sæpius enim rei fit jactura, cujus modum, quo excidit, ignoramus. Hæc ſunt potiſſima argumen-

ta q), quæ pro vindicanda pericope in medium proferri poſſunt. Scrupulum omnino id movet, quod codices græci plures nondum producti ſunt in lucem, quibus continetur illa pericope, & qui vetuſtate ac auctoritate gaudent. An aliud enuntiati alicujus exemplum in græco novi fœderis volumine habeatur, quod tam diffuſæ omiſſionis nomine notatum ſit, merito dubitamus: In hoc clivo ſudamus: Remedium a diligentia ſecuturæ ætatis videtur exſpectandum. Dolemus, epiſtolam ISAACI NEWTONI ad hunc locum in lucem nondum prodiiſſe.

§. 26.

PericopæV. Teſtamenti apocryphæ in omnium notitia verſantur. Referendus eſt in earum numero *Pſalmus* 151, in LXX. codicibus legi ſolitus, quem Arabica aliæque verſiones habent, & quem laudant jam ATHANASIUS, VIGILIUS *Tapſenſis*, EUTHYMIUS, aliique r). In libro *Eſteræ* varia

q) Laudarem *præfationem Hieronymi in primam Johannis epiſtolam*, niſi iſthæc *Hieronymo* eſſet ſuppoſita &, VILLARSII judicio, a genuinis illius Codicibus abeſſet, fœtus quippe ſeculi IX.

r) JO. ALB. FABRICIUS *in Cod. pſeudep. N. T.* p. 908. ſ.

ria habentur apud Græcos, quæ in fonte hebræo non leguntur, partim ante initium, partim capite III. inter v. 13 & 14, partim IV. inter v. 17. & cap. V. hujusque ante inciſum ſecundum, præterea ſub finem c. VIII, 12. ac in Libri calce. In librum *Tobiæ*, olim brevem, & notitiæ domeſticæ inſervientem, multa a Græcis, fabulas redolentia, paſſim intruſa ſunt. *Secundus Maccabæorum* liber duobus primis capitibus, ad commenta referendis, olim fædatus fuit, ab Auctore non profecta, niſi eum fabulis delectatum fuiſſe, credamus. Pericopæ autem illæ, quæ ſermone græco & poſt Malachiæ ætatem publicatæ fuerunt a Judæis, divina auctoritate non fulgent, ideoque Canonicorum librorum in numero referendi non ſunt, quemadmodum JOSEPHUS s) & HIERONYMUS t) nomine illius eccleſiæ, cui erant addicti, aperte confeſſi fuerunt. Uterque libros V. T. Canonicos ac Divinos numerat XXII. non plures. *Joſephus* ab eis diſcernit ſcripta, quæ poſt Artaxerxis Perſarum Regis imperium litte-

 ris

s) *Contra Apionem L. I. §. 8. p. 441. ed. Havercamp.*

t) In *Præfat. ad Librum Regum* ſeu *in Prologo galeato f. 7. B. C. D. T. IV. Opp. Baſil. 1516. Præfat. in Proverb. f. 10. D.*

ris consignata sint, quippe minoris auctoritatis nec pro libris Divinis habenda. *Hieronymus* vero ea adpellat *Apocrypha*, & a Canonicis disjungit; tantum abest, ut, eorum nonnulla a Synodo *Nicæna* in Canonicorum numero censa fuisse, potuerit testari. u)

§. 27.

Foret mihi tandem aliquid dicendum de pericopis, e quibus aliquid vel per Autographi calamitatem vel per librarios, similitudine quadam enuntiationum succedentium & subjunctarum abductos, vel ex alia quacunque causa excidit, nisi hunc campum jam supra passim attigissem. Dabo tamen aliquot exempla, ut nemo non intelligat, librarios x), typographos & horum correctores non ubique officiis suis feciisse satis. In manibus est Novum Testamentum Græcum, quod sumtibus Græcorum curaque ER. SCHMIDII *Vitebergæ* 1622. 4. publicatum fuit, præfixo titulo græco. Præter plurima inibi menda memorabile illud est, quod legitur *Matth.* XIII, 38. ubi ea, quæ inter

u) Intrusa igitur est pericopa in *Hieronymum*, qua fertur ipsum f. 9. D. Nicænam synodum in numero sacrarum litterarum computasse librum Judith, narrasse.

x) *Hieronymus* in *Comm. ad Matth.* XIII, 35.

inter οἱ υἱοὶ & τῦ πονηρῦ ponenda, omissa sunt ita: τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, ἔτοι εἰσιν οἱ υἱοὶ τῦ πονηρῦ. *Luc.* XII, 48. ibi legitur: παντὶ δὲ ᾧ ἐδόθη πολύ, ζητηθήσεται παρ' αὐτῦ καὶ ᾧ παρέθεντο πολύ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτον. Omittitur in plerisque editionibus *Matth.* I, 11. aliquid, quod ex 2 *Reg.* XXIV. XXV. restitui potest & in Codicibus aliquot antiquis ita legitur: Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ, Ἰωακείμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν καὶ τῦς ἀδελφῦς αὐτῦ, ubi καὶ τῦς ἀδελφῦς αὐτῦ ad τὸν ιωακείμ erant ponenda. Codices ejusmodi ex sæculo septimo vel octavo, ac decimo excitat B. DE MONTFAUCON in *Diario Italico* c. 21. p. 308. Dixi de hoc loco alias. SEB. CASTELLIO *Joakimum & fratres ejus. Joakim vero generavit Jechoniam* restituit. Causatur tamen WETSTENIUS, Codices, qui Joakimum hoc loco habeant, non esse sat antiquos y) & aliquot suspectos. In loco 1 *Cor.* XV, 51. jam codices quidam græci, teste *Hieronymo*, habebant *non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur*, alii sensu inverso, ut in *Vulgata*. Priorem lectionem adprobavit *Hieronymus*. z)

y) *Pag.* 229. *To. I.*

z) *Ep. ad. Minerium Alexandrum fol.* 85. *D. To. IV. Opp. Basil.* 1516.

§. 28.

Patres enuntiata V. T. quæ in N. T. leguntur, *pericopas* adpellant modo singulari. Recensentur illa, in IV. Evangeliis obvia, secundum hebraicam veritatem, editionem vulgatam latinam, græcam LXX Seniorum & antiquam Italam, in *Adpendice Evangeliarii quadruplicis* seu P. II, Vol. II. p. 605, s. *Evangeliarii* illius, per BLANCHINUM *Romæ* 1749. *fol* editi. Pericopas illas universas recensuit ac illustravit SURENHUSIUS in Βίβλῳ καταλλαγῆς. Dantur præterea in V. T. pericopæ ex libris *deperditis* adlegatæ, & in N. T. pauca ex profanis scriptoribus ac ex Poëtis primis Christianis, Spiritu Sancto adflatis ac Prophetis eisdem, traducta. Paulus ex Poëtis, *Arato* & *Cleanthe* adlegavit *Act.* XVII, 18. illud: τοῦ γάρ καὶ γένος ἐσμέν. *Nam ejus etiam genus sumus. Aratus* hæc habet initio *Phænomenorum* & *Cleanthes* pariter in *Hymno* v. 4. Paulus tradidit igitur recte, aliquot Poëtas græcos hæc dixisse a). Paulus *Titum* monet versiculi, quem de indole Cretum Poëta memoriæ prodiderit *Tit.* I, 12. *Epimenidæ* tribuunt versiculum Viri

a) JO. ALB. FABRICIUS in *Bibliotb. gr.* III. p. 397.

ri docti b), adeo olim pervulgatum, ut initium ejus χρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι CALLIMACHUS *Hymn.* I. v. 8. repetiverit. Ex ode *Poetæ Christiani* videtur jambus hic Ναζωραῖος κληθήσεται *Matth.* II, 23. desumtus fuisse, lectus olim in libro, quo hymni ac odæ Prophetarum Christianorum continebantur. Tres *jambi scazontes Eph.* V, 14. ex eodem fonte videntur manasse. Dolendum, nil primarum cantilenarum, ad Prophetas illos referendarum, supereſſe. HIERONYMUS in *Commentario* ad illum Pauli locum docet, pericopam ex scripto *Apocrypho* desumtam esse. Ad *Eliæ Apocrypha* nos delegat EPIPHANIUS c), ad *Pseudo-Jeremiam* GEORG. SYNCELLUS d). Triumviris hisce non illuxit mensura poëtica, quæ inest adlegatæ a Paulo pericopæ. Ex *Poëta Christiano* depromsisse videtur *Jacobus* IV, 5. hanc versiculi partem: πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ. Differui alias de hoc loco. Undenam ille jambus, μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, qui *Gal.* V, 9. & 1 *Cor.* V, 6. legitur, fuerit depromtus, dicere non habeo. Jambum illum, φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαὶ, ex

b) EZ. SPANHEMIUS in *Notis ad Callimachum p.* 6. s.
c) *Hæres.. XLII p.* 372.
d) *Chronograph. p.* 27.

Menandro traductum esse, novimus ad unum omnes e). Leguntur in scriptis novi Fœderis passim *hexametri* versiculi, & deprehenduntur in eis subinde *pentametri*, qui tamen seorsim sumti sententiam seu propositionem logicam non efficiunt, nec per modum adlegationis sese offerunt. Idcirco, eos esse illius generis, quod vocant *fortuitorum*, nemo dubitat. Videtur Paulus 1 *Cor.* XV, 3-6. ex libris seu voluminibus prioris Fœderis comprobasse Jesu a mortuis resurrectionem. At, quo minus sic rationes putemus, momenta nos impediunt haud una. En locum ipsum, antequam ad tribunal eamus. *Tradidi*, inquit Paulus, *vobis inprimis, quod etiam traditum suscepi, Christum obiisse pro peccatis nostris, secundum sacras litteras: & sepultum esse, & excitatum fuisse tertio die, secundum sacras scripturas.* Huc usque illud κατὰ τὰς γραφὰς legitur, quod omnino videtur cum verbo παρέδωκα esse jungendum. Quid vero docebant illæ litteræ excellenter sic dictæ? Tradebant jamtum, Jesum pro peccatis hominum obiisse mortem, sepultum fuisse, ac revixisse tertio die & in lucem prodiisse vivum. De tertio die resurrectionis Messianæ

&

e) GOTH. OLEARII *Diss. de Scriptoribus profanis a Paulo Apostolo allegatis, Lipsi.* 1701. 4.

& de hac, jam post mortem & sepulturam effectui data, in veteris Testamenti libris nil legitur, nec de tribus hisce gradibus Jesu glorioſe redivivi, jam præterito tempore resurrectionis, ex illis quicquam poterat adlegari. Facta enim hæc esse & transacta, Paulus docuit congruenter litteris librisque Divinoribus. Scripta enim jamtum erant aliquot evangelia, e quibus notitia illa constabat Christianis. Ex his igitur Paulus decerpsit commemorationem suam. Ita extricata est maxima difficultas, quæ adhuc Interpretes distrinxit. Sunt, qui in *Jo.* VII, 38. adlegatam e V. T. pericopam sibi videre videntur, quam tamen invenire in hoc nequeunt. Mihi non licet esse tam perspicaci, ut id ipsum ibi cernam. Incisum illud potius ita in latinum verto: *Qui credit in me, quemadmodum dixit Scriptura illa* Divina, sicut illa Divinitus jusſit, hominum esse in me fiduciam collocare (Ps. II, v. ult.), *ex ejus intimis fluent fluvii aquæ vivæ*, i. e. ipse f) charismatibus Spiritus Sancti quasi fluminibus adfluet. Ex loco 1 *Cor.* XV, 45. putant nonnulli Patrum colligi posse, adlegata fuisse quædam e V. T. quæ interciderint. Ratiocinationis robur

f) HIERONYMUS *ab Hedibiam quæst. IX. f.* 65. *C. To. IV. Opp.*

bur mihi non pellucet. Distinguo adlegationem ab accessione ad eam. Accessio est Pauli declarantis priora, non adlegantis. En verba loci ipsa: *Sic etiam scriptum est: Fiebat primus ille homo Adam persona viva.* Adlegatum hoc est ex Gen. II, 7. Quæ sequuntur, sunt Pauli pergentis ita: *Postremus* (posterior) *Adamus* factus est *Spiritus* vivificans: voluit indicare, posteriorem Adamum priori inspirasse & dedisse vitam, siquidem per Verbum hypostaticum facta sunt omnia & ipse prior Adamus. Paulus nonnunquam sententiam exprimit phrasi aut enuntiatione integra, LXX. Interpretibus trita, licet cum his de re eadem haud differat nec ex illis probationem desumat. *Virgilius* haud aliter sæpe *Homeri* loca in versus suos, ad alia omnia digressus, transfundit. Quis isthæc in censu adlegationum referet? In *Matth.* XXVII, 9. videtur id, quod dictum sit per *Jeremiam* g) Prophetam, adlegari. At *Syrus* Interpres ibi Jeremiam non habet, HIERONYMUS credit, Jeremiam huc irrepsisse ex Apocryphis & suppositiis scriptis Jeremiæ, ad quæ provocatur 2. *Macc.* II, 1. ORIGENES idem jam senserat. Eadem fiducia olim librarii non-

g) *Zacharias* indicatur. Undenam ortum fuerit mendum, non audet definire J. J. WETSTENIUS *p.* 529. *To. I.*

nonnulli addiderant mentioni Prophetæ *Marc.* I, 1. nomen *Jesaiæ*, quod a quodam in margine antea videtur fuisse scriptum. Id quod legitur 2 *Petr.* II, 4. ex libro *Enochi* putat h) adlegatum esse G. SYNCELLUS, & quidem ex hisce verbis: *Altissimus sanctissimis Archangelis imperavit, & ipsi eorum antesignanos ligaverunt ac deiecerunt in abyssum* ἕως κρίσεως, *usque ad judicium.* J. E. GRABIUS i) a *Syncello* non dissentit. Rem ipsam fuisse per manus scriptisque propagatam, intelligitur ex *Sap.* XVII, 17. *Apoc.* XX, 1. 2. *Enochi* seu *Anaci* clamor exteris non fuit ignotus. Librum *Enochi* ex prisco Scripto Judaico fusius compositum fuisse, vix videtur dubitandum. *Judas* Apostolus ex fonte illo pervetusto videtur bibisse. Varias aliorum sententias exhibuit J. A. FABRICIUS in *Codice pseudepigr. V. T.* & J. C. WOLFIUS ad *Judæ Ep.* v, 14. 15. Adlegavit Paulus locum *Jesaiæ* LXIV, 4. in 1 *Cor.* II, 9. Hoc testimonium legitur æque in *Apocalypsi Eliæ*, licet, teste EPIPHANIO k) id ex loco Jesaiæ tanquam fonte primo per paraphrasin haustum fuerit. Erravit ORIGENES, qui illam Pauli

h) *Chronogr. p.* 13. *Paris* 1652.
i) *Spicileg. Patrum Sæculi I. p.* 135.
k) *Hæres.* XL. §. 2. LXVII. §. 3.

li pericopam, sibi persuasit l) cum G. SYNCELLO m) in nullo libro canonico, nisi in *Apocryphis Eliæ*, inveniri. Verba 1 *Thess.* II, 16. J. E. GRABE n) credit desumta esse ex *Testamento Levi* sect. 6. p. 162, licet nondum ostenderit, *Testamentum XII Prophetarum* jam tunc exstitisse, quod fœtus *Ebioniticus* esse videtur. Quidni Paulus per experientiam edoctus esse poterat iram Dei, quæ jam cœperat, Judæis ad internecionem, certe ruinam, incubare? Miror tandem, quod HIERONYMUS in *Comment. ad Tit.* I, 1. *& ad Ephes.* V, 14. atque ORIGENES in fine *II. Homiliæ in Cant. Canticorum*, Hieronymo interprete, tradiderunt, ab Evangelistis & Apostolis multa ex Apocryphis esse adsumta & adlegata o). Ex Judæorum Apocryphis, nominatim ex *Adscensione Mosis* ORIGENES *de Principiis* III, 2. & EPIPHANIUS ex vetusta traditione, disceptationem Archangeli Michaëlis cum diabolo, quam memorat *Judas* v. 9. arcessunt Interpretes. Quæ enim Iudæis credebantur

l) HIERONYMUS *L. XVII Commentarii in Jes. XLIV.* ORIGENES *Tractat. XXX. ad Matthæum.*

m) *Chronogr. p.* 27.

n) *Pag.* 138. *l. c.*

o) J. ERN. GRABE *p.* 137. *l. c.*

tur certa, cur ab eis se Apostoli abstinere debebant.*)

Synopsis præcedentis Meletematis.

§. 1. Pericopæ quid sint, & earum passim defectus chronologicus, indicatur. §. 2. Inquiritur in causas ejus defectus. §. 3. Traditur methodus recte definiendi pericopas atque distribuendi. §. 4. Cautio de partibus pericoparum non divellendis adfertur. §. 5. Tentatur divisio pericoparum Ecclesiastæ Salomonis. §. 6. Pericopæ Geneseos quædam loco suo ac ordini chronologico restituuntur. §. 7. Tractatio de pericopis recte ordinandis utilis est, non noxia. §. 8. Exempla pericoparum N. T. in loca sua reponendarum adferuntur. §. 9. Abusui tractationis talis criticæ occurritur per exemplum. §. 10. Pericopa, quæ legitur Exod. XVIII. non est loco movenda. §. 11. Differitur de pericopis, tam carentibus titulo, quam eo instructis. §. 12. Labores, in Prophetarum pericopas ordinandas impensi, delibantur. §. 13. Traduntur regulæ, pericopis eruendis aptæ. §. 14. Cautio de parallelismo pericoparum vel constituendo vel prætermittendo.

§. 15.

*) Quoad transpositiones Pericoparum a librariis factas monendum duxit Cel. Doctissimi hujus Meletematis Auctor, ut memorabili exemplo rei fidem confirmet, a Cel. Jo. MATTHIA GESNERO, sub finem *Chrestomatiæ Græcæ*, *Encomium Demosthenis Lucianeum*, a librario quondam transpositum, suo loco feliciter fuisse restitutum *Lipsi.* 1731. 8. 1742. 1755. remque ipsam repeti in *Actis Erudit*, 1731, *p.* 452, N. B.

§. 15. Fons turbidus parallelismi pericoparum quæsiti. §. 16. De pericopis ex una versione in alteram traductis. §. 17. Exponitur copiosius de pericopa Marci XVI, 17. 18. §. 18. De additione, in loco Jo. III, 6. olim adsuta contextui. §. 19. De pericopa Jo. V, 3. 4. 5. quæ vindicatur. §. 20. Historia de adultera, Jo. VIII, 1-11. comprehensa, vindicatur. §. 21. Pericopa Lucæ XXII, 43. 44. expenditur. §. 22. De transpositionibus pericoparum disseritur. §. 23. De enuntiatis ac pericopis aliunde insertis. §. 24. De doxologia, quæ Matthæi VI, 13. legitur. §. 25. De pericopa 1. Jo. V, 7. disseritur. §. 26. De pericopis V. & N. T. quæ ex apocryphis dicuntur decerptæ, carptim exponitur. §. 27. Exempla proferuntur, ex quibus constat librarios & Typographos & horum correctores officiis suis non fecisse satis. §. 28. De allegatis V. T. in Novo Test. allegatis etiam ex Poetis in N. T.

II.

JACOBI SCHEPPII,

ECCLESIÆ HORNBACENSIS PASTORIS

DISSERTATIUNCULA EXEGETICA,

DE

PALO INFIXO CARNI,

PAULO APOSTOLO DATO, QUA SIMUL EJUS APOSTOLATUS ADVERSUS OBTRECTATIONES ADVERSARIORUM VINDICATUR.

II. CORINTH. XII, 7.

Εδόθη μοι σκόλοψ τῇ σαρκί, ἄγγελος Σατανᾶ, ἵνα με κολαφίζῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

§. I.

Locum, cujus elucidationi me nunc accingo, haud immerito, cum Cl. ZELTNERO, Criticorum ac Interpretum S. literarum crucem dixeris. Ipsam locutionem metaphoricam esse omnes quidem uno ore confitentur, sed a quo simili desumta sit metapho-

phora, varii varie ſtatuunt. Alii de ſudibus, quibus tum temporis Chriſtianorum corpora a perſecutoribus perforata ſint, alii de flagellatione ſive Judaica ſive Romana, alii de ſtimulis, quibus boum arantium pedes pungere ſolebant veteres, alii aliter, cogitant. Quis per Angelum Satanæ intelligendus, ſimiliter inter Interpretes non convenit. Phraſin in concreto conſideratam, quidam de morbo, melancholiæ hypochondriacæ ſimili, cum animi anxietatibus conjuncto, vel de capitis dolore, interpretati ſunt. Alii de calamitatibus variis, quibus Apoſtolus agitatus eſt, acceperunt. Alii, quæ omnium tritiſſima eſt ſententia de ſpiritualibus & ſublimioribus tentationibus expoſuere, quibus a Satana vexatus ſit. Nonnulli denique de vero ejus ſenſu eruendo plane deſperantes nihil definierunt, citante Celeb. WOLFFIO in *Curis philologicis ad* h. l.

§. 2.

Tanta ſententiarum divortia, tantorumque virorum in hac cauſſa profeſſa ignorantia, me fere ab ulteriori indagine deterruiſſent. Verum enim vero apud animum meum reputans, cujusque Theologi imo Chriſtiani eſſe officium, ſcrutari ſcripturas, verumque earum inveſtigare ſenſum, atque a difficultatibus, quibus premuntur, vin,

vindicare; haud ignarus, unicum duntaxat horum verborum verum ſenſum eſſe poſſe: diligentius indagare cœpi, regulam hermeneuticam vulgo notam ſecutus: *hunc demum loci ſenſum verum eſſe, qui in nexu cum antecedentibus & conſequentibus ratio-nem inveniat, adeoque cum ſcopo dicentis congruat.* Quod ubi inſtituiſſem, neque mihi ulla ſententiarum ſupra dictarum cum orationis συναφείᾳ ſatis convenire viſa eſſet, quod tantorum virorum pace dictum eſto, alia ſe mihi obtulit, quam nunc Theologorum judicio permitto.

§. 3.

Inter veteres æque ac recentiores oraculorum Divinorum explanatores extiterunt quidem, qui τῷ σκολοπι calamitates, ac per ἄγγελον Σατᾶν adverſarium quemvis; vel unum aliquem eminentiorem innui contenderunt, aſt non definierunt, quæ præcipue calamitas Apoſtolo illata fuerit. Σκολοψ, quod a σκάπτειν, *fodere*, deſcendere mihi videtur, in genere notat id, quod acuminatum eſt ad terram fodiendam ſeu ad pungendum quamcunque rem. Inde ſignificat ſudem præacutam, vel ſtimulum vel aculeum. Perinde ergo erit, ſi metaphoram a palis præacutis, quibus priſcis temporibus ſceleratorum hominum vel etiam

Chriſtianorum corpora perfoſſa eſſe memoriæ proditum eſt, ſive a ſtimulis, quibus boves concitare ſolebant veteres, ſive ab animalculis aculeo pungentibus, derivaveris. Hoc certiſſimum eſt, Apoſtolum hac phraſi: ἐδόθη μοι σκολοψ τῇ σαρκὶ ſignificare velle, maximo ſeſe dolore eſſe affectum. Per ἄγγελον Σατᾶν indicari exiſtimo emiſſarios diaboli, ψευδαποσόλους, doctores judaizantes. Doctores Angelorum id eſt, legatorum nomine ſæpius in ſacris literis venire, tam notum eſt quam quod notiſſimum. Veritatis Doctores a Deo auctore veritatis vel immediate vel mediate mittuntur ad docendum conſilium Ejus de peccatoris ſalute. Doctores, qui depravant veritatem, pari modo a Deo ſe miſſos eſſe prætendunt, re autem vera diaboli ſunt emiſſarii, qui eorum opera maximum damnum eccleſiæ ſe inferre poſſe, probe novit. Aſtutiſſimus ille veritatis hoſtis, ipſe in Angelum lucis transformatus, Evam a veritate ad mendacium, a virtutis amore ad mali cupidinem ſeduxit. Eodem artificio uſus omni tempore, Deo permittente, emiſit homines, qui veritatis doctores mentiti bono ſemini zizania interſeruerunt. Ejusmodi veritatis depravatores eccleſiam quoque Corinthiacam turbaſſe, ex utraque Apoſtoli ad eam miſſa epiſtola conſtat. Eo quidam proceſ-

ſerant

ſerant impietatis atque impudentiæ, ut futuram corporum reſurrectionem, veritatem illam fundamentalem, vafre negaverint. 1 Cor. XV, 12. Quo tempore S. Paulus alteram ad Corinthios exaravit epiſtolam, falſi Doctores eis inſidiari nondum ceſſaverant, uti ex 2 Cor. X, 10. XI, 3. 12. 13. patet. Hos ψευδαποςόλους natione Judæos numeroque plures fuiſſe ex 2 Corinth. X, 22. colligi poteſt. Quod Apoſtolus in *numero ſingulari* de Angelo Satanæ loquitur, id ſine dubio per *enallagen numeri*, ubivis obviam, factum eſſe videtur. *Alexandrum*, *Hymenæum* atque *Philetum fuiſſe*, CHRYSOSTOMUS recte exiſtimat, qui ſi non ſoli, primarii tamen extiterunt, ſi loca 1 Tim. I, 20. & 2 Tim. II, 17. 18. conferantur. Hi Evangelii doctrinam pervertebant, non Chriſti gloriam, ſed ſuam, non eccleſiæ ædificationem, ſed proprium lucrum quærebant. In Paulum Apoſtolum, quem ſuis maxime conſiliis obſtare videbant, infenſiſſimo erant animo, ejusque virtutem atque auctoritatem detrectare omnibus viribus annitebantur. Quare ab his ſe κολαφίζεσθαι conqueritur Apoſtolus. Dictio hæc itidem impropria eſt. Illuſtrat ea non ſolum metaphoram antecedentem, ſed indicat ſimul *contumeliam cum dolore conjunctam, atque ejus auctores.* Qui pugnis cædit alium,

um, dolore, maxime vero contumelia, afficit. Teſtatur id res ipſa; teſtantur etiam literæ, cum ſacræ Hiob. XVI, 10. 1 Reg. XXII, 24. Pſalm. III, 18. Mich. V, 1. Joh. XVIII, 22. tum profanæ. Sic TACITUS *Hiſtor. L. III. C.* 31. *Circumſtiterant victores & primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox ut præberi ora contumeliis, & poſita omni ferocia cuncta victi patiebantur, ſubit recordatio* cet. Item SENECA ad *Serenum.* C. 4. *Quidam contumelia nihil putant acerbius. Sic invenies ſervum, qui flagellis quam colaphis cædi malit.* Ibid. C. 14. *Sapiens colaphis percuſſus, quid faciet? Quod Cato, cum illi os percuſſum eſſet: non excanduit, non vindicavit injuriam.* Ex contumelia animo perſentiſcit homo honeſtatis ſtudioſus tædium maximum atque dolorem. Itaque S. Paulus hac voce indicat, inſignem ſe ab adverſariis contumeliam accepiſſe, eamque vehementer ſibi dolere. Quemadmodum autem in toto univerſo nihil caſu fortuito accidit, ſed omnia provida Dei cura gubernantur, ita etiam Apoſtolus, Deo ſapienter permittente ac moderante, contumeliam hanc ſibi fieri agnoſcit. Ne criſtas tollerem, inquit, ne efferrem me ſupra συνδάλης, ob revelationum, quibus me præillis dignatus eſt Deus, præſtantiam, *datus eſt mihi palus, ſeu aculeus carni, id eſt cor-*

pori,

pori, *infixus*. Caſtigat me hoc malo Deus, ut malum gravius, arrogantiam, a me avertat.

§. 4.

Inquirendum nunc reſtat, qua in re contumelia, quam Paulus a Pſeudapoſtolis ſe paſſum eſſe queritur, conſtiterit. Non verberarunt corpus, non diripuerunt bona, non expulerunt patria, ſed conviciis proſciderunt, dignitate, quæ in eccleſia Dei maxima vitaque ipſi carior fuit, depellere allaborarunt, *inficiati ſunt*, *eum ex Apoſtolorum eſſe numero*, *atque adeo ſe*, *ſi non ſuperiores*, *pares tamen eſſe ipſi*, *jactitarunt*. *Hi fuerunt calumniarum aculei*, *quibus beatus Paulus punctus*, *hic palus fuit præacutus*, *quo perfoſſus eſt*.

§. 5.

Verum hunc loci noſtri eſſe ſenſum, ex ſequentibus patebit. Namque ψευδαποστολους, miniſtros & Angelos Satanæ Apoſtolo adpellatos, in eccleſia Corinthiaca extitiſſe, ſupra demonſtratum eſt. Hos conviciatos eſſe, conſtat ex 1 Tim. I, 20. Conviciati autem ſunt vel Deum vel homines. Non Deum, quoniam tunc non mentiti eſſent Angelos lucis, ſed aperte ſe Diaboli miniſtros prodidiſſent. Ergo homines. Quos ve-

vero? Profecto S. Paulum, conquestum, Alexandrum multa sibi mala exhibuisse 2 Tim. IV, 14. confer. 2 Cor. X, 10. Conviciari est perfectiones, quibus aliquis gaudet, negare, & contrarium de eo prædicare. Ergo negarunt perfectionem, qua gavisus est S. Paulus. Quam? Apostolicam dignitatem, qua eum ornaverat Christus. II. Magis id eluceſcit ex eo, quod S. Paulus utraque ad Corinthios epistola Apostolatum suum vindicat, vide sis priori Cap. IX, 1.2. posterori Cap. X. XI. & XII. Jam vero cum in sapientem virum non cadat, rem probare, cui nemo contradicat; sequitur, eandem thesin Pseudapostolos negasse, quam S. Paulus adfirmavit. Atqui locis citatis adducit argumenta, quibus Apostolatum suum adstruit. *Existimo*, ait, *me nihilo inferiorem esse summis Apostolis* 2 Corinth. XI, 3. Item *Plus sum ministro Christi* ibid. v. 23. *Signa Apostoli facta sunt inter vos per omnem tolerantiam & signa, & prodigia & virtutes. Namque quid est, in quo fueritis inferiores ceteris ecclesiis?* ibid. C. XII, 12. 13. Ergo is est, quem ipsi impugnarunt. III, Tribuit contumeliam atque dolorem suum S. Paulus Angelo Satanæ. Ex capite autem præcedente vers. 13. 14. 15. atque adeo eodem tractationis filo, patet, Pseudapostolos esse Angelos Satanæ. Ita

ver-

verba habent: *Istiusmodi Pseudapostoli operarii dolosi sunt, transformantes se in Apostolos Christi. Neque id mirum. Ipse enim Satanas transformat se in Angelum lucis. Non ergo magnum est, si transformantur etiam ejus ministri, ut ministri justitiæ.* Quum vero S. Paulus contumeliam acceptam ab Angelo, id est, ministris, Satanæ profectam esse dicat, atque adversus eorum convicia Apostolatum suum tueatur: manifestum est, eundem ab ipsis fuisse oppugnatum. *IV.* Notandum est, metaphoram, qua convicia cum sude præacuta, seu stimulo seu aculeo, nam res eodem redit, ab S. Paulo comparantur, apud Hebræos non modo sed apud omnes fere gentes obtinuisse atque hodienum apud nos in usu esse. Ex multis sufficiant nobis pauca exempla. Psalmo LVIII, 5. David: *Filiorum hominum*, inquit, *dentes sunt lancea & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* APOLLINARIS *Sidonius Lib. VIII. Ep. I. calumniatoribus linguas cote livoris acuminatas* adscribit. *Habet*, sunt verba CICERONIS *Orat. VIII. in Verrem, quendam aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri boni difficillime possunt.*

Aculeata ſunt,

Animum fodicant, bona diſtimulant facta, & famam ſauciant

PLAUT. *Bacch. I. l.* 29. 30.

Stimulus ego nunc ſum tibi,

Eo dico, corculum aſſudaſſit jam ex metu.

Id. Caſ. II, 6. 8. 9.

Neque metaphora hæc Germanis inuſitata eſt. Sic carmine illo ſacro, quod incipit: O Welt ſieh hier dein Leben ꝛc. vers. 14.

Wann böſe Zungen ſtechen,
Mir Glimpf und Namen brechen,
So will ich zähmen mich:
Das Unrecht will ich dulden,
Dem Nächſten ſeine Schulden
Verzeihen gern und williglich.

V. Quemadmodum qui ſude præacuto vel aculeo punguntur & colaphis cæduntur, cum magnum perſentiſcunt dolorem, tum magna etiam adficiuntur contumelia: ita idem S. Paulo accidiſſe dicendum eſt. Apoſtolatum Chriſtus ſupremum dignitatis gradum in eccleſia ſua eſſe voluit. In hoc S. Paulus collo-

collocatus, eum vita propria duxit cariorem, ſummisque viribus contendit, ne indignus eo videretur. *Quatenus*, ipſius verba ſunt, *gentium ſum Apoſtolus*, *miniſterium meum* δοξάζω, *glorioſum duco*. Rom. XI, 13. Quare cum adverſarii ipſum dejicere eo ſtudebant, quid mirum, eum conqueri, nefario hoc auſu magnam ſibi contumeliam acerbumque dolorem adferri? Convicia hæc quocunque ſupplicio acerbiora ei fuiſſe exiſtimandum eſt. Majorem hinc perſenſit dolorem S. Paulus, quod prævidit, quantum detrimenti, Apoſtolica ſua auctoritate collabefactata, Respublica Chriſtiana eſſet captura. Pone enim, eum Apoſtolorum numero eſſe excluſum, unde ſcriptis ejus, quæ magnam N. T. canonis partem conſtituunt, ſua conſtabit θεοπνευσία? Qua ratione eccleſiæ fidei & morum eſſe poſſent regula? Satanas, callidiſſimus eccleſiæ Dei hoſtis, hujus rei haud ignarus, omnes intendit vires, quo Apoſtolicam S. Pauli auctoritatem per emiſſarios ſuos infringeret.

§. 6.

Neque negari poteſt, ſpecioſos quosdam fuiſſe Pſeudapoſtolis prætextus, apud imprudentiores, S. Pauli oppugnandi dignitatem Apoſtolicam. Etenim hunc dictitabant

ctitabant ex duodecim numero haud eſſe, non cum Chriſto in terris verſatum, non doctrinæ Ejus auditorem, non miraculorum ſpectatorem, non reſurrectionis ex mortuis atque in cœlos adſcenſionis teſtem, non donorum Spiritus Sancti miraculoſorum die pentecoſtes in reliquos effuſorum participem, ſed contra ea Chriſti eccleſiæque hoſtem infenſiſſimum fuiſſe ac perſecutorem.*) Quare operæ pretium exiſtimo, oſtendere, prætextus

*) Recte pl. Rev. & Doctiſſimus Auctor, cujus *Diſſertatio* omnino apud Lectores gratiam inibit, ſpecioſum Pſeudapoſtolorum prætextum ad oppugnandum dignitatem Pauli Apoſtolicam in eo quoque conſtituit, quod Chriſti Eccleſiæque fuerit infenſiſſimus hoſtis & perſecutor. Ipſe enim Apoſtolus internecinum ſuum erga Chriſtianos odium, quo ante converſionem & vocationem ſuam flagraverat, ut cauſam profert, non quidem, quare Pſeudapoſtoli eum omnibus viribus exagitaturi & oppugnaturi, ſed quo minus *Judæi* Evangelii præconium ab ipſo placide excepturi eſſent. Locum innuo ex ACT. XXII, 17-21. minus recte ab Interpretibus, quos inſpexi, tantum non omnibus, nec Cel. HEUMANNO excepto, expoſitum. Licitum ſit hunc locum explicare diligentius, „Dominus D. Paulo ait: Feſtina „& exi cito Hieroſolymis, quoniam non ex„cipient teſtimonium tuum de me. Et ego „dixi, Domine, ipſi ſciunt me pertraxiſſe „in

textus hos vanos atque a veritate alienos, eumque revera Apoſtolica ornatum fuiſſe aucto-

„ in carcerem, & eos verberibus affeciſſe per „ ſingulas ſynagogas, qui credebant in Te. „ Et cum effunderetur ſanguis Stephani „ martyris Tui, ego quoque adſtabam & „ una aſſentiebar cædi ipſius, & cuſtodie- „ bam pallia eorum, qui interimebant eum. „ Tum dixit mihi *Dominus*, Proficiſcere: „ Nam Ego te longe ad gentes mittam. „ Sunt qui exiſtimant, Paulum hoc reſponſo *aſſenſum ſuum* Domino præbuiſſe & teſtatum fuiſſe, ſe eſſe convictum, Judæos Hieroſolymitanos teſtimonium ſuum de Chriſto non eſſe excepturos, quia nemini eorum ignotum eſſe poterat, quam vehementer antea Chriſtum Ejusque diſcipulos perſecutus fuerat. Verendum erat, ut crabrones irritaret, eumque hoc violentius perderent. Sententia hæc primo intuitu nihil videtur habere inconmodi, ſed penitius inſpecta multum. Nam 1. ſuperflua videtur repetita miſſio v. 21. ea enim ſupponit Paulum Domino aliquod dubium protuliſſe 2) haud convenit tale Reſponſum Paulo, quo rationem ab ipſo Domino his verbis pſolatam, *quoniam non excipient teſtimonium tuum de me*, comprobare contenderet. An Domino rationes hæ ignotæ eſſe poterant? Nec talem unquam comprobationem legandi miniſtri in Sacris offendimus. Hinc 3. ſi Paulus reſponſione aliqua aſſenſum ſuum Domino probare voluiſſet, talem convenientius dediſſet, qua ſe promtum & alacrem ad obedientiam fidei præſtitiſſet. Sunt

auctoritate. Eundem ordinem, quem in Dissert. de *Prærogativis Apostolorum*, quæ *Fasci-*

Sunt autem alii, qui in eo rectius rationes ducunt, quod responsum Pauli accipiant ut moram obtemperationis; sed pergunt, ut & *tergiversationem*, qua petat, ut mutet consilium suum & mandatum Dominus, ipsique permittat, ut maneret Hierosolymis & præconio Evangelii Judæos hortaretur ad fidem & resipiscentiam. Ita Cel. HEUMANNUS: Paulus unterstehet sich, sein Vorhaben gegen den HErrn zu rechtfertigen, und Ihm vorzustellen, daß Er ihm billig zulassen müsse eine Predigt an die Juden zu halten. Ich habe gute Hofnung, will er sagen, daß die Juden sich durch meine Predigt werden bekehren lassen. Denn da sie wissen, wie eifrig ich deine Jünger verfolget habe, so werden sie, wenn ich ihnen erzehle, wie ich zur Erkentniß gekommen bin, daß du der wahre Messias bist, ohnzweifel auch an dich glauben. In eadem sententia est Cl. DODDRIDGIUS & sunt plerique Commentatores. Sed pace virorum doctissimorum varia obstant, quo minus in hanc sententiam eamus. Nam 1. gratis supponitur ardentissimum Pauli desiderium, non consulto Domino, coram Judæis Hierosolymitanis de Christo testari. Supponendum potius est Paulum Festi alicujus celebrandi gratia Urbem Palæstinæ & Templum introivisse, & hac occasione Jacobum ceterosque Apostolos clam voluisse convenire, ut ab eis cognosceret, quid ipsi Evangelii gratia agendum foret. 2. Deprecationem Apostoli licet *humillimam* concipiamus

Fasciculo III. Class. I. Biblioth. Bremens. nov. pag. 416. *seqq.* inserta est, secutus sum, servabo,

mus, tergiversationemque *modestissimam* & ardens desiderium fratres suos Judæos convertendi, ea tamen non caruit vitio, fidei sc. & obedientiæ insigni defectu. Et quare? Dominus ipsi jam significaverat. *Non excipient testimonium tuum de me.* Quis, amabo, sibi persuadere poterit, Paulum, qui nullus de apparitione Domini dubitabat, ita vecordem fuisse ut opinatus fuerit, fore, ut Christus consilium suum sui gratia mutaturus esset, aut se Christo melius rationes subducere. 3. Quis, quæso, tale Pauli ratiocinium ferre potest, quale sibi Cel. HEUMANNUS fingit, qui sibi in mentem revocat, quam inutilis fuerit opera Pauli, quam vanus ejus labor *Damasci*, cum in Synagogis prædicaret Christum, Eum esse Filium Dei. Act. IX. Paulum enim minime oblitum fuisse censeo odii Judæorum & persecutionum, quas *Damasci* passus fuerat, nec tam retusi acuminis, ut ipsi non esset integrum, divinare, hostibus Judæis eodem maligno Spiritu Hierosolymis quo Damasci agitatis, eadem illi impendere *Hierosolymæ* fata, qualia jam *Damasci* expertus fuerat. Ne dicas Apostolum hoc ipso suum in Christum amorem ostendisse, quo paratus erat Evangelii gratia mori, si perrexissent Judæi contumaciter agere. Notum enim illi jam fecerat Dominus, nondum eum ad hanc fidei & amoris summam explorationem vocatum esse, sed tantum vocatum, ut fungeretur præconio Evangelii. Inter

vabo, atque quam breviſſime potero, omnes prærogativas Apoſtolicas ei competere, demonſtrabo.

§. 7.

Inter duas has ſententias, ſi, cui potius accedendum ſit, optio inſtituenda eſſet, primæ procul dubio utpote minoribus difficultatibus preſſæ, primas eſſe dandas exiſtimo.

Alia autem ad hunc locum illuſtrandum via incedo, quæ nullis, ſi quid ego video, premitur difficultatibus, & nexui totius ſermonis Paulini ſatisfacit. Mandatum exeundi cito Hieroſolymis, nulla interpoſita mora, *quia non excipient Teſtimonium tuum de me*, id revera in receſſu habet, quod vulgo creditur, ſc. Judæos ibi Paulo inſidias ſtructuros nec quieturos donec eum interemerint. Jam Paulus metu perculſus, vel ſi mavis, admirabundus reſpondet, nec ignotum eſſe ulli Judæo *extra* Hieroſolymas, quam infenſiſſimus fuerit Chriſtianorum hoſtis & perſecutor, hinc *nullibi* Judæos Teſtimonium ſuum placida mente excepturos eſſe, hinc *ubique* ſe fore expoſitum Judæorum odio & inſidiis. Expertum ſe id jam fuiſſe Damaſci, & procul dubio ubique idem ipſum manere triſte fatum. Reſponſio igitur Pauli tantundem eſt, ac ſi ex Domino quæſiverit, *Quorſum jam, relicta Hieroſolyma, tendam? Quorſum me, Domine, miſſurus es? Loquere, Domine, ſubmiſſas Tibi præbet aures Servus Tuus, ad omne obſequium paratus.* Ni vehementer fallor, hæc expoſitio inſigne fidei Paulinæ exhibet

§. 7.

S. Paulus ab ipso Christo, nullo interveniente homine ad Evangelii præconium vocatus

bet documentum, nullaque in hac responsione est moræ aut tergiversationis nota, Imo quod rem conficit, quadrat repetitum Domini mandatum. *Proficiscere: nam Ego te longe ad gentes mittam.* Hoc est. *Non est quod hæreas in eo: nullibi te fore tutum a Judæis, laboremque tuum apud fratres tuos ubique fore inutilem. Non enim ad hos te mittam, sed ad gentes longissime dissitas.* Sed jam satis est. Judicio Virorum Doctorum hanc expositionem permitto. Non possum autem non hic indicare beatum olim Collegam meum JO. PLEVIERIUM, qui in *Commentario* suo in *Acta Apostolorum*, belgice edito, primæ se addixerat sententiæ, postquam ipsi meam indicassem expositionem, generoso animo deposuisse suam, & in meam, quo calculo certior reddebar, iviſſe sententiam.

Quod autem ipse Dominus & ab eo edoctus Paulus de *Judæis* testati fuerunt, rectissime de *Pseudapostolis* dici potest. *Judæi* Pauli testimonium de Christo repudiabant ex specioso prætextu, quod infensissimus Christi & Ecclesiæ Ejus fuisset hostis & persecutor, & eapropter ut Apostata gravissimis pœnis adficiendus esset. *Pseudapostoli* ex eodem prætextu Paulum oppugnabant, utpote quem minime dignum putabant, cui reverentia Apostolis debita conferretur, cuique nemo fidere poterat. N. B.

catus ac eruditus, teſtis oculatus Ejus reſurrectionis fuit. Nonne, ipſe ait, 1 Cor. IX, 1. ſum Apoſtolus? Nonne ſum liber? Nonne Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum *vidi?* Item: ultimo vero omnium Apoſtolorum Chriſtus viſus eſt etiam mihi, ibid. cap. XV, 8. confer. Act. IX. Item: evenit mihi reverſo Hieroſolymas & oranti, ut raperer extra me & viderem Dominum Actor. XX, 17. Denique: nocte adſtitit Paulo Dominus. Ibid. C. XXIII, 11. Paulus, Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum conſtitutus, Evangelium, quod prædico, non ab homine accepi neque edoctus ſum, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Galat. I, 1. 11. 12. Ergo Paulum ad Evangelium prædicandum non ab hominibus neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum immediate evocatum. Non ſemel ſed teripſe Chriſtum ex mortuis reſuſcitatum conſpexit, loquentisque vocem audivit. Evangelii doctrinam non ex inſtitutione hominum ſed per revelationem Jeſu Chriſti addidicit. Quæ a Domino accepi, tradidi vobis. 1 Cor. XI, 23. Itaque oculatus reſurrectionis Domini teſtis fuit, in qua re prima Apoſtolatus prærogativa conſtitit. Quin imo prope ad Damaſcum & deinceps in tertium cœlum raptus, Chriſti

sti gloriam tam præclara ratione vidit, qua nemo omnium Apostolorum.

§. 8.

Neque *secunda* Apostolatus prærogativa S. Paulus caruit. *Fuit enim Præco Evangelii* θεόπνευστος *adeoque infallibilis, antiqui fœderis ecclesiæ œconomia ejus maxime opera abolita Novique instaurata est, atque unicam ac perpetuam ei cum fidei tum morum normam præscripsit, ejusque fata ad finem usque seculorum prædixit.* Christus in me loquitur. 2 Cor. XIII, 4. In gentibus præcipue prædicavit Evangelium Gal. II, 7. 8. quas ad ovile Christi adduxit, uti cum Judæis in unum gregem, sub uno pastore, coaluerunt. Omnium maxime Doctores judaizantes, instaurationi Novæ Oeconomiæ obicem ponentes, debellavit, quod Epistolæ ejus ad Romanos & Galatas satis testantur. Inter omnes Apostolos plurima exaravit scripta auro contra pretiosa, quæ Ecclesiæ Christi tum credendorum tum faciendorum regula sunt perpetua. Quid? quod ejus epistolæ dimidiam ferme partem codicis Novi fœderis constituunt, qua in re cuicunque Apostolorum multis parasangis præcurrit. Continent ejus scripta non modo limpidissimam Evangelii doctrinam, sed prædictiones quoque fatorum ecclesiæ. Nemo Apostolorum, si a Johanne discesseris, de

rebus Eccleſiæ futuris, de regno Antichriſtiano, ejusque qualitatibus & deſtructione, de futura Judæorum ad Chriſtum converſione, de modo adventus Chriſti ad noviſſimum judicium, de reſurrectione mortuorum, de corporum tunc temporis vivorum immutatione cet. tam diſtincte, atque ipſe, vaticinatus eſt.

§. 9.

Convenit S. Paulo quoque prærogativa Apoſtolorum *tertia: Fuit doctor Eccleſiæ univerſalis.* Is enim fixam nullibi ſedem habuit, ſed ubique terrarum ac gentium prædicavit Evangelium. Sollicitus fuit de omnibus eccleſiis 2 Cor. XI, 28. Cœtus Chriſtianos quamplurimos plantavit, plantatisque ordinarios præfecit presbyteros. Hieroſolymis, *ſunt ipſius verba*, & circumiacentibus regionibus implevi Evangelii Chriſti munus, & quidem iis locis, quibus Chriſtus nondum nominatus eſſet, ne ſuper fundamentum alienum ædificarem Rom. XV, 19. 20. Apoſtolorum fuit ponere fundamentum, id eſt, cœtus Chriſtianos novos condere: miniſtrorum vero Evangelii ordinariorum, fundamentis ab Apoſtolis jactis inædificare. Quod ad eccleſiam Corinthiacam pertinet, *ipſe ſcribit*, inſtar periti Architecti fundamentum ſe poſuiſſe,

item

item, Corinthios se per Evangelium in Christo Jesu genuisse, atque adeo eorum patrem, reliquos vero non nisi pædagogos esse: *item*, sese non de alienis laboribus aut aliena regula paratis gloriari 1 Cor. III, 10. IV, 15. 2 Cor. X, 15. Quod S. Paulus, dum inter vivos esset, fecit, idem etiam agit, postquam e vita excessit. Mortuus enim Christi ecclesiam universam in orbe terrarum dispersam scriptis suis adhuc docuit, docet nunc & ad consummationem usque seculorum docebit. Quare si ullus Apostolorum Ecclesiæ Christianæ Doctor universalis, certe S. Paulus est, primumque inter omnes locum occupat.

10.

Quarta Apostolatus prærogativa in beato Paulo conspicua est, nimirum, *dona miraculorum a Christo immediate accepit.* Obiici huic thesi video posse ea, quæ in historia ejus conversionis Actor. IX, 18. leguntur: Saul, frater, *ait Ananias*, Dominus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, misit me ad te, quo visum recipias & Spiritu Sancto implearis. Ad objectionem hanc tollendam, sequentia sufficient. 1) Firmissimum est, S. Paulum eandem Spiritus Sancti plenitudinem nactum fuisse atque cereros Apostolos. Ἔπλήσθη πνεύματος

ἁγίᾳ, impletus fuit Spiritu Sancto Actor. IX, 17. XIII, 7. Eodem vocabulo Spiritus Sancti in Apoſtolos effuſio die pentecoſtes deſcribitur. Actor. II, 4. Idem quoque ex effectibus conſtat. 2) Ananiam diſcipulum Jeſu fuiſſe, narrat Lucas; an vero doctoris munere functus fuerit, nuſpiam legitur. Sed ponamus, fuiſſe eum Evangeliſtam, quod nonnulli volunt, patet tamen ex Actor. VIII. hos miraculorum dona in alios transfundere nequiviſſe. 3) Actor. IX, 12. ait Dominus Ananiæ: vidit Saulus in viſione virum nomine Ananiam, qui ingreſſus impoſuit ſibi manus, ut viſum amiſſum recipiat. Nulla his verbis mentio fit de Spiritu Sancto, Saulo impertiendo, ſed de ſola cæcitate manuum impoſitione tollenda, neque verſiculo 18. Spiritu Sancto impletus, ſed ſolummodo oculorum uſum recuperaſſe dicitur. Cum vero de omnibus, cum quibus miraculorum dona communicata fuere, notetur, quod non tantum acceperint, ſed e veſtigio etiam ſe in eis in hunc modum exſeruerint: ut aliis linguis ſint locuti, vide ſis Actor. II. VIII. X. & XIX. concludo, Ananiam his verbis dicere voluiſſe: Chriſtum jam Saulo, impoſitis ei manibus ſuis, viſum redditurum; & deinceps quoque miraculorum dona largiſſime in eum effuſurum eſſe. Præterea, quum

mira-

miraculorum dona ad essentiam Apostolatus pertineant; atqui ipse Galat. I. disertis verbis affirmet, se neque ab homine. neque per hominem, sed per Jesum Christum, Apostolum constitutum esse, sua sponte sequitur, S. Paulum, mediante Anania, non ea accepisse, sed a Christo, a quo etiam evangelicam doctrinam est edoctus.

§. 11.

Quinta Apostolici muneris prærogativa ornatus fuit beatus Paulus: *Potestas ei a Christo concessa fuit, miraculorum dona cum aliis communicandi.* Evidentissimum hujus rei argumentum suppeditat nobis Lucas, Actor, XIX. Quum Paulus duodecim discipulis Ephesinis imposuisset manus ,in eos venit Spiritus Sanctus, atque linguis loquebantur ac prophetabant. Immo nullum Christianorum cœtum plantasse Paulus videtur, cujus presbyteris mira miraculorum dona manuum impositione haud impertierit. Corinthiacam ecclesiam ministerio suo Spiritum S. accepisse ipse prædicat 2 Cor. XI. 4. & signa Apostoli inter eos edita, adeoque eam ceteris ecclesiis, vel ab ipso vel ab aliis Apostolis formatis, haud esse inferiorem, ibid. c. XII, 12. 13. Signa Apostoli procul dubio ea sunt opera, quæ

non niſi a Apoſtolo perpetrari poſſunt; quorum numero poteſtatem miraculorum dona in alios transfundendi contineri, omnes confitentur. Porro, in eccleſia Corinthiaca miraculorum editores extitiſſe teſtantur ea, quæ 2 Corinth. XII. XIII. & XIV. legimus. Quum autem Paulus eam plantavit, ejus miniſterio hanc virtutem adepti fuiſſe profecto dicendi ſunt.

§. 12.

Tribuenda eſt beato Paulo *ſexta* Apoſtolatus prærogativa: *omnibus miraculorum donis ſimul ſumtis gaviſus eſt.* Ipſe fuit propheta cum ſenſu latiori tum ſtrictiori, quippe qui non duntaxat veterum prophetarum ſenſum pleniſſime aſſecutus, aliis explanavit, ſed fata quoque eccleſiæ futura prædixit. Ipſe veritates evangelicas & ore & ſcriptis ſolidiſſime docuit. Ipſe dæmones ejecit Actor. XVI, 18. Quid? quod, ſudariis a corpore ejus ad δαιμονιζομένους delatis, ſpiritus mali egreſſi leguntur; quod de nullo alio Apoſtolo, Petro excepto, Act. V. hiſtoria ſacra refert. Ipſe morbos ſanavit Act. XXVIII, 8. 9. & alibi Paulum denique linguarum etiam dono inſtructum fuiſſe, non eſt, quod dubitemus, ſiquidem cum aliis id communicavit Actor. XIX, 6. quamvis memoriæ non ſit proditum. eum

dono

dono hoc fuisse usum. Namque quod, ceu literatus, præter hebraicam linguam, græcam etiam atque latinam callebat, nunquam fortassis ei oblata est occasio, alia, præter has, lingua doctrinam Evangelii docendi.

§. 13.

Septima Apostolatus prærogativa gavisus est S. Paulus: *ejus sudariis & semicinctiis ægroti sanitati restituti, dæmones ejecti, per eumque mortui excitati sunt.* Quibus hæc thesis probetur, argumenta lege sis Actor. XIX. & XX.. de quibus quoniam Dissert. supra dicta §. 13. necessaria anticipata sunt, plura hic addere supersedeo.

§. 14.

Octava denique Apostolatus prærogativa S. Paulus non fuit destitutus: *ei scilicet potestas fuit concessa iis, qui majori Evangelio offendiculo fuerunt, morbum infligendi.* Vid. Actor. XIII. 1 Corinth. V. 1 Timoth. I. & quæ jam jam citata Dissert. §. XIV. dicta sunt.

§. 15.

Quæ cum ita sint, admodum sane injurii fuerunt in beatum Paulum Pseudapostoli, Apostolicam ejus dignitatem oppugnare non veriti, qui si ad labores, qui-

bus eccleſia Chriſti amplificata eſt reſpexeris, primo loco numerandus eſſet. Sed ea ſors eſt miniſtrorum Evangelii, uti quo majoribus excellentioribusque quisque dotibus inſtructus eſt, hoc plures laudis ſuæ invidos inveniat obtrectatores. Quare, qui alios doctrina, fama atque dignitate antecellunt, eamque ob cauſſam invidis petuntur dentibus, fideles Chriſti ſervi, cogitent hæc, atque apud animum ſuum reputent, idem Moſi atque Paulo, ſtellis iſtis in cœlo eccleſiaſtico primi ordinis, accidiſſe. Superbia mortalibus congenita pares vix, ne dum ſuperiores ferre poteſt, unde gloriæ ſuæ tantum decedere putant, quantum ſe aliis detraxiſſe ſibi videntur. Sed ut in aliis multis. ita etiam hac in re, ſingularem Dei providentiam venerabundi miremur. Pone enim eos, qui ceteris ántecedunt, aliorum invidia atque cavillationibus non lacesſiri, ſed omnium ore celebrari: nonne, quæ eſt etiam in regenitis animi fragilitas, cordis humilitatem, primariam Chriſtianorum virtutem, obliti magnos ſibi indies ſumerent ſpiritus, aliosque præ ſe flocci facerent? Quare ne ſe ſuper ceteros efferant, datur eis carni infixus aculeus, ſcilicet, Satanæ angelus eos colaphis cædens.

III.

III.

IOH. HERM. SCHACHT SPICILEGII OBSERVATIONUM PHILOLOGICARUM IN N. T. LIBROS SPECIMEN II.

Marc. I, 4.

Ἐγένετο Ἰωάνης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ κ. τ. λ.

In hujus commatis exordio ſubaudiendum mihi videtur ἅτω, per quod illud cum præcedentibus 2. & 3. arctius copuletur. Alias oratio non ſatis procedet, ambigetque inſignis lectorum numerus, num comm. 2. & 3. ad præcedens, an vero ad ſequens hoc, quod equidem rationi eſt conſentaneum, reſpiciant. In *Joannem* nempe, non in *Evangelium J. C.* iſta Propherarum vaticinia cadunt. Legas itaque: Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, — (οὕτως) ἐγένετο Ἰωάννης κ. τ. ε. Neque intercedo, quo minus poſt ἐγένετο Ἰωάννης diſtinctionis ponatur ſignum, ſic ut ἐγένετο βαπτίζων non ſit, per Hebraismum, idem ac ἐβάπτισε, ſed potius,

us, ſubintellecto τίς, vertendum veniat: *fuit Joannes (quidam), baptizans*, reliqua. Æque ac Joh. I, 6. de eodem Baptiſta: ἐγένετο ἄνθρωπος, ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, quod itidem non reddendum: *miſſus a Deo fuit homo*; ſed: *fuit homo (quidam), miſſus a Deo*; uti recte monuerunt *Elsnerus & Palairetus*, qui ultimus & in noſtrum *Marci* locum conſulatur. Mirum adeoque, *Wolfium* priori in loco, ubi *Hackſpanium* laudat, Hebraismum admittere, in poſteriori autem *Elsnero* pollicem premere. Namque τὸ ὅτως antecedente ὡς ſaepius reticetur, Exempla collegit *L. Bos*, in Ellips. Græc. L. voce ὅτω, quibus adde Coloſſ. II, 6 ΩΣ ΟΥΝ παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Κύριον, (ΟΥΤΩΣ) ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε. Hinc *comma* I. pro titulo libri accipio, pariter ac *Hoſ. I*, 2. Ἀρχὴ λογου Κυρίου ἐν Ὡσηέ. Καὶ εἶπε Κύριος κ. τ. ε. Conferri huc etiam meretur *Heinſius*, in Exerc. Sacr. Lib. II. c. I, p. m. 101.

Marc. I. 27.

Τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, ὅτι κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ;

Vulgo hæc vertuntur: *Quænam nova hæc doctrina*, QUOD, vel QUIA, *per poteſtatem etiam ſpiritibus immundis imperat, & auscultant Ipſi?* Obſcurum vero ſic eſt, quomodo

modo iſta inter ſe cohæreant. Interrogationis ego notam poſt illa: τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, figerem, in commatis fine eandem tollerem, & verba; ὅτι κατ' ἐξουσίαν κ. τ. λ. ſimpliciter, omiſſo ὅτι, redderem: *per poteſtatem etiam ſpiritibus immundis imperat, & auscultant Ipſi!* Duplex enim re vera effatum eſt. Alterum: *quænam nova hæc doctrina?* reſpiciens nempe ad comm. 21, 22. Alterum: *ſpiritibus etiam immundis per poteſtatem imperat &c.* ad comm. 23-26. referendum. Τὸ ὅτι ſæpiſſime παρέλκειν, inprimis poſt voces λέγειν, εἰπεῖν, & ſimiles, ſatis notum. Vide quos in *Harmonia Hiſt. Resurrect.*; *J. C. nota* 30. laudavimus, nec non, quos excitat *Schlichterus*, in Dec. Sacr. p. 79. & adde *Matth.* VII, 23. XXI. 3. XXVI, 65. XXVII. 47. XXVIII. 13. *Luc.* XXIV. 34. 46. *Act.* v. 23., quin & ex ipſo *Marco* noſtro. cap. I, 40. II, 12. III, 22, &c.

Marc. II, 15.

Ἦσαν γὰρ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

Vertunt: *erant enim multi, ET ſequuti fuerant Eum.* Malim: *QUI Eum fuerant ſequuti.* Hoc ſcilicet cum ſuperioribus apte magis cohæret. Τὸ καὶ vero, tali in conſtructione, *pronominis relativi* vicem ſuſtinere, vel tirones norunt. Eodem ſenſu. *Matth.* XI. 17. καὶ λεγουσι pro ἃ λέγουσι, nimirum

mirum παιδάρια, posterioribus curis, & jure quidem, accipit vir κριτικώτατος, (in cujus olim favore gloriari mihi licebat, cujusque mortem universus jam Eruditorum orbis mecum luget;) *J. Albertius*, in Addend. ad Obs. Philol. in N. T. p. 503. Plura autem, tum sacrorum, tum & profanorum auctorum, similia exempla indicarunt, *Elsnerus*, in *Luc.* XV. 15. p. 248. atque *Knatchbullus* in *Matth.* XXVII. 9. 10. p. 17. & in *Joh.* XV, 6. p. 29. sq. Neque opus est ut plura, in re vulgari, cumulentur. Igitur e solis Sacris libris nonnulla ego adhuc delibabo, ita tamen, ut eadem hac opera lucis aliquid simul accipiant. *Matth.* XIII, 41. Ἀποστελεῖ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ τὸς ἀγγελυς ἀυτῦ, ΚΑΙ (QUI) συλλέξυσιν ἐκ τῆς βασιλείας ἀυτῦ πάντα τὰ σκάνδαλα. Cap. XX. 18. ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, ΚΑΙ (QUI) κατακρινοῦσιν ἀυτὸν θανάτῳ. *Joh.* XX, 18. Ἔρχεται Μαριὰ ἡ Μαγδαληνὴ ἀπαγγέλλυσα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον, ΚΑΙ (QUI) ταῦτα εἶπεν ἀυτῇ. Sic carere tuto possumus ellipsi τῦ ὅτι post τὸ ΚΑΙ, quæ quidem, tametsi defendatur facile, hic tamen ad evitandum solœcismum minime sufficit, nisi & alteram praeterea ellipsin τῦ ΑΥΤΟΣ in subsidium voces. *Act. Ap.* VI, 6. Οὓς ἔστησαν ἐνώπιον τῶν ἀποστόλων. ΚΑΙ (QUI) προσευξάμενοι ἐπέθηκαν ἀυτοῖς τὰς χεῖρας. *Apo-*

stolo-

ſtolorum enim, non univerſi *cœtus*, erat χειροθεσία. Cap. VII, 10. de Joſepho, Καὶ ἐξείλετο αὐτὸν (ὁ Θεὸς) ἐκ πασῶν τῶν θλίψεων αὐτοῦ, καὶ ἔδωκεν αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν ἐναντίον Φαραὼ βασιλέως Αἰγύπτου, KAI (QUI) κατέστησεν ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ. Poſſent quidem ultima etiam de *Deo*, ſi providentiam ejus gubernatricem ſpectes, intelligi. Sed poſtrema verba, quod conſtituerit Joſephum ἐφ' ὅλον τὸν οἶκον ΑΥΤΟΥ, *ſuper totam domum* SUAM, ſatis arguunt, de *Pharaone* hæc dici.

Marc. III, 30.

Ὅτι ἔλεγον. Πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει.

Notiſſima ſunt ſententiarum de *peccato in Spiritum Sanctum* penes Theologos, etiam inſigniores, divortia, notiſſimi conatus plurimi, in re profecto graviſſima, ſed non æque felices. Anſam iſtis dediſſe videtur obſcuritas quædam dictorum Domini de illo, uti quidem apud *Lucam* cap. XII, 10. leguntur. Optime vero peccati iſtius vera indoles pernoſcitur ex noſtro *Marci* loco, dum modo ad præcedentia animum rite advertas. Dixerant Scribæ, homines nefarii ac impudentes, de Sanctiſſimo Servatore: Ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, comm. 22. Reſponderat Ille, tum τὸ ἀσύγγνω-

τον

τον talis commenti demonſtrando, comm. 23-27. tum gravitatem criminis, quod per ejusmodi calumniam admittebatur, exaggerando, comm. 28. 29. Pergitque *Marcus*: Ὅτι ἔλεγον. Πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει. Quæ omnino ad ſuperiora referri debent, rationemque indicant, quare Dominus, & cui ſcopo, iſthæc dixerit. Subaudiendum igitur ante ὅτι ἔλεγον erit: ταῦτά μεν ἔλεγεν αὐτοῖς, ex comm. 23. Ultima autem: πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει, aperte ſatis ad illa commatis 22. Ὅτι Βεελζεβὰλ ἔχει, reſpiciunt. Occurrit haud abſimilis ellipſis *Matth.* XVI, 7. Οἱ δὲ διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, λέγοντες. Ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. Hoc eſt: τοῦτο λέγει, ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. Hæc itaque ſi probe adtendas, ἡ βλασφημιὰ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, cujus comm. 29. fit mentio, nihil aliud erit, quam illa Judæorum protervia, qua maxime ſtupenda Domini Jeſu miracula, Sanctiſſimi Spiritus ope perpetrata, impuro potius ſpiritui adſcribere haud erubeſcebant. Pluribus hæc ornare, inſtituti noſtri ratio, aut limites hujusce Operis, non permittunt.

Marc. IV, 38.

Τὸ πρόσκεφάλαιον.

Vox hæc in N. T. ἅπαξ λεγομένη, neque cuiquam hactenus obſervata. Adhibita vero non tantum Interpretibus ALEXANDRI-

DRINIS, in *Esdræ* lib. Apocrypho, cap. III, 8 ſed & elegantiſſimis exterorum. *Ariſtophanes* προσκεφάλαια memorat, in Veſp. vs. 674. necnon *Lucianus*, in Aſino, Tom. II. p. 570. (edit. Cl. Hemſterhuſii) iterumque *Ariſtophanes*, in Plut. vs. 542. ſeq.

Καὶ Φορμὸν ἔχειν ἀντὶ τάπητος σαπρόν. ἀντὶ δὲ προσκεφαλαίου
Λίθον ἐυμεγέθη πρὸς τῇ κεφαλῇ. ——

Et ſtoream habere loco ſtragulæ: loco autem cervicalis
Lapidem ingentem capiti ſuppoſitum. —

Hic igitur, quod & vocis etymologia ſuadet, de *cervicali* uſurpatur: ſed alibi etiam de quovis *pulvino*. *Theophraſtus*, Charact. Ethic. cap. II. p. XIV. (edit. Cantabrig.) de adulatore: καὶ τὸ παιδὸς ἐν τῷ θεάτρῳ ἀφελόμενος τὰ προσκεφάλαια, αὐτὸς ὑποστρῶσαι, PULVINOS *in* THEATRO *puero ademtos ipſe ſubſternit;* ad quem l. vide *Duportum* in Not. p. 233, qui &, plura ſemet de hac voce ad *Theocritum* obſervaſſe, monet. Generaliori illo ſignificatu venire præterea videtur apud *Lucianum* l. l. p. 618. & *Ariſtophanem*, in Acharn. vs. 1089. quum στρώμασι, *ſtragulis*, jungantur προσκεφάλαια, uti & in Lyſiſtr. vs. 925. dum a ψιάθῳ, *ſto-*

rea ſ. *tegete*, diſtinguantur. Maxime vero hic obſervandus venit *Pollucis* locus, in Onom. lib. X, ſect. 40., ubi (contra naſutulos, ut videtur.) Cratini auctoritate oſtendit, προσκεφάλαιον recte eriam dici de pulvino, quem remiges ſibi ſubſternebant. Locum ipſum, ſed ex emendatione Politiſſimi *Hemſterhuſii*, adpingam. Οὐ μὴν φαῦλον τετηρηκέναι, ὅτι τὸ ναυτικὸν ὑπηρέσιον ἰδίως εἶπεν ἐν ταῖς Ὥραις Κρατῖνος προσκεφάλαιον, τινῶν ἔτως μὴ καλεῖσθαι νομιζόντων, ἀλλ' ὑπηρέσιον μόνον. *Non de nihilo erit* obſervaſſe, quod nauticum ὑπηρέσιον proprie dixerit *Cratinus in Horis* προσκεφάλαιον, *quamvis nonnulli putent, non ita vocari, ſed ſolummodo* ὑπηρέσιον. Eſt vero ὑπηρέσιον (explanante *Scholiaſte Thucydidis*, de B. Peloponn. lib. II, cap. 93. p. m. 140.) τὸ κῶας, ᾧ ἐπικάθηνται οἱ ἐρέσσοντες, διὰ τὸ μὴ συντρίβεσθαι αὐτῶν τὰς πυγάς, h. e. *pellis ovina, cui inſident remigantes, ne nates eorum conterantur.* Pariter *Heſychius* ὑπηρέσια adpellata fuiſſe docet τῶν κωπηλατούντων δέρματα τινὰ ὡς προσκεφάλαια, ἐφ' ὧν καθέζονται, *remigantium pelles quasdam, ad inſtar pulvinorum*, (ubi iterum προσκεφάλαια habet) *quibus inſident.* Certum ſi foret, navem hanc, qua Dominus vehebatur, remis potius quam vento & velis fuiſſe actam, ſuſpicari fortaſſis liceret, ΤΟ ΠΡΟΣΚΕΦΑΛΑΙΟΝ, cui Ille incumbens ſomnum capiebat

ἐπὶ

ἐπὶ τῆ πρύμνῃ, uti *Marcus* præterea obſervat, pro ejusmodi ὑπηρεσίῳ habendum. Sed de ſtructura hujus navis nihil liquet. Neque ex voce πλοῖον, quam Noſter non modo, comm. 36. 37. ſed & *Matthæus*, c. VIII. 23. 24. & *Lucas* c. VIII, 22. eandem hiſtoriam narrantes, adhibent, aliquid ſubſidii peti poteſt, niſi *Theophraſti* auctoritate velimus ſtare, qui πλοῖα a *triremibus* diſtinguit, *Stephano* teſte, in Thes. L. Græc. T. III, p. 375. Addit vero idem *Stephanus: At Grammatici quidam magnitudine tantum differre putarunt, alii forma.* Peritioribus igitur hoc quidquid eſt diiudicandum relinquimus.

Marc. VI, 21.

Ἡρῴδης τοῖς γενεσίοις αὐτῦ δεῖπνον ἐποίει.

Diſſentire Viros DD., num per τὰ γενέσια *nativitatis*, an vero *inaugurationis*, publica celebratio, memoriæ ejus recolendæ ſacra, indicetur, ex *Wolfio*, in Cur. ad h. l. tum etiam ad *Matth.* XIV, 6. abunde liquet, cui junge *Deylingium*, Obſ. Sacr. P. III. Obſ. 26. §. 13. & inprimis Cel. *Albertium* in *Matth.* l. c. p. 101. Nos illis, qui a priori ſtant parte, nomen damus, quum exempla hactenus deſint, e quibus pateat, γενέσια, vel γενέθλια Græcis de *inauguratione*, ſive *natali imperii die*, adhiberi, Romani licet tali ſermonis genere nonnunquam utantur. Quod

enim in contrarium *Relandus*, Diſſ. Miſc. T. II, p. 257. e *Miſchna* protulit unicum exemplum, rem non conficit, quum Rabbinorum in talibus perexigua ſit auctoritas, quumque ipſi Gemariſtæ de diſtinctione, ibi facta, inter יום גנוסיא של מלכים & יום הלירה adhuc diſputent, *Lightfoto* teſte, in Hor. Hebr. ad *Matth.* l. c. Præterea mos erat ſatis antiquus, ſatisque pervulgatus apud plurimas gentes, ut *natalis* dies proprie dictus hilare tranſigeretur. Sic *Herodotus*, laudatus *Athenæo*, Deipnoſoph. l. IV, c. 10. p. 143. ἡμέρην δὲ, inquit, Πέρσαι ἁπασέων μάλιϛα ἐκείνην τιμᾶν νομίζουσι, τῇ ἕκαϛος ἐγένετο, κ. τ. λ. *Eum Perſæ diem maxime colunt, quo quisque natus eſt, ac eo ipſo fas eſſe putant ciborum plus adhibere. Itaque fortunati homines bovem, aſinum equum, camelum adponunt, ſolidos in furnis toſtos, &c.* Idem *Athenæus*, l. XV, c. 7. p. 680. ex *Hellanico*, Partamidis meminit, Aegyptiorum regis, γενέθλια ἐπιτελέντος, *natalem diem celebrantis*. De vetuſtioribus quoque eorundem regibus id conſtat Pharaonis exemplo, *Gen.* XL, 20. ubi οἱ ὁ hunc in modum: ἡμέρα γενέσεως (Heb. יום הלדת) ἦν Φαραὼ, καὶ ἐποίει πότον (uti Herodes, noſtro in loco, δεῖπνον) πᾶσι τοῖς παισὶν αὐτοῦ. Quoad Græcos teſtis eſto *Lucianus*, in Hermot. T. I. p. 750. de philoſopho quodam narrans: ἐλέγετο παρ' Ἑυχρά-

Ἐυκράτει —— δειπνήσας χθὲς, γενέθλια θυγατρὸς ἑσιῶντι, *dicebatur, apud Eucratem, filiæ natalitia convivio celebrantem, heri cænaſſe.* Sic apud eundem, in Somnio, T. II, p. 715. aliquis: θυγατρὸς τήμερον ἑσιῶ γενέθλια, *filiæ natalitia epulis hodie tranſigo.* (*) Neque Romanis hæc conſuetudo diſplicebat. Toxilus, apud *Plautum*, in Perſa, Act. V. Scen, I, v. 16. ſq.

—— *hunc diem ſuavem,*
Meum natalem, agitemus amœnum.
Date aquam manibus. Adponite menſam. &c.

Leno etiam, apud eund., in Pſeudol. Act. I, Scen. II, v. 30. ſqq.

Hæc, quum ego a foro revortor, facite
ut offendam parata,
Vorſa, præſterga, ſtrata, lautaque, co-
ctaque omnia uti ſint.
Nam mihi hodie natalis dies eſt. Decet
eum omnes vos concelebrare.

(*) Dubium vero hic, numne potius de die, quo filia nata primum erat, quam de annuo, memoriæ hujus nativitatis dicato, die, agatur.

Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua jaceant. Satin' audis? Magnifice volo enim ſummos viros accipere. &c.

Plura iſtiusmodi dabunt, quos *Wolfius*, in noſtrum l. & Cel *Albertius*, l. l. excitant. Quin & principum Virorum natales dies Romani etiam publiçe ſolebant celebrare, uti apud *Suetonium*, in Aug. cap. 57. in Tiber. cap. 26. & 65. aliisque videre eſt. Sed hæc hactenus. Alia adhuc Eruditos, inde a *Salmaſio*, exercuit diſputatio, an ſcilicet vocabulum γενέσια, hocce ſenſu, ſatis Græce uſurpetur, quod quidem plerique Grammaticorum negant, adfirmat autem *Phavorinus*. Præter ea, quæ *Wolfius*, ad *Matthæi* locum, huc ſpectantia adnotavit, conferri hac de re inprimis merentur laudatus jam *Albertius*, p. 100, *Scottus* etiam, in Select Notes on Matthew, *Krebſius* denique, in Obſ. e Fl. Joſepho, ad eund. *Matth.* l. qui ultimus puritatem vocis, iſto ſenſu acceptæ, e *Philone* ac *Joſepho* vindicat, quorum auctoritates *Relando* maxime obponi queunt, adſerenti, l. ſup. l. *eo tempore* (quo ſcil. Evangeliorum conditores florebant,)vocem γενεσίων ſv. γενεθλίων pro *inaugurationis regiæ* ſolemnitate in uſu fuiſſe.

iſſe. Interim negari tamen non poterit, crebriorem apud Græcos τῶν γενεθλίων, ac quidem τῶν γενεσίων, mentionem fieri, uti ex *Athenæi* & *Luciani* ll. adduct. nec non ex hujus Demoſth. Encom. T. III, p. 491. cet. conſtat: unde etiam factum videtur, quod Codices nonnulli, *Millio* teſte, noſtro in l. ultimæ voci priorem ſubſtituerint. Coronidis loco Doctiſſ. *Schwartzii* (quem & *Wolfio* jam, ad *Matth.* l. ſed perperam, citatum cerno,) nonnulla adpingere juvat, liti huic dirimendæ forſan apta nata, digna ſaltem, quæ hic repetantur. Leguntur vero in eruditiſſimis ejus ad *Olearium*, de Stilo N. T. Adnotatt. p. 282. ſq. γενέσια *ignotum Græcis non erat vocabulum: de ſignificatione vocabuli fortaſſe dubitari queat, ſed nec hoc quidem conſtanter ſatis. Nam Pollux* lib. III, c. 19. γενέσια *numerat ille quidem in vocabulis* ſepulturæ *familiaribus: ſed quia ea &* νεκύσια *jungit, ſane apertum eſt, ea, proprie de* natali die *dicta, boni ominis cauſa ad diem* mortis *transferri cœpiſſe.* —— *Quod ſi uſus Athenis, fortaſſis & alibi, ad diem mortis nomen hoc ipſum aſtrinxerit, qui leporis & ſubtilitatis ingenii nonnunquam ad ſuperſtitionem avidi erant: at ea res juri aliarum gentium & ſcriptorum obrogare & officere nequaquam poteſt nec debet.*

Marc. VII, 3.

Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι.

Quod ad Judæos, hunc morem, Marcique phraſin, πυγμῇ νίψασθαι, ſatis jam explicuere viri Docti, quos magno agmine *Wolfius* in Cur. excitat, quibusque addo *J. G. Michaelis*, in Symb. Litterar. Brem. T. I p. 450. maxime vero *Goodwinum*, in Moſe & Aar. l. I. c. X, §. 13. ſq. ejusque Commentatores, *Reitzium*, p. 83. ſqq. *Hottingerum*, p. 182. ſqq. ſed inprimis Doctiſſ. *Carpzovium*, in præſtantiſſimo Antiquitatum Hebr. ad ductum Goodwini, Adparatu, p. 185. ſqq. Nos de aliis populis, eundem hunc ritum ſumma cum cura obſervantibus, nonnulla propinabimus. Aegyptiorum ſacerdotes ter de die ſeſe abluere ſueviſſe, a lecto, *ante prandium*, & quum ad dormiendum se conferrent, auctor eſt *Porphyrius*, de Abſtin. lib. IV, ſect. 7. Medi etiam *cœnaturi* antea ſe lavabant, uti e *Xenophonte* jam docuit *Raphelius*, in noſtr. locum. Idem de Perſis liquet ex *Herodoto*, lib. I, c. 126., ubi Cyrus Perſas in poſterum diem convivio intereſſe jubet

λελυ-

λελυμένους, *lavatos*. Romanorum conſuetudinem e Catone Uticenſi æſtimare liceat, de quo *Plutarchus*, in ejus Vita, T. I. p. m. 792. C. narrat, quod λυσάμενος ἐδείπνει, *lotus cœnaret*. Sic quoque apud *Plautum*, in Perſa, Act. I, Scen. III. v. 10. ſq. ubi de menſa adparanda eſt oratio, Toxilus, aliquem præſtolans:

—— *Lautum credo a balneis*
Jam hic adfuturum. ——

Iterumque Act. V, Scen. I, v. 17.

—— *Date aquam manibus, adponite menſam.*

Conf. ib. *Taubm.*

Neque minus Græci ejusdem moris erant ſtudioſi. Luculentus teſtis eſt *Ariſtophanes*, in Veſp. v. 1211. ſq. ubi Bdelycleon, alium de conviviorum ratione inſtruens, ut ſciat (v. 1203. ſq.) ξυμποτικὸς εἶναι καὶ ξυνουσιαστικὸς, inter cetera:

Ὕδωρ κατὰ χειρός, τὰς τραπέζας εἰσφέρειν.
Δειπνῶμεν, ἀπονενίμμεθ' ἤδη, σπένδομεν.
Aquam ad manus (poſcito;) *menſas adferre* (jubeto.)
Cœnamus (tum,) *abluimur iterum, libamus.*

Ad quem locum *Scholiaſtes*: ἔτως ἔθος λέγειν, ὕδωρ κατὰ χειρὸς, πρὸ τῦ εἰσαχθῆναι τὴν τραπέζαν. μετὰ δὲ τὸ δειπνῆσαι, ἀπονίψασθαι δὸς, ὦ παῖ. *Sic moris erat loqui, antequam inferretur menſa: aqua manibus* porrigatur; *poſt cœnam vero: da puer* aquam, *abluendi gratia.* (*) Idem auctor, in Avib. v. 130. ſqq.

—— πρὸς τῦ Διὸς τὸλυμπίε,
Ὅπως παρέσει μοι καὶ σὺ καὶ τὰ παιδία,
Λουσάμενα πρωΐ. ——

—— *per Jovem Olympium* rogo,
Ut apud me ſis (†) *& tu & filioli,*
Loti mane. ——

Unde, eadem in Fabula v. 463. ſq. quum quis dixiſſet:

—— Φέρε παῖ σέφανον. καταχεῖσθαι
Κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω ταχύ τις. ——

Adfer

(*) Similia, quoad phraſium harum diſcrimen, habet *Athenæus*, Deipnoſoph. lib. IX, c. 18. p. 408. F. qui vero illa falſi arguit p. 410. C.

(†) *Apud aliquem eſſe* dicebantur convivio excepti. Notiſſimum illud *Terentii*, in Heautontim. Act. I, Scen. I, v. 109.
Dionyſia hic ſunt: hodie apud me ſis volo.

—— *Adfer puer coronam: effunden-*
dam
Super manus aquam ilico quis adferat.

facete interrogat alter:

—— Δειπνήσειν μέλλομεν, ἢ τί;
—— *Cœnaturine ſumus, aut quid?*

Eodem reſpicit Comicus noſter, in Equit. v. 355. ſq.

Ἐγὼ δέ γ' ἤνυσρον βοὸς καὶ κοιλίαν ὑείαν
Καταβροχθίσας, κἄτ ἐκπιὼν τὸν ζωμον, ἀνα-
πίνιπτος, κ. τ. λ.
Ego autem ventriculum bovis, & ſto-
machum ſuillum
Quum devoraverim, poſteaque epotave-
rim jus, illotis manibus, &c.

Teſtem quoque adpello *Lucianum*, qui plurimis in locis ejusdem inſtituti meminit, ſed quæ, chartæ redimendæ gratia, digito tantum indicabo. Vide ſis igitur eum, in Dial. Mort. T. I, p. 356. de Merced. Cond. p. 670. in Somn, T. II, p. 715. in Saturn. T. III, p. 405. uti etiam ibid. p. 399. inter leges

leges convivales primo ſtatim loco *lotionem* memorat; denique in Timon. T. I, p. 170: ad quem ultimum l. *Barlæus* in Not. (T. I, p. 159. edit. Amſt. 1687.) hunc morem veteres ſervaſſe, tum *nitoris*, tum etiam *valetudinis* cauſa, monet; ſubiungitque, ex *Athenæi* lib. V. Ariſtotelem dixiſſe, *non decere quenquam, illotum & pulveris plenum ad convivium accedere.* Tandem *Homerus* in ſcenam prodeat, Odyſſ. Δ. v. 52. ſqq.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος.
Νίψασθαι. παρά δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.
Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα, κ. τ. λ.

Aquam vero ad lavandum ancilla ferens gutturnio fudit
Pulcro, aureo, ſuper argenteo lebete,
Ut ſeſe lavarent: juxta autem politam extendit menſam.
Panem vero caſta diſpenſatrix ferens adpoſuit, &c.

Iterumque v. 213. ſq.

Δίζησθ' ἐξαῦτις μνησώμεθα, χερσὶ δ' ἐφ' ὕδωρ
Χεύαντων. ——

Cœnæ

Cœnæ iterum memores ſimus, manibus vero aquam Adfundant.

Hinc patet, ſervos aquam convivis adminiſtraſſe. Et clarius adhue e v. 216. ſqq.

—— Ἀσφαλίων δ' ἄρ' ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευεν,
Ὀτρηρὸς θεράπων Μενελάου κυδαλίμοιο.
Οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον.

—— *Aſphalion igitur aquam manibus infundebat,*
Impiger famulus Menelai inclyti.
Hi vero (convivæ) *ad cibos paratos adpoſitosque manus extendebant.*

Plura iſtiusmodi deſiderans conſulat Ill. *Spanhemium*, in *Ariſtoph.* Plut. v. 84. & in ejusd. Nub. v. 987. *Bulengerum*, de Conviis, l. I, c. ult. in Theſaur. Græv. T. XII, p. 102. & *Scacchum*, Myrothec. I, c. 31. p. 151. Quin & nonnunquam per ſingula fercula & miſſus, ſicque aliquoties *in* eodem convivio, lavabant veteres, uti *Lipſius* docet, Saturnal. Sermon. l. II, c. I, Opp. T. III, p. 924. ſq. ſv. in Theſauro laud. T. IX, p. 1214 ſq.

Marc.

Marc. IX, 15.

Καὶ ἐυθέως πᾶς ὁ ὄχλος ἰδὼν αὐτὸν ἐξεθαμβήθη, καὶ προστρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν.

Ultima omnes fere vertunt, nimis exiliter: *ſalutaverunt Eum*; & Syrus, ad morem populorum Orientis, ܣܒܠܘ ܠܗ Malim, magis emphatice: *complexi ſunt Eum*, h. e. *ſummo cum gaudio, ſtudio, amore, & reverentia Eum exceperunt.* Hæc enim τῦ ἀσπάζεθαι vis eſt ac ἐνέργεια. Latiſſimam hancce ejus ſignificationem, age, paucis perſequamur. 1. Proprie eſt *complecti* aliquem, idque ex *adfectu* tenerrimo, *Scholiaſtes Ariſtophanis*, laudatus *T. Eckhardo*, in Obſ. ad N. T. ex Ariſtophanis Pluto. p. 29. Κυρίως ἀσπάζεθαι ἐςὶ τὸ περιπλέκεθαί τινα, διὰ τὸ ἀγαν σπᾶθαι εἰς ἑαυτὸν τὸν ἕτερον. Quod & *Euſtathius* confirmat, ad Il. κ. v. 542. ubi *Homerus*.

Δεξιῇ ἠσπάζοντο, ἐπέεσσί τε μειλιχίοισι,

Dextra complectebantur, verbisque ſuavibus;

qualia etiam habet, Odyſſ. γ. v. 35.

Χερσίν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάαθαι ἄνωγον,

Manibusque complectebantur, & ſedere jubebant;

ad quem l, idem *Euſtathius*: (*Stephano* auctore,

ctore, in Theſaur. L. Graec. ad h. voc.) ἐφιλησεσπῶντο καὶ εἶλκον διὰ δεξιώσεως εἰς ἑαυτές, addens, *talem quendam* ἀσπασμὸν *morem ſuo etiam tempore apud nonnullas gentes receptum.* Præterea & *oſculo* nonnunquam τὸν ἀσπασμὸν factum fuiſſe, videmus in *Ep. ad Rom.* c. XVI, 16. (ubi confer. *Palairetus*, in Obſ. Phil. Crit.) 1 *Cor.* XVI, 20. 2 *Ep.* XIII, 12. 1 *Theſſ.* V, 26. 1 *Pet.* V, 14. Quin imo de *complexu laſcivo* hoc verbum uſurpatur *Ariſtophani*, in Concionatr. v. 966. 969. ubi juvenis, amore furens, bis ad amicam: Ἄνοιξον, ἀσπάζε τε. —— Ἄνοιξον, ἀσπάζε με. διά τοι σὲ ὠδῖνας ἔχω. *Aperi* (januam) *& amplexare!* — *Aperi, amplexare me! tui enim cauſſa diſcrucior.* 2. Talis autem complexus quum in acceſſu vel diſceſſu maxime locum habeat, hinc ἀσπάζεσθαι perſæpe idem eſt ac *ſalutare* aliquem, vel alicui *valedicere.* Sic Socrates Strepſiadem, in quem incidit, hicque Socratem rurſus, ἀσπάζεται, *ſalvere jubet*, apud Comicum, in Nub. v. 1144. ſq. Conferantur etiam *Homeri* ll. cc. & add. Odyſſ. τ. v. 415. Paulus vero Apoſtolus Epheſo proficiſcebatur ἀσπασάμενος τὸς μαθητάς, *valedicens dicipulis*, forte & *complexu*, adfectus pleniſſimo, *Act.* XX, 1. ad quem l. plura hujusmodi e *Xenophonte* dabit *Raphelius.* Vide quoque cap. XXI, 6. cet. Hocque ſenſu, ſed in ſequiorem partem

tem, ſumitur in *Ariſtophanis* Plut. v. 1043. ubi juvenis quidam vetulam amaſiam ἀσπάζεται, h. e. *valere jubet*, nuncium ei remittit, ut ſequentia ſatis docent. Qualemcunque porro, etiam quæ abſentibus fit, *ſalutis precationem, officiorumve oblationem*, ſæpiſſime in Epp. Apoſtolicis, maxime *Rom.* XVI, denotat, quo ſenſu & ἀσπασμὸς venit 1 *Cor.* XVI, 21. & alibi. Huc quoque pertinet *Ariſtophanis* Plut. v. 322 324. ubi τὸ ἀσπάζεσθαι in locum τῦ χαίρειν, ceu præclara magis *ſalutationis* formula in locum vulgatæ iſtius, ſubſtituitur. Sic enim Chremylus.

ΧΑΙΡΕΙΝ μὲν ὑμᾶς ἐςὶν ὦ ἄνδρες δημόται
Ἀρχαῖον ἤδη προσαγορεύειν, καὶ σαπρόν.
Ἀσπάζομαι δέ. ——

Quæ hunc in modum *Friſchlinus* reddidit:

Ut vos jubeam ſalvere, o populares mei,
Inſipida & obſoleta ſalutatio mihi
Videtur. Itaque ſaluto more vos novo:
Ut obviis ulnis amplector!

3. Exinde vero alius, isque amplior adhuc, vocis ſignificatus eſt arceſſendus, dum paſſim infert *amorem*, *benevolentiam*, *ſtudium*, nec non *venerationem*, quibus aliquem proſequimur, quorumque iſtiusmodi *ſalutatio*

&

& *complexus* ſolent eſſe indicia. Ita *Aeliano*, Var. Hiſt. lib. X, cap. 16. & l. XIV, c. 14. ὑπεραστάζεσθαι, eſt *ſummo operè amare*, quam etiam ſignificationem ſimplicis ἀστάζεσθαι exemplis quibusdam roborat *Perizonius*, in Not. ad prior. l., p. 669, nec non laudatus *Palairetus*, ad *Matth.* V, 47. quibus jungi poteſt Auctor anonymus *C. D.* Vol. III, *Obſ. Miſc. in Auct. vet. & recent.* p. 237. *Dionyſius Halic.* Excerpt. Leg. p. 738., Nolanorum meminit, σφόδρα τὰς Ἕλληνας ἀσπαζομένων, *Græcæ gentis impenſe* STUDIOSORUM. *Plutarchus*, in Cicer., Opp. T. I, p. 861., *Is qui hujus gentis primus Cicero eſt cognominatus, vir egregius videtur fuiſſe: quare & poſteri ejus hoc cognomentum non retecerunt*, ἀλλ' ἠσπάσαντο, καίπερ ὑπὸ πολλῶν χλευαζομένην, *ſed* MAGNI FECERUNT, *ſive* VENERATI SUNT, *quamvis apud multos ludibrio habitum.* Idem, in Lucullo. p. 501., ἠσπάζετο τήν τε ἀγχίνοιαν αὐτοῦ καὶ τὸ λιπαρές, *ſagacitatem ejus & diligentiam* MAGNI ÆSTIMAVIT, *ita ut eum aliquando menſæ & concilii participem faceret.* 4. Denique, eodem ex fonte, eſt etiam *cupide & cum gaudio* aliquem *excipere*, id quod itidem *amplexu* vehementiori ſolet fieri. Sic Plutum, cœcum antea, ſed qui modo oculorum uſum receperat, ἠσπάζοντο, *amplexabantur*, illi quaſi congratulantes, & lætitia elati, apud

Ariſtophanem, in Plut, v. 743. Addas-omnino v. 751. ſqq., quæ nos infra, ad *Marc.* XII, 42. exhibebimus. "Inprimis vero huc "pertinet Ejusdem locus, in Veſp. v. 602. "ubi ſenex e concione, accepto triobolo "judiciali, domum reverſus excipitur: ἅμα "πάντες ἀσπάζονται διὰ τ' ἀργύριον, *omnes ſimul* "me *complectuntur ob argentum*!„ Verba legis *Spanhemii*, in Not. ad *Ariſtoph.* Plut. v. 324. qui & ad Ejusdem Nub. v. 1144. conſulatur. Unicum *Herodiani* locum ſuperaddere liceat, qui, Hiſt. lib. V. cap. 8. ſect. 14., de militibus narrat: τὸν μὲν Ἀλέξανδρον ὑπερφυῶς ἠσπάζοντό τε καὶ εὐφήμουν, τῷ δὲ Ἀντωνίνῳ ἀμελέστερον προσεφέροντο. *Alexandrum quidem ſupra modum ſalutabant & fauſtis adclamationibus proſequebantur, Antonini vero minorem multo rationem habebant.* Nimirum, uti ex præcedentibus liquet Alexandro inſigniter favebant, eumque, quem Antoninus Imp. latere juſſerat, quin & diem obiiſſe populo per rumorem perſuadere fuerat conatus, nunc iterum, quod vi ac votis expetierant, oculis ſuis uſurpare ipſis concedebatur. Unde hic locus illi, quem præ manibus habemus, *Marci* maxime eſt παράλληλος. His vero omnibus adjunge tandem, præter Lexicographos atque *Eckhardum*, lib laud. p. 29. ſqq., Doctiſſ. *Wolfium*, in Cur. ad *Matth.*

V,

V, 47. & laudatum ibi *Jenſium*, ſed qui mihi ad manus non eſt. Vides B. L., quam late vocabuli hujus notio pateat; tum vero, quam apte latiſſima hæc notio in noſtrum loc. quadret, dum homines *conſpecto* Domino *obſtupeſcebant*, & *adcurrentes Eum* ἐσπαζοντο, *complectebantur*, amoris ſane, ſtudii ac reverentiæ ergo, avide ſaltem & cum gaudio plauſuque Eum excipientes, æque facile perſpicis.

Marc. XII, 13.

Ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσι λόγῳ.

Vox ἀγρεύειν, ratior licet apud exteros & ſemel tantum in N. T. occurrat, Philologis tamen ſacris hactenus fuit neglecta. Hic loci ſenſu *improprio* adhibetur. *Proprie* denotat *captare*, ſive *feras*, ſive *piſces*. De *piſcium* captura eam uſurpat *Lucianus*, Ver. Hiſt. l. I. ſ. T. II, p. 76. init. Ἡμεῖς γὲν ἀγρεύσαντες αὐτῶν (ἰχθύων, de quibus ſtatim ſermo fuerat,) τινάς, κ. τ. λ. Nos igitur *quum eorum* (piſcium) *cepiſſemus quosdam* &c. & p. 98. ubi ita: Καὶ ὄρνεα δὲ θηρεύομεν —— καὶ ζῶντας ἰχθῦς ἀγρεύομεν, *aves etenim inſequimur*, & *vivos capimus piſces*. Notandum hic, quod θηρεύειν, *feris* proprium, ad *aves* transferatur, (uti in illo *Plutarchi*, in Alexandr. Opp. T. I, p. 677. παίζων ἀλώπεκας ἐθήρευε καὶ ὄρνιθας, *animi*

cauſſa venabatur vulpes & aves, ſive *gallos gallinaceos*;) quod vero ἀγρεύειν iterum de *piſcibus* veniat. Interim non ſoli *piſcaturæ* ita privum eſt vocabulum, ut non aliquando & de *venatione* proprie dicta uſurpetur. Sane *J. Pollux*, Onomaſt. lib. V, init. ἀγρευτὴν adpellat *ferarum venatorem*, & lib. IX, ſect. 12. memoratur ipſi ἀγρευτὴς κύων, *canis venaticus*. Sic quoque in *Callimachi* Hymno in Dian. v. 85. legitur θηρίον ἀγρεύειν, *feram capere*; & in Ejusd. Epigr. 33. init. ἀγρευτὴς eſt, *qui lepores & cervas inſectatur*. Mitto plura. Τὸ ἀγρεύειν igitur, maxime ſi ad *piſcaturam* reſpicias, *dolos* eleganter pingit, quorum ope vaferrimi illi Phariſæi & Herodiani, ad Optimum Servatorem, ſi pote, irretiendum, abutebantur.

Marc. XII, 30.

Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου.

Similes aliorum quorundam dictiones collegeram, quas autem poſtea vidi, a Cel. *Albertio*, in Obſ. ad *Matth.* XXII, 37. occupatas pridem eſſe. Supereſt mihi tamen *Theocriti*, ex quo nonnulla jam dedit V. C, alius præterea locus. In Ejus nempe Idyll. XXIX, v. 4. legimus:

Οὐχ ὅλας φιλέειν μ' ἐθέλησθ' ἀπὸ καρδίας.

Plu-

Plura obferunt, quos *Wolfius*, tum in noſtr. tum vero in *Matth.* l. c. indicavit. qui busque laudatus *Albertius*, inprimis jungi meretur.

Marc. XII, 44.

Αὐτη —— ἔβαλεν ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

Βίον, præter victum, etiam *opes* atque *facultates* denotare, *Raphelius* & *Elsnerus* optime hic monuerunt. Exemplorum vero haud contemnendum nobis reliquere ſpicilegium. *Palæphatus*, Incredib. cap. III, τῷ δὲ Ἀκταίωνι, ἀμελοῦντι τῶν οἰκείων, μᾶλλον δὲ κυνηγετοῦντι, διεφθάρη ὁ βίος, *Actæoni vero, res domeſticas nihil curantis, ſed magis intenti venationibus, facultates conſumtæ ſunt.* Cap. XXIII, *De Phineo narrant*, ὡς διέφθειρον αἱ Ἅρπυιαι τὸν βίον αὐτοῦ, (Sic enim ex Codd. legendum omnino, ut ſequentia ſuadent, pro vulgato, διεφόρουν τὸν νοῦν.) *quod Harpyiæ facultates ejus perderent.* Et paulo poſt: αἵτινες (θυγατέρες nempe) τὸν τοῦ πατρὸς βίον διέφθειρον. Et iterum: ὅτι αἱ Ἅρπυιαι τὸν βίον αὐτοῦ διαφθείρασι. Cap. XXIV. *Dicebant igitur Theſſali*, ὁρῶντες ἀθροιζόμενον τῷ Ἐρισίχθονι τὸν βίον, *videntes facultates Eriſichthonis cumulatas, ex Metra* (filia ſcilicet, quæ patri has facultates comparaverat,) *ipſi fieri equum, bovem, aliaque.* Cap. XXVI. de Glauco refert, *quod, equos alens, nec*

res domesticas curans, sumtusque impendens magnos, opes dilapidaverit, καὶ ἀπέλιπεν αὐτὸν ὁ βίος, *quodque facultates ipsum destituerint. Aristophanes,* in Plut. vs. 751. sqq.

Οἱ γὰρ δίκαιοι πρότερον ὄντες, καὶ βίον
Ἔχοντες ὀλίγον, αὐτὸν ἠσπάζοντο, καὶ
Ἐδεξιοῦνθ' ἅπαντες ὑπὸ τῆς ἡδονῆς.
Ὅσοι δ' ἐπλούτουν, ὑσίαν τ' εἶχον συχνὴν,
Οὐκ ἐκ δικαίου τὸν βίον κεκτημένοι,
Ὀφρῦς συνῆγον, ——

h. e.

Nam, qui olim justi fuerant, & opibus
Instructi paucis, illum (scil. Plutum) *amplexabantur &*
Dextram (ipsi) *jungebant,* sv. *porrigebant, omnes, præ gaudio.*
Quotquot vero divitius abundaverant, multisque facultatibus,
Injuste opes quique sibi acquisiverant,
Frontem corrugabant, &c. ——

Vides, BION hic cum ΟΥΣΙΑ, permutari. Idem, in Ran. vs 1248 seqq.

Οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ', ἀνήρ, εὐδαιμονεῖ.
Ἡ γὰρ πεφυκὼς ἐσθλὸς, οὐκ ἔχει βίον,
Ἢ δυσγενὴς ὤν. ——

Nemo ab omni parte beatus.

Aut

Aut enim, nobili ſanguine cretus, opibus deſtituitur,
Aut ignobilis eſt. ——

Visne adhuc e ſacris Auctoribus ſimilia exempla? Div. *Lucas* eorundem haud pauca nobis ſuppeditabit: non modo cap. XXI, 4, ubi eadem, quæ hic *Marcus*, iisdem fere verbis narrat, ſed & cap. VIII, 43, de muliere ἀιμορῤῥοέσῃ aiens, quod *in medicos* ὅλον τὸν βίον (τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα, uti *Marcus*, c. V, 26.) *impenderit;* nec non cap. XV, 12, ubi, æque ac in ſuperiori *Ariſtophanis* loco, ὐσιά & βίος permutantur; & iterum ejusdem cap. comm. 30, quando prodigi filii frater ad patrem indignabundus: ὁ υἱός σε ὗτος, ὁ καταφαγών σε τὸν βίον, κ. τ. λ. quocum apte confertur Strepſiadis, filium objurgantis, dictum, apud *Ariſtophanem* in Nub. vs. 835 ſqq.

—— Συ δὲ
Ὥσπερ τεθνεῶτος καταλύει μὲ τὸν βίον.

—— *Tu vero*
Ac ſi mortuus iam eſſem, meas opes diſperdis.

Quorſum etiam adplicari queunt, quæ mox e *Palæphati* cap. XXIII. dedimus. Denique & Div. *Johannes* prodeat, qui 1 Ep. III, 17, ait: Ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου,

θεωρῇ τὸν ἀδελφὸν αὐτῦ χρείαν ἔχοντα κ. τ. λ. *Quicunque habuerit facultates hujus mundi, & viderit fratrem ſuum egentem & clauſerit viſcera ſua &c.* Interim pro ſolo etiam *victu* eandem vocem ſæpenumero adhibent Auctores. *Ariſtophanes*, in Plut. vs. 524.

Διὰ τὴν χρείαν, καὶ τὴν πενίαν, ζητεῖν ὁπόθεν βίον ἕξει,

Propter neceſſitatem, & paupertatem, quærere unde victum comparet.

Lucianus, in Pſeudolog. T. III. p. 181. Ἐγώ σε, ὦ ἀχάριστε; πένητα καὶ ἄπορον παραλαβὼν, καὶ βίου δεόμενον. *Ego te, o ingrate, pauperem & inopem quum accepiſſem, & victus indigum.* Et hoc ſenſu fortaſſis quoque ultimus *Palæphati* locus, ſupra adductus, poterit intelligi.

Marc. XIV, 8.

Ὃ ἔσχεν αὕτη, ἐποίησε.

Dudum mihi ſuboluerat, hæc ita eſſe accipienda: ὃ ἔσχεν αὕτη ποιεῖν, ἐποίησε. Poſtea e Doctiſſ. *Kypkio* didici, Cel. *Heumanno* idem fuiſſe obſervatum. *Kypkius* vero, ut paſſim ſolet, hic etiam *Heumanno* obloquitur, adſerens, τὸ ἔχειν hoc ſenſu non ſemper adjunctum ſibi infinitivum habere. Sed, uti

uti ſingulæ Viri D. auctoritates omni exceptione majores non ſunt, ita agnoſcendum omnino, 1. ellipſin τῦ ποιεῖν, quum immediate ſequatur ἐποίησε, hic loci ſatis elegantem eſſe, 2. longe plurima Auctorum, tum ſacrorum, tum & profanorum, exempla *Heumanno* mihique favere. Sic *Luc.* XII, 4. Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν —— μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι. *Ioh.* VIII, 6. ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτῦ. *Act.* IV, 14. οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν *Epheſ.* IV, 28. ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. *Heb.* VI, 13. ὁ Θεὸς —— κατ' οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι. Ad quem poſtremum l. ſimilia e *Xenophonte* promit *Raphelius*. Age vero & ipſe exterorum paucula oculis Tuis, B. L. ſubjiciam. *Herodianus*, Hiſt. lib. VI. cap. I. ſect. 17. ἵνα ἔχοι τοῖς στρατιώταις —— ὁ Ἀλέξανδρος χαρίζεσθαι, *ut poſſet militibus Alexander largiri.* Lib. VII. cap. 2. ſect. 16. ἵνα μὴ μόνον ἀκούειν τὰ γενόμενα, ἀλλὰ καὶ βλέπειν ἔχωσι οἱ Ῥωμαῖοι, *ut non modo audire quæ gererentur, ſed & videre, Romani poſſent.* Lib. VIII. cap. 3. extr. εἰπεῖν οὐκ ἔχω, prorſus ut Latini, *dicere non habeo.* Similiter omnino *Ariſtophanes*, in Ran. vs. 60, οὐκ ἴχω φράσαι, *nequeo dicere*; iterumque vs. 434. Ἔχοιτ' ἂν ἔν φράσαι νῷν; *Poteſtisne nobis dicere?* *Lucianus*, in Deor. Dial. T. I. p. 222. Τῷ τῦτο τεκμαίρεσθαι ἔχεις; *quo id indicio colligere potes?* & p. 255. Τὸ μὲν ἀληθὲς

θὲς ἁκ ἔχω λέγειν, *verum quidem quid sit, dicere non possum:* in Hermot. p. 746. πόθεν ἔχεις εἰδέναι; *unde potes scire;* p. 766. Οὐ μέντοι ἔχω εἰδέναι, εἰ ἀληθῆ φησίν, *neque scire possum, an vera dicat:* nec non in Halcyon. p. 180. Τί δὲν οἱ ἀγνοοῦντες τὰς θεῶν καὶ δαιμονίων δυνάμεις, ἔχοιεν ἂν εἰπεῖν, πότερον δυνατὸν ἢ ἀδύνατόν τε τῶν τοιῶτων; *quid autem, qui deorum geniorumque vires ignorant, dicere possint, utrum talium verum fieri aliqua possint nec ne?* in Tyrannic. T. II. p. 150. οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνο ἂν ἔχοις λέγειν, neque enim *illud possis dicere. Aelianus*, Var. Hist. lib. XIII. cap. 30. νῦν οὐδὲ τῶν κοινῶν —— μεταλαχεῖν ἔχεις, *nunc ne communium quidem verum particeps esse potes.* Illis denique, quæ ex *Xenophonte* indicavit Raphelius, unicum Ejusdem subjungam. Scilicet Memorab. lib. IV. p. 811. A. ἔχεις οὖν εἰπεῖν, ὁποῖός τις ὁ εὐσεβής ἐστιν; *potesne igitur dicere, qualis sit homo pius?* Sufficiant hæc. Idem vero Cl. *Kypkius*, dum *secundo* loco hæc verba etiam interpretari amat: *fecit quod* SCIVIT; pauciſſimos, me judice, habebit ὁμοψήφους, nemo licet negaverit, admittere τὸ ἔχειν aliquando (ex. gr. apud *Aelianum*, Var. Hist. lib. I. cap. 32. p. 59. ubi pluribus hoc etiam docet *Perizonius*, in Not.) huncce ſignificatum, quem præterea *Raphelius*, ad *Act.* XXV, 26. *Xenophontis* iterum auctoritate cor-

corroborat, qui vero in iſto *Actorum* loco minus videtur neceſſarius. Neque multis, credo, *Keuchenius* perſuaſerit, τὸ πιεῖν hic loci idem eſſe ac *impendere*. Exempla enim, quibus iſtam vocis notionem adferere ſuſtinet, dativum ejus, *cui* aliquid *facias*, ſive *impendas*, adjunctum habent, cujus vero apud *Marcum* noſtrum ne vola quidem exſtat. Neque ſane audiendus eſt, dum *Ioh.* XII, 16. eundem in ſenſum trahit.

Marc. XIV, 31.

Ἐὰν με δέῃ συναποθανεῖν σοι, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι.

Intenſiſſimum, quo Magiſtrum Optimum complectebatur, amorem his verbis Petrus ſignificat, dira quævis cum illo perferre paratus: ſicut *vitæ* diſcrimen pro *ſummo* plerumque, nec ſine ratione, reputatur. Ita Chremylus apud *Ariſtophanem*, in Plut. vs. 216. ſq.

Ἐγὼ γὰρ, ἴσθ' εὖ τοῦτ' ἴσθι, κἂν δεῖ μ' ἀποθανεῖν,
Αὐτὸς διαπράξω ταῦτα. ——

Ego enim, probe hoc ſcito, etiamſi me oportet mori,
Ipſemet hæc perficiam. ——

Cui

Cui Cario ſtatim reſpondet: Κἂν βάλῃ, γ'ἐγώ, *ſi volueris, ego quoque*, ſcil. vel capitis periculum ſubire haud detrecto. Ita, quem B. *Albertius* (in *Matth.* XXVI, 35.) jam obſervavit, *Ariſtænetus*, ὐδὲ δειλὸς, κἂν δέοι τεθνᾶναι, *neque timidus, etiamſi vel moriendum eſſet.* Similia ex *Ioſepho* dedit *Krebſius*, in eundem *Matth.* l. Mihi vero etiam in mentem hic veniunt ΣΥΝΑΠΟΘΝΗΣΚΟΝΤΕΣ dicti homines, varias inter gentes, qui arcto ſanctoque adeo amicitiæ vinculo utrimque copulati erant, ut ſi alteri fatale quid accidiſſet, alter ſuperſtes eſſe recuſaret. Narrat de hujusmodi confœderatis *Iul. Cæſar*, de B. Gallico, lib. III. cap. 22. & lib. VII. cap. 40, itemque *Valer. Maximus*, Memorabil. lib. II. cap. 6. ſect. 11; plures autem enumerat *Alexander ab Alexandro*, Genial. Dier. libr. I. cap. 26, ubi etiam *Tiraquellus* in Not. p. 198, conſulatur. Huc forſan reſpicit *Horatius*, in elegantiſſimis illis, quæ Carm. lib. II. Od. 17. vs. 5 ſq. leguntur, quæque Petri ſententiam ad amuſſim referunt:

Ah, te (Mæcenas) *meæ ſi partem animæ rapit*
Maturior vis, quid moror, altera (pars)
Nec carus æque, nec ſuperſtes
Integer? Ille dies utramque

Du-

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

Talem omnino conſtantiſſimi amoris adfectum Corinthiis ſuis Paullus teſtatur, Ep. poſt. cap. VII, 3. ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν ἐξε εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν.

TANTUM.

IV.

AMBROSII DORHOUT

V. D. M.

DISSERTATIO

DE

IRIDE SIGNO FOEDERIS NOACHICI

AD GEN. IX, 9. 10.

QUA OSTENDITUR

NON ADEO ESSE ATTENDENDUM AD COLORES IRIDIS, QUAM AD ID QUOD SIT ARCUS SINE NERVO.

§. 1.

Lubet disputare de loco S. Historiæ, ubi est de Originibus Humani generis post diluvium. Noah cum Suis ex arca, ut primum prodiit, Deo obtulit χαριστηρια, sacrificia, quibus animum gratum contestabatur pro concessa incolumitate, Sibi ac Suis. Grata & accepta hæc δωρα fuere Domino Cœli ac Telluris. Ita est in S. Historia, quin

quin voluit nominatim Noam monere hac de re, & in Revelatioue solemni promissum largiri; fore, ut non amplius Hominum Genus universum & animalium aquis excinderetur. Placuit Spiritui S. sacro volumini hanc narrationem inserere, cujus interest omne genus hominum. Audiamus ipsa verba quibus Promissum hoc gravissimum continetur Gen. VIII, 20 ויבן נח מזבח ליהוה *Struxit Noah aram Domino, & sumsit de omnibus animalibus puris, & de omnibns avibus puris, & obtulit Sacrificia supper Ara. Et odoratus est* &c. *Et dixit* Dominus אל לבו *non amplius maledicam Terræ propter hominem* &c. *& non amplius percutiam omne quod vivit* &c. *Et benedixit Dominus Noæ* &c. Sequuntur jam verba Gen. IX, 9. 10. *Et dixit Deus Noæ & ejus Filiis cum eo in hæc verba* ואני הנני מקימם את בריתי אתכם *Ego autem Fœdus meum Ecce erigo vobiscum & cum posteris vestrum* &c. *Erigo*, inquam, *Fœdus meum* vobiscum, *fore ut non amplius omnis Caro excindatur per aquas diluvii. Nam non erit iterum diluvium ad disperdendam terram. Dixit etiam Deus: hoc est signum Fœderis, quod ego concedo inter me & vos, & inter omnem animam viventem quæ apud vos est, usque ad generationes æternas.* את קשתי נתתי בענן והיתה לאות ברית בני

בני ובין הארץ *Arcum meum statuo in nubibus, & erit signum Fœderis inter me & terram* &c.

§. 2.

Ea Majestas & Auctoritas competit Historiæ Sàcræ, ut quemvis attentum abripiat in admirationem. Recte id advertit Theophilus Antiochenus: est in dictis S. virorum non ὑψος sublimitas, & μεγαλοϱϱημοσυνη tantum, sed etiam Majestas Eximia & stupenda, quæ aciem attenti Lectoris præstringat & compleat veneratione. Historia hæc, quæ antiquitate longe superat omnes cujuscunque gentis historias, non eo nomine tantum meretur legi, verum etiam quia tradit quæ mera veritate constant. Fuci nulli aut doli calamistrati adtexti sunt, sed præterea res, quæ traduntur, omnes refert & interest. Habemus hic primam mentionem Fœderis a Deo cum homine erecti, quod quidem sciam. Et primum etiam hic loci habemus mentionem signorum fœderalium. Neminem potest fugere aut latere, ubi in S. S. dein legitur de fœderibus cum Abrahamo & cum Israelis posteris erectis &c. tum etiam Fœderi Deum voluisse addere Signa אותות seu σημεια. Inserviebant hæc, ut cautio esset iis, quibus Deus Fœdus

dus largiri voluerat, omnia promissa fore rata, & implenda certo. Voluit, inquam, Deus κληρονομοις της επαγγελιας το ἀμεταθετον της βουλης notum facere interceſſione Jurisjurandi aliquando, & conſtitutione *Signi* ſeu אות, inſtar τυπου promiſſi gratioſe hominibus conceſſi.

§. 3.

Non lubet aut vacat jam de Fœderibus divinis amplius agere aut de Sacramentis, ſeu Signis Fœderum divinorum. Verum ſtatueram paucis diſputare de אות Fœderis cum Noacho erecti; de quo Moſes pluribus memorat Gen. IX.

Fuere Viri Eruditiſſimi olim, qui hac de re Eccleſiæ voluere cogitata ſua impertire. Longum eſſet recitare, quæ ab aliis dicta ſunt hac de re. Vir doctiſſimus *H. Grotius*, paucis defungitur in h. l. *Tres in Iride Colores ſignificant Dei ſeveritatem, Clementiam & Beneficentiam*; promit ο-παντ cogitata ſua libere & ſine ambagibus, tanquam de re, de qua non neceſſe eſt anxie disquirere, quia liquida eſt & omnibus manifeſta, adeo ut dubitandi locus non ſit relictus. *Anonymus Anglus* loquitur etiam de Iride ad eundem modum audacter: ſunt tanquam ex Tripode dicta, quæ aſſenſum flagitant omnium. *Glaucus color*

Diluvii index, ultimique rubor incendii. Argumentis sc. vel documentis non opus in re manifesta. Sed cuinam assentiamur? *Grotione* an *Anglo* doctissimo non plane simile & idem opinatis? Hic *binos* advertit in Iride colores, glaucum & ruffum, s. rubicundum, *ille* tres colores in ea videt. GROTIUS adumbrari & depingi coloribus Iridis dicit Virtutes Dei *severitatem*, *clementiam* ac *beneficentiam*, *Anglus* autem partim *diluvium* signari putat, partim ultimum *incendium*, quo omnia absumentur. Non nostrum est, nostro arbitrio hunc dissensum abolere aut componere.

Amicus Plato & Aristoteles, sed magis veritas; liceat nobis ab utroque dissentire, & expromere, quæ de hac re nobis obviam fuerunt. Est res digna consideratu; Fœdus Noachicum est omnium quæ in S. S. memorantur, quod quidem sciam, primum, & istiusmodi, quod omnes Noachidas, id est, universum genus hominum tangit. Merito igitur quis serio contempletur hujus Fœderis σημειον, imprimis autem illi, qui amant veritatem, & Evangelium censent πασης αποδοχης αξιον, habent, quare Iridem signum Fæderis Noachici attenta & seria animadversione considerant

rent, quia in S. S. Fœdus Gratiæ cum eo comparatur, & Dominus Jesus, postquam cum Patre consedit in throno, Iride Caput cinctum se conspiciendum præbet S. Johanni Apostolo. Ap. XI.

§. 3.

Solent res quandoque ita comparatæ esse, ut posset quis eas contemplari simplici modo amplius: παντα χρηματα δυο εχει λαβας, ut inquit ille. Quid si nos etiam signum Fœderis Noachici considerantes alia via instituamus? At jam non animum advertamus ad Colores, qui in Iride conspici possunt, quomodo Viri Eruditissimi, de quibus mox diximus, fecerunt, sed ad formam signi, קשת. Est vocabulum significatus notissimi; *Arcus* est instrumentum bellicum tritissimum, juxta atque antiquissimum. In S. S. Sæpius ejus mentio est. מגן, חרב, קשת. *Clypeus*, *Gladius*, *Arcus* in S. Historia antiquissima memorantur. Solent sacramenta, quæ obsignant bona fœdere promissa, ut hæredes gratiæ & Benignitatis Divinæ certiores sint, fore promissa iis rata; solent, inquam, sacramenta esse & sumi de rebus notis & tritis, ut in memoriam conspectu suo revocent ea, quæ Fœderis tabulis continentur.

Aſt quærat quis non immerito, *post* diluvium mentio eſt bellorum & armorum, ſed an *antea* etiam ea de re in S. S. habetur? Doctiſſimus MILTON cenſuit procul tum temporis bella & prælia fuiſſe, homines quippe tum ævum exegiſſe quietum & pacificum. Verum non recte virum doctiſſimum rationes ſubducere liquidum eſt ac manifeſtum omnibus, & patet etiam hinc, quia קשת pro ſigno Fœderis a Deo hominibus eſt datum: ſi autem *arcus* ignotus fuiſſet Noacho & filiis, nequaquam videtur huic uſui inſerviturus fuiſſe. Solent enim, uti diximus, σημεια Fœderalia eſſe de rebus, quæ manifeſtæ ſunt ac notæ; hæ autem duntaxat hominibus, qua tales, ſignificando promiſſa fœderis, natura ſua ſunt aptæ, et comparatæ. In σημειοις N. T. Baptismo, & Sacro pane & vino Euchariſtiæ id eſt manifeſtum & etiam in ſignis V. T. circumciſione, Paſchate &c. Aſt hic etiam id videtur opus. Videamus ergo, quæ in S. S. hac de re habeantur, an ſc. קשת & bellum hominibus tempore, quod diluvium præceſſit, fuere nota.

§. 4.

Nemo hic hæſerit facile. *Arma*, כלי מות *inſtrumenta bellica* primis hominibus, antiquiſſimis temporibus, fuiſſe nota neceſ-

neceſſe eſt, ſi S. hiſtoriæ ſuus conſtabit ſenſus. Primus omnium, quod quidem ex S. S. ſcimus, qui ferro uſus eſt ad hominem diſperdendum, eſt primogenitus primi hominis, Kainus. S. hiſtoria fert, δικαιον Abelem fratri exoſum fuiſſe propter pietatem, quia Kainus intellexerat manifeſto, Sacrificium & Cultum Abelis Deo fuiſſe accepta & grata. Jam dein ferale odium animo concepit & volvit contra fratrem. Soleo hunc locum S. S. legens præ admiratione obſtupeſcere. Adeone potuit Kain eadem in domo educatus & iisdem parentibus ſatus cum Abele & eadem cura ad Dei metum paratus & edoctus, odiſſe fratrem, & quod omnino notandum, cum eum ipſus Deus alloquio ſuo bearet, & moneret etiam, vellet redire ad ſemitam juſtitiæ, ubi ceſpitabat & errabat: הלוא אם - תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ ואליך תשוקתו ואתה תמשל-בו *Dixit Dominus Kaino, quare ira tua accenſa eſt & quare concidit facies tua, nonne ſi recte inſtituas veniam conſequeris*, Sin *vero minus recte inſtituas*, deeſt, quod cuivis liquet, *non adipiſceris veniam* ſeu *remiſſam peccati, ſed contra, dignum peccato ſupplicium lues*: quæ ſequuntur, etiam mihi videntur admodum liquida. *Abelis, quia ætate eum antecellis, inclinatio erga Te, & tibi in eum quadantenus*

tenus competit dominatus. תשוקה hoc sensu est de Eva Gen. 3., ut nemo hic hærere possit & non est, ut his immoremur *jam*, aut aliorum in diversa & aliena abeuntium interpretationes horum verborum repetamus. In תשוקתו non ad וטאת sed ad Abelem est referendum. Sed resumamus orationis filum. Qui potuit, inquam, Kain in pessimo & abominabili instituto bruto impetu ruere ad moliendam fratris insontis necem. Exerte S. historia dicit: Kain *locutus fuit fratri suo Abeli & accidit, ubi erant in agro, contra innocuum fratrem consurrexit & eum interemit* ויהרגהו. Non est in historia sacra, quo pacto Kainus Abelem vita privarit: potuit id facere modo plus quam simplici, etiam sine feralibus armis, absque ære & ferro &c. Verum ferri usum tum notum fuisse, & gladio seu cultro hominem efferum usum fuisse, ubi fratrem optimum neci dedit, id jam probatum dabimus.

§. 6.

Indicium nobis facit Johannes Apostolus, quo loco memorat primum fratrum par. Locus est, 1 Joh. 3, 10-12. *hac in re sunt manifesti Filii Dei & filii diaboli* πας ὁ μη ποιων δικαιοσυνην, ουκ εστιν εκ τυ Θευ, και ὁ μη αγαπῶν τὸν αδελφον αὐτοῦ: ου καθῶς Καιν εκ του πονηρυ

πηρα ἡν, και εσφαξε τον αδελφον αυτυ, και χαριν τινος εσφαξεν αυτον, *quia ejus opera mala erant & fratris ejus justa.* Videsne, habes hic bis apud Johannem καιν εσφαξε τον αδελφον. Σφαττειν non est *interficere* tantum, (Belgicam igitur corrigam, ea habet *doodsloeg*, ego refingam & præoptem *Slagtede*), sed virum *mactare*, quemadmodum animalia ferro conficiuntur & quomodo sacrificia solent necari. Vox occurrit Apoc. VI. 4. αλληλους σφαξωσι & XVIII, 21. παντων των εσφαγμενων. De Domino, qui se æterno Spiritu obtulit, & animam נפש חשיפ Jes. LIII. 10. sæpius est, tanquam ἐσφαγμενω, & quod εσφαγη & εις σφαγην ηχθη ως αρνιον Jes. LIII, Apoc. V, 6, 9 12. VI, 4.9. Sacrificia dicuntur inde σφαγια. Act. VII, 42. Addere licet locum ex DIONYSIO *Hal.* περι συνθ ονομ. p. 6. *id etiam censeo monendum esse, ut quis id non segniter observet, ut quæ tempore priora sunt, etiam ordine narrationis priora memorentur* οια εστι ταυτα, αυ ερυσαν μεν πρωτα, και εσφαξαν και εδειραν, locus est ex HOMERO *Il.* I, v. 458. Sed quid est opus in manifestis diu morari: σφαττειν *mactare* notat, & quam manifestissime S. Johannes indicat, quo pacto Kain Abelem interemerit. Ferro homo nefarius usus est, (non enim dicimus cultris Saxeis Kainum uum esse) in fratrem. Id

auctoritate Johannis tuto possumus affirmare. Apostolus autem id non dicit ex autoritate historiæ Sacræ; in ea nil tale dicitur: in genere enim est tantum apud Mosen, Kainum Abelem interfeciſſe. Sed quomodo. S. Juda *prophetiam* Enochi recitat, & quomodo Paulus nomina Præstigiatorum Ægyptiorum, *Iannis* & *Iambris*, ita etiam Johannes monitu Spiritus Sancti hunc modum, quo Abel periit, nobis in apertum promit. An non datur locus coniciendi? Kainum, qui affuerat Abelo agnos mactanti & offerenti Deo, quique viderat, cujus eum adeo pigebat & tædebat, Abelem Sacrificasse, & litasse, & Deo fuisse acceptissimum; cum ipse contra cum muneribus suis placere non posset: forte, inquam, non immerito conjecturam facere licet, hominem nequissimum jam tum statim animo constituisse, fratrem exosissimum sibi, tanquam Sacrificium mactare & dare leto, neque se ab hoc proposito flagitiosissimo revocari ab ipso Deo passum. Væsanus & furibundus, & odio occæcatus in abrupta ruens & præcipitem se dans in manifestam perniciem, fratrem obtruncat.

§. 7.

Igitur quod cœperamus asseverare nocens ferrum notum fuit primis hominibus,

bus, Videtur id etiam liquidum esse ex pellibus, quibus Adam & Eva primi parentes dicuntur convestiti. Quin non obscure etiam in historia Kaini Moses id nobis significat, fuisse Abelem a Kaino ferro excisum. Gen. IV, 9: & *dixit Dominus Kaino: ubi est Abel frater tuus? & dixit* (is) *Nescio, numnam ego Custos fratris mei?* Et *dixit* (*Deus*) *quid feciſti* קול דמי אחיך צעקים אלי מן-האדמה, id tu recte dederis, si me audies, non quemadmodum fere redditur, *Vox Sanguinis* &c. *sed sanguis fratris tui alta voce ad me clamat de terra.* Hebraismus est קול pro בקול. Solet ita ב instrumenti deficere, tum molestiam non faceſſet illud צועקים, sc. ad דמי refertur. Et tum etiam belle convenit, quod est Hebr. XII, 24. Καὶ αἱματι ῥαντισμῦ κρειττονα λαλοῦντι παρα τον ΑΒΕΛ.

§. 8.

Ast pergamus in instituto, & videamus, an in S. historia invenire est, arma & bella hominibus primi ævi usurpata fuisse. De Kaino jam visum, ferro Abelem contrucidavit. In Kaini hujus posteris offendere est, qui documentum præstat quam manifestissimum, bella ab hominibus primis fuisse gesta, & arma etiam fabricata. Sed antequam de hoc pessimi Patris pessi-

mo filio ex sacr. hist. audiamus, pauca adhuc addamus de ipso Kaino. Poëta οὐδεποι πω πεπολιστο πολις &c. de temporibus antiquissimis, quando inter homines altissima pax, & vis & injustitia longe exulabant, ut sc. non opus esset mœnibus contra hostium incursus. Ita Græci ἀει παιδες, quibus de rebus prima ætate mundi gestis nil plane compertum. In Script. S. clare est, Kainum *urbem ædificasse*, & huic nomen dedisse filii sui חנוך Gen. IV, 17. Habemus חנכי אברהם, *qui constituunt turmam militarem*, Gen. XIV, 14. An dicendum est, Kainum bellum & militiæ artem suis tradidisse, atque inde hunc חנוך vocatum? credam saltem hunc Enochum plane ob aliam rationem dictum esse חנוך, quam Enochum Sethitam. Sed hoc quodcunque fuerit, notum est, quid Hebræis חנך significet. Sed notari meretur חכה & חך, quæ hinc derivantur, manifestum facere, חנך significare *frænare*, *domare* &c. KIMCHI in *libro Radicum* in חך, postquam attulit loca, ubi חך pro *palato* venit חכה pro *hamo*, addit ואא זל: Dominus pater meus ὁ μακαριτης *scribit* כי שרש חך חנך Radicem חך צ״ע esse חנך, & *dages* in חכה sc. *esse a* נ neglecto וכן בערבי חנך, & *ita est Arabibus* حنك; id verissimum est حنك *habena equum coercuit* &c. حنك *palatum*: simili modo אף ab אנף.

Inci

Incidit igitur, an inde Kainus nomen urbi dare voluit, respondens nomini Filii Sui Enoch; & an vocis significatus sit *domitor*, *frenum*. Conferam urbem nomine proprio dictam חנוך cum ακη, de qua est apud STEPHANUM *de urbibus inv.* Πτολιμαις, πολις Φοινικης εκαλειτο δε προτερον Ακη, απο της ιασεως του γενομενου δηγματος Ηρακλει ὑπο Οφεως. habes hæc eadem in Ακη apud *Stephanum*, & de Herculis sanatione. Sed falluntur Græculi; & quam belle Phœnicia urbs nomen habebit a græca voce? non ita est, a חכה esse videtur, & componendum cum nostra חנוך & מתג אמה 2 Sam. VIII, 1. SUIDAS in Ακη notat eadem fere, quæ *Steph.* Ptolemaida dici Ακην, sed addit, *Demetrium ferre*, *non urbem* sed ακροπολιν *dici* Ακην. Sunt autem quæ *Suidas* habet, gemina & germana cum iis, quæ habet HARPOCRATION in Ακη. Πολις αυτη εν Φοινικη Δημοσθενης εν τω προς καλλιππον, ἣν Νικανορ ὁ (περι deest) μετονομασιων γεγραφως, καὶ καλλιμαχος εν τοις υπομνημασι, την νυν πτολιμαιδα καλουμενην Φασιν ειναι. Δημητριος δε, ιδιως την ακροπολιν της πτολεμαιδος, προτερον Ακην ωνομασθαι Φησιν. STRABONI etiam ακη dicitur & DIODORO *Siculo*, & ante hos SCYLACI *Caryandensi*.

Sc. Urbes conditæ sunt, & arces non tantum ζωης τελειας χαριν καὶ αυταρκους, ut Philosophus ait, ubi homines voluere mutuo

tuo auxilio & ope uti; verum etiam mœnibus & vallo circumdare, quem incolebant locum, voluerunt, ut in confinio & vicinia habitantes sub jugum mitterent, & eorum spoliis possent rem facere. Fuere ita urbes & arces tanquam ferarum Speluncæ & latibula, quibus tanquam ορμητηριοις homines efferi utebantur, ut hinc infesti invaderent homines alios. De Kaino urbem struente חנוך JOSEPHUS ita manifesto.

§. 9.

In historia Sacra, qui ibi dicuntur urbes condidisse primi, tales notantur. Gen. XI, 4: homines ad invicem locuti sunt נבנה לנו עיר, *struamus nobis urbem & turrim, qui ad cœlum capite pertingat, & faciamus nobis nomen;* ita est de condita Babele, & qua occasione hominum genus factum fuit πολυγλωττον. Sed de hac eadem Babele est Gen X, 10. fuisse eam ראשית Regni Nimrodi, quia גבור in terra esse cœperat, δυναστης, dominator, ut scilicet Babelem Urbem modo conditam vi & armis in potestatem suam redigeret, & mox etiam urbes alias ארך, אכד, כלנה hic memoratas. Conditor novi dominatus & Imperii, & Babele usus est, ut infestus esset hominibus aliis. Non immerito suspicio esse cui possit, ita Kainum etiam urbem חנוך condidisse, a nomi-

nomine Primogeniti filii sic dictam, qua de re Gen. IV, S. Historicus verba facit: partim ut ipsum se tutum præstaret & securum, partim ut alios homines metu ac terrore compesceret. Quicquid sit, illud manifestum est, Urbe seu arce & mœnibus non habuisse opus Kainum, ni bellum & instrumenta bellica inter homines nota essent & usurpata. JOSEPHUS autem clarissime id etiam habet.

§. 10.

Habes dein in historia Sacra, unde amplius liquet pessimam bellandi artem cœpisse magis innotescere. In Gente Kainitarum occurrit *Lamechus*. Sermo hujus hominis, quem S. Historicus consignavit, verba, quibus Uxores Adam & Zillam alloquitur, clare monstrant, fuisse eum belli potentem, qualem *Achillem* pingit *Horatius*. Impiger, iracundus, inexorabilis, acer. Gloriabundus de cæde & sanguine, omnibus interminabatur exitum & pernicieem, qui conarentur eum hostili animo invadere aut aggredi, איש הרגתי לפצעי וגו Modo Spiritus S. narrarat de filiis hujus Lamechi ex binis uxoribus; ex Ada procrearat Jubalem &c. tum etiam Jubalem. Zilla autem etiam procrearat תובל קין &c. ואחות תובל-קין נעמה; Belgica habet: *En*

de

de Zuster van Tubalkain was Naëma; ita etiam fere locus ab ceteris vertitur: Tu nota commode verti: *& sororem Tubalkaini Naëmam*, ut אחות sit accusandi casu, relate ad ילדה, quod est in initio periodi, Gen. IV, 22.

§. II.

Subit mirari Doctissimum CLERICUM, insurgentem contra Arabizantes Hebræos in l. de arte critica & asserentem, quam inania & evanida sint, quæ ex L. Arabica afferuntur ad illustrandas voces hebræas. Ad. h. l. *Geneseos* Vir eruditus tanquam sui oblitus affert ad תובלקין has duas voces תובל, וקונה Arabibus sonare *Laminam æris* & *ferri*, & quamvis jam hebræis ignotæ sint, haut dubie tamen hoc significatu pollere: ex Arabismo sc. BOCHARTUS etiam sed de unico תובל, simile quid affert in l. de Canaane, & liquet vel ex GOLIO تُوبَالٌ sonare *Squamam* seu *scoriam ferri, æris, aurive* a Rad تَبَلَ confecit perdidit. At quis animum inducat incertis conjecturis hisce veritatem superstruere & credere, ita capiendum esse Tubalkaini nomen, quia scil. dicitur לטש אבי כל חרש נחשת וברזל: Ev παροδω nota voces נחשת וברזל pertinere non tantum ad חרש, sed etiam ad לטש, quod præcessit, ut plene sit לטש נחשת וברזל אבי כל חרש נחשת וברזל, ut sensus sit, fuisse

isse hunc non tantum, qui ferrum & aes conflabat, sed etiam qui princeps & Dux esset omnium Fabrorum æris & ferri. In filiis Japheti etiam Gen. X, 1 memoratur, qui תבל vocatus fuit. Sed filius Lamechi duplici nomine forte a patre appellatus fuit, quia insistens vestigiis Avi, Kaini, eumque admiratus, voluit ejus memoriam servare in hoc filio, cum esset Avi bellatoris abnepos, bellum & arma cui in deliciis erant, atque ita תובל-קין fuit appellatus.

§. 12.

Manifestissimum adeo est, & luce meridiana clarius statim inde a primordiis generis humani, Bellum & instrumenta bellica nota fuisse. Id autem volumus in aprico ponere, ut expiscaremur significatum signi fœderalis, quod Deus concessit Noacho & omnibus ejus posteris. קשת vocabulum seu nomen est instrumenti bellici notissimi, juxta atque antiquissimi. Conficiebatur *Arcus* ære & ferro, qua materia antiquitus etiam arma conflabantur; id non eget demonstratione operosiore, res manifesta est ex Gen. XLVIII, ult. XLIX, &c.

Verum non ferro & ære tantum Arcus constabat, sed etiam *nervo*; tum demum

mum bellatori idoneus & aptus erat, ubi tensus erat Nervus in arcu. POLLUX l. I. §. 137. τοξον, καὶ τα τόξου μέρη κέρας, καὶ νευρα, καὶ οιστός. Notum est nervi adductione, sive id manu fiat, sive etiam pede, quod hebr. משך & דרך proprie dicitur, in arcu majori & minori telum adversus hostes excuti. Habes 2. Reg. XIII, 14, 15. probe quod notandum; Sagitta ex arcus excussione ab propheta Elisæo significatur bellum, quod ab Israelitarum Rege Joaso ad internecionem Syrorum gereretur. Arcu imprimis pollebant Parthi; ita hæc gens in historia celebratur; sed notetur apud DIONEM L. 49. pag. 466. Phraathes Rex Parthorum aurea considens sella, arcu instructus, καὶ την νευραν του τοξου ψαλλων, *tangens*, hoc signo Dominatum & imperium, quo pollebat, adumbrans, & qui suis Venerandus, & hostibus tremendus esset belli artibus. SUIDAS locum *Dionis* bis citat in ψαλλων & ψαλλομενος sed tacito ejus nomine. Confer. HESYCHIUS in ψαλλειν, τιλλειν, κινειν & in ψαλλασσειν, ψηλωφα & ψαλαγματα ψηλαφαματα.

§. 13.

Sequitur jam & proximum est, ut afferamus, in S. S. Deum celebrari tanquam, qui lucem & tenebras producat; pacem & malum, i. e. *bellum* Jes. XLV, 7.

Verum

Verum est etiam, ubi invenimus Deum, commemoratum tanquam גבור & איש מלחמה & instructum armis חרב וחץ &c. Deut. 32. ita manifesto, tum Ps. 18. 15. Notissimus hymnus est Ex. 15, 1. quo Israelitæ ex mari Rubro progressi, & a vi & oppressione Ægyptiorum se tutos videntes & hostes suos aquis Oceani absumtos, Deo grates agunt pro victoria ab Ipso illis procurata. ימינך יהוה נאדרי בכח ימינך יהוה, תרעץ אויב ita de Deo tanquam bello hostes domante Ex. 15, 6. &c. Habes. Ps. 7, 13. חרבו ילטוש קשתו דרך ויכוננה Thren. II, 4. דרך קשתו כאויב & III, 12. דרך קשתו ויציבני כמטרא לחץ, de Deo ita est, ubi οργην contra injustitiam hominum manifestam facit.

§. 14.

Fuerat autem jam omnibus nuper palam, esse Dominum cœli ac terræ unum Judicem & legislatorem, qui unus posset servare & perdere. Diluvium aquarum immiserat impiis, Nubes, quæ dispositæ sunt a Sapientissimo Creatore, quo loco terram irrigare possunt & reddere frugiferam, eædem nubes inservierant jam effundendo aquarum copiam, ad disperdendum omnes homines, & animantia. Jam

vero aquæ fuerant reductæ de terra in locum suum, & Deo placebat homini significare, fore, ut non amplius aquarum illuvies conspiceretur, non amplius per nubes effunderentur aquæ ad homines excindendos. Gratiosum hoc promissum! Sp. S. illud Fœdus dicit: hoc voluit Deus firmare jurejurando, & dato arrabone, seu sigillo.

§. 15.

Huic fini jam arcus cœlestis destinabatur. Audiamus jam textum sacrum. Gen. IX, 10. *Ecce ego erigo fœdus meum vobiscum, non amplius excindetur omnis caro per aquas Diluvii.* Et *dixit Deus,* זאת אות הברית *hoc est signum fœderis* &c. את קשתי נתתי בענן *arcum meum pono in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram* והיה בענני ענן על הארץ ונראתה הקשת בענן, *erit cum supra terram nubes induco, apparebit Arcus in nubibus, & memor ero fœderis quod est* &c. Sunt verba notatu dignissima: aperiunt nobis quam clarissime, quomodo Iris, Arcus cœlestis, considerandus, & cui bono, cuique usui datus sit. Nubes pluviam, imbres, שפצת מים magnam illuviem effundere solent. Ubi atra nube cœlum inductum & opertum dein homines viderent, poterant timere, fore, ut, quomodo olim, ita etiam

etiam jam temporis disperderentur. Verum id ne in posterum timeant homines, promissum & Fœdus largitur hominum generi universo,& animalibus etiam, & vult ut instar signi s. sacramenti fœd. sit Arcus in Nubibus.

§. 16.

Sed quod probe notandum: veniæ seu gratiæ s. longanimitis a Deo concessæ signum sit, NB in nubibus Arcus. Locus notabilis est & singularis, cui insculperetur seu inprimeretur signum bonitatis Dei. Sunt nubes, eædem nubes, quæ modo fuerunt כלי מות *instrumenta iræ*, effundentia excandescentiam Dei & vindictam; & ipsum signum est, quo significatur, arcum puta, omnipotentia & omnisufficientia Dei, sed quæ non amplius esset perdendo homines. Arcus in genere est belli signum, ita vidimus in loco *Dionis*. Olim etiam *Clypeus* belli signum, belli sc. sumti ad defendendum se suosque, non adeo ad hostes perdendos, ut justum bellum solet sumi, verum signum pacis & belli positi, signum adeo ànimi pacati. Quidni & arcus non tensus sed contra nervo suo orbatus.

§. 17.

Jam est ulterius considerandа qualitas Iridis s. Arcus cœlestis. Ego jam non adverto animum ad colorem viri-

dem, roseum, s. sanguineum inter se mixtos &c. sed, quod omnibus in propatulo est, mihi videtur quam maxime notandum. Est cœlestis arcus, arcus sine nervo, qualis arcus esse solet, ubi alta pax, & ubi odium ira & excandescentia exutæ & abjectæ sunt. Tale signum placuit summo Numini in nubibus ponere. Conspiciendum esset tum, ubi nubibus cœlum tectum, alias minime. Non amplius Diluvium fore humano generi infundendum, id ipso a Deo datum & concessum, Deus ipse, viso hoc signo, quasi sibi in memoriam revocaret. Et homines tantum abesset, ut cœlum nubibus opertum inhorrescerent, contra, consolationi essent Nubes, ubi in illis conspicerent Signum Arcus cœli, Arcus divini, carentis nervo; quomodo instrumentum bellicum hoc solet esse, ubi pax composita, ut igitur Arcus considerari potest merito jure tanquam signum pacis.

§. 18.

Liquet jam inde ex signo, quod Deus tribuit Fœderi, cum Noa erecto, esse illud dicendum ברית שלום *fœdus pacis*. Occurrit phrasis. Jes. LIV, 10. Ez. XXXVII, 26. Commode autem se nobis offert locus Jesaianus; facit enim is ad argumentum, quod

quod jam tractamus, quia mentio ibi de fœdere Noachico, & cum hoc Fœdus gratiæ, cujus μεσιτης Dominus Jesus est, componitur. Inde etiam discimus fœdus Noachicum, cujus signum arcus cœlestis est, fuisse jurejurando etiam firmatum. Apud Mosen non est ejus rei mentio nominatim, tantum est: *Deus dixit* &c. *me quod attinet, ecce Ego erigo fœdus meum vobiscum* &c. Gen. IX, 9. 10. non addit vir Dei de jurejurando, quo Deus promissum hominibus concessum confirmavit. Ast id exerte est apud Prophetam, sc. Deum juratum, elata manu promisisse de non adducendo iterum Diluvio, ut hominum genus ita esset persuasissimum de immutabilitate עצת שלום *Consilii pacis* & Longanimitatis seu του χριστου του Θεου.

§. 19.

Videamus verba Prophetæ, sed in antecessum afferamus verbo, in gratiam φιλεβραιων, ad marginem textus Prophetæ notari, solere locum prophetæ quotannis in Synagoga legi, quo tempore Parascha legalis legitur, quæ incipit אלה תולדות נוח; idem notatur in לוח הפטרות. Ritus Synagogae hebrææ fuisse ut plurimum antiquissimi ævi, est manifestum. *Moses legebatur omni Sabbatho* in *Synagoga inde ab antiquissimis tem-*

temporibus Act. XV, Ast cum Paraſcha legis conjungebatur locus propheticus. Ita Dominus Jeſus legit locum Jeſ. LXI, qui jungitur paraſchæ כי תבא Deut. XXVI, 1. Nemo dubitare poteſt comparata fuiſſe loca legis & Prophetæ, quæ æquiparanda erant: Ita igitur jam olim Synagoga cenſuit, Hiſtoriam Noachicam, Paraſcha legis altera occurentem, quæ invenitur Gen. VI, 9. usque ad Gen. XII, 12. facere ad locum Jeſaianum, uti revera facit. Apud Prophetam manifeſto eo alluditur; in verbis Prophetæ eſt de lætis temporibus, quæ populo electo evenirent רני עקרה לא ילדה *Jubila ſterilis, quæ non pepereras* &c. Locus ab Apoſt. Gal. IV, 27. exponitur; nemo igitur in eo hærere poteſt; læta tempeſtas Eccleſiæ ſcribitur, quæ eſſet, poſtquam σωτηρ κοσμυ natus eſſet. Hoc promiſſum gratiæ voluit Deus ſtabilire, comparando id cum Fœdere Noachico כי מי נח זאת לי אשר נשבעתי מעבר מי נח עוד על הארץ כן נשבעתי מקצף עליך ומגער בך *Hoc enim mihi erit tanquam diluvium Noachicum, uti tum juravi non amplius fore aquas terram ſuper effundendas, ita juravi jamdum, me non amplius tibi ſuccenſurum neque increpaturum.*

§. 20.

§. 20.

Non tantum locus 1 Petr. III, 18. huc alludit quoque, sed inprimis, quod est Apoc. IV, 3. & X, 1. καὶ ἰδου θρονος εκειτο εν τω ουρανω, & *in throno considebat, qui facie similis erat gemmæ Jaspidi & Sardio* καὶ ἰρις κυκλοθεν του θρονου *similis gemmæ smaragdi.* Hoc ego notandum censeo, partim, ut utrumque fœdus, Pacis & gratiæ, Noachicum & Novum, cujus μεσιτης Dominus Jesus est, in obtutu collocetur tanquam comparabile. Noachicum Fœdus Iridem pro signo habet, sed Fœdus Novum etiam Iridem seu Arcum cœlestem ostendit super capite Mediatoris, in gloriam postquam ingressus est. Sed partim etiam noto hic, Iridem pingi colore σμαραγδινω notabilem duntaxat; igitur quod ο παvυ in colore roseo seu sanguineo & viride, eorumque mixtione, invenit, non videtur esse ejus valoris, ut præcipue in arcu cœlesti tanquam Fœderis Noachici signo debeat considerari.

§. 21.

Bellum & instrumenta belli, arma, trita & nota erant hominum generi, etiam ante diluvium: non erant tempora illa hoc malo carentia. Erant tum אנשי נפילים terribiles, violenti Heroës(אמים & שמם proprio nomine dicendi) adeo ter-

ribiles & infesti affinibus & vicinis erant. Quin S. Historia dicit: orbem totum חמס occupabat; violentia & injuria & υβρισταις plenus erat mundus. Ideo altissimus Dominus cœli ac terræ armis quasi se accinxerat hos bellatores aggressurus, & iam dispersiderat omnes. Verum jam summum Numen pacati animi signum dat hominibus, & arrhabonem Fœderis pacis, Irin, & tanquam vir bellicus, qui se discingit, Arcum suspendit in Nubibus; non ut ibi terrorem incuteret generi hominum, quod arcus Dei palam propositus omnino causare debere videbatur, si integer suspenderetur, & qualis solet aptus esse bellantibus; Sed contra, Arcus ipsus discinctus conspiceretur nervo suo orbatus, absque νευρα, uti revera Irin, Arcum Cœlestem consideramus. Id autem mihi hic videtur in קשת Dei maxime animadversione dignum, non autem colores, qui in Iride conspicui sunt. Et nisi vehementer fallor, ea absentia Nervi in arcu cœlesti unice & inprimis facit consolando hominum generi, & signo iis est Deum iram posuisse, & pacem iis gratiose concedere.

V.

V.

NICOLAI BARKEY

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ

IN

PRÆCEDENTEM

DISSERTATIONEM,

QUA ETIAM NOVA CONJECTURA PROPONITUR.

§. 1.

Applaudo non quidem omnibus Dissertationis præcedentis numeris, sed quibusdam, & hos inter ingeniosæ Conjecturæ, quam de convenientia signi Iridis cum signato suo pl. Rev. *Dorbout* protulit. Applaudo Arcui, quo nomine in scriptis veterum & in sacris omnia belli instrumenta complectuntur, sine Nervo, sive Arcui inermi. Simile quid jam AMBROSIO in mentem venisse docet Cl. JOH. ROD. RODOLPHI in *Iridis Theoria sacra ad Gen. IX*, 8-17. inserta *Tempe Helveticis T. III. Sect. III d. VII*, Citat p. 23. *Ambrosium* de *Noë & Arca c.* 28. hunc in modum differentem. *Quemadmodum non ipse arcus non vulnerat sed sagitta. Et ideo Dominus in nubibus Arcum magis quam sagittam ponit, i. e. non illud quod vulneret, sed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non soleat.* Hactenus *Ambrosius*. Plus autem est Arcus sine

Nervo, nam si Nervo careat, magis adhuc sagitta. Verum, quemadmodum nullum est dictum, quod non dictum sit prius, ita idem jam observavit Cl. JAC. GOUSSETUS in *Comment. Linguæ Ebr.* ad *vocem* קשת. *Arcus ille Dei*, ait, *notat Pacem, quia caret Nervo, qui ademtus indicat, Dominum nolle jaculari, pugnare.*

§. 2.

Objici autem Doctissimo Auctori posset, quod cum *Nubes*, juxta ipsius ideam, Arcus Iridis sunt *Nervus*, Iris *nunquam* conspiciatur sine *Nervo*, quia Nubes, vel pluvia illiusve guttæ aut stillicidia, ab adversi Solis radiis illustrata, Iridem proprie constituant. Hinc illud *Poetæ.*

Mille trahens varios adverso Sole colores.

Semper itaque *ubi* Iris, *ibi* Arcus cum Nervo sit necesse est.

Objici quoque posset, ubi excandescentem iram Suam imbribus Diluvii in terram effudit summum Numen, prisci orbis tremendus Iudex, nullum, absente Sole, adparuisse cum Nervo & sagitta arcum, vel saltem talem nos non posse nobis repræsentare, qualem Iris vel absque coloribus exhibet, sed ut ait VIRGILIUS *Aen. L. I. v.* 88.

Eripiunt subito Nubes cœlumque diemque
— ex oculis, Ponto nox incubat atra,
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemque viris intentant omnia mortem.

§. 3.

Verum salva res erit, si modo meminerimus non omnes & quasvis minutias in symbolis excutiendas esse. Hac enim ratione forte nullum symbolum rei significandæ usquequaque analogum erit. Dici quoque posset quoad *dubium posterius*: hemisphæri-

ſphærium noſtrum, homini cœlum intuenti referre Arcum ingentem, vel plures, eosque tempore diluvii non modo tenſos fuiſſe, verum etiam ſummum Judicem & Vindicem malorum per eosdem in homines nefarios tantam emiſiſſe ſagittarum ſylvam, ut ne quidem Solem vel cœlum videre potuerint. Iris autem, ſignum fœderale, alius & plane diverſæ indolis eſt Arcus, utpote, qui nunquam ſine beneficio Solis formatur, & formatus mille coloribus ſplendet, ab iisque, quibus ſe conſpiciendum præbet, ut inermis conſiderari poteſt.

Alterius vero *dubii* non tam facilis eſt ſolutio, cum revera, juxta ſymboli hujus ab Auctore expoſitam indolem, nubes, vel pluvia ipſius Arcus nervus ſit, niſi Tibi fingas remiſſum & quaſi ſuſpenſum Arcum, vel *remiſſum* & *laxatum* in Arcu *Nervum*, vel potius prodeuntia ex eo tela leviora & hebetiora, tela imbellia, quæ tantum abeſt, ut noxia ſint aut vulnerent, ut potius telluri ſint ſecunda. Verum hæc mitto, ne ipſe in minutiis hærere videar, qui eas non uſquequaque in ſymbolis captandas eſſe modo monui. Admitti igitur poteſt ingenioſa hæc pictura, quia rei ſignificatæ congruit, *Arcus ſine Nervo.*

§. 4.

Quomodocunque vero Luſus hic ingenii, minime improbandus, dum ſignum cum ſignato certam convenientiam habet, excipiatur; liceat his addere, quid mihi hæc legenti & trutinanti in mentem venerit; quo, ſimili ingenii luſu, rationem ſigni hujus ſymbolici commode ex eadem Arcus bellici imagine poſſe explicari auguratus fui. Concedo itaque Deum Vindicem ſceleris in tremendo Diluvii judicio, arcu veluti cum Nervo & ſagittis inſtructum, priſco orbi adparuiſſe, atque

que in ſceleratum hominum genus ad eorum perniciem denſiſſima tela libraſſe. Hac poſita rerum imagine neceſſe eſt, ut Arcus cornua *ſurſum ad cælum* erecta nobis repræſentemus. Deum enim in cælis manu Sua Arcum tenuiſſe, adduxiſſe, & ſagittas pernicioſas ex eo effudiſſe dicendum eſt. Hinc in judicio Divino Arcus *cornua cælum* attingebant, vel currum bellicum Imperatorium, Illius vero *medium* reſpiciebat *terram*. Jam in Iride plane diverſa eſt facies. Oſtendit Arcum, cujus cornua *Terram* tangunt, cujusque medium *Cælum* lambit, adeoque *Arcum plane Inverſum*, qualem Imperator hoſtibus plane cæſis & extirpatis quieſcere jubet. Depoſuit eum Deus, & projecit ad pedes ſuos. Convenit hoc cum phraſi, *Statui Arcum meum in Nubibus*, nam Nubes pinguntur ſubeſſe plantæ pedum Ejus, ita עפן אבק רגליו, *Nubes ſunt pulvis pedum Ejus*, dicitur apud *Nahumum c. I. 2.* Non ergo amplius Arcum tenet in manibus Suis Deus Imperator, ſed terræ ipſum oppoſuit, & ſtatuit ad pedes ſuos. Sit igitur Arcus Iridis inverſus ſymbolum non ſolum peractæ & abſolutæ ultionis Divinæ, ſed etiam, cum Deus eundem *ſemper inverſum* & in terram projectum voluerit, ſymbolum fœderis Se inter & terram, homines & animantia, juramento firmati. Declaravit ſc. hoc Arcu, oſtendente, dum ex aquæ ſtillicidiis conſtat, cujus indolis ſagittæ fuerunt, quibus ad perdendum Orbem antiquum uſus fuerit, Se nunquam abhinc talibus armis orbem præſentem internecioni daturum eſſe: quod quo pacto dilucidius & diſtinctius fieri potuerit, quam *Arcu inverſo*, equidem non video. Aſt, ſi quis mihi dicat in aurem, luſum hunc ingenii ſubtiliorem eſſe, quam ut Noachus hunc ſignificatum ſtatim absque revelatione divina cognoverit, non mul-

multum reluctor. Hinc, ſi porro ex ſilentio Moſis divinam ſigni Interpretationem neget,

§. 5.

Nollem Iridis *colores* penitus ex ſymbolo exulari, non quidem hoc modo, ut omnes Iridis colores enumeremus, eorumque omnium notionem ſymbolicam aucupemur, ſed ut Arcus cœleſtis, Solisque aurei, ac diei lætiſſimæ quam maxime obſervetur ſplendor eximius, gratiſſimusque adſpectus. Ex coloribus enim Iridis, de qua VIRGILIUS *Aen. l. V.* canit.

Illa viam celerans per mille coloribus arcum

gratiſſimus eſt adſpectu cuivis mortalium, eoque nomine juxta SERVIUM. in *Virgilii Aen. l. IX, init.* & Ill. SPANHEMIUM ad CALLIMACHI *H. in Delum v.* 76. *Thaumantias*, & a Turno *ibid. v.* 18. *Decus cœli* audit, ubi conf. DONATUM. Hinc fingebatur Iris, dum adparebat, miſſa ad conſolandum adflictos. Ita VIRGILIUS *Aen. l. IV.*

Tum Juno omnipotens longum miſerata dolorem
Difficilesque obitus, Irim demiſit Olympo,
Quæ luctantem animam nexosque reſolveret artus.
Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo Sole colores,
Devolat & ſupra caput adſtitit.

Iterumque *Aen. l. IX, init.*

Irim de cœlo miſit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum — —
Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt &c.

Mitto plura. Hoc autem magis in conſtitutione ſigni Arcus cœleſtis ad omnem imaginis complexum adtendendum eſt, quum comparate ad caliginoſos diluvii dies, in quibus Sol aureus abaxe fu-

fugit, quales modo §. 2. ex *Virgilio* ſiſtebamus, Dies hic, in quo fœdus pactum fuit, Noacho, ejusque filiis, piisque poſteris feliciſſimus evaſit, totiesque rediiſſe candidiſſimus dicendum eſt, quoties Arcus hic cœleſtis adparuit. Vidit Noach tum *Solem*, quem per quadraginta dies non conſpexerat, cujus Aureum Lumen HORATIUS *Carm. ſecul. X. ita* canit.

ALME SOL, *curru nitido qui diem*
Promis & celas. Aliusque & idem
Naſceris.

Vidit *Iridem*, Thaumantiam, ad quam Turnus VIRGILII l. c.

IRI, DECUS COELI, *quis te mihi nubibus actam*
Detulit in terra? unde hæc tam CLARA *repente*
Tempeſtas? video medium diſcindere cœlum,
Palantes polo ſtellas: ſequar omina tanta.

Sequebatur omina Iridis, Divino jurejurando firmata, fœderis cum Deo pacato pacti ſymbolum, Noachus; Sequitur eadem, nec metuit ex ejus adſpectu cum HOMERO Il. P. v. 547. nequidem bella hominum mutua, pia ejus propago, & exultat.

§. 6.

Liceat autem hac occaſione tribus tantum verbis monere, eos, qui Iridem vel Arcum cœleſtem, in ſignum fœderis Noacho omnibusque ejus poſteris datum, ſignificatu myſtico, ſive ut typus, ſive ut emblema conſideretur, per Meſſiam Chriſtum interpretantur, inter quos quoq. Cl. SCHLICHTERUS in *Excert. Philol. de Iride ejusque emblemate ad Gen. IX.* 12-17. *Halæ*, 1739. nomen ſuum profitetur, mihi videri rationes ſuas haud commode ſubducere. Si enim in Cœlo myſtico Chriſtus

ſtus ſit SOL Juſtitiæ, quod negare nemo auſit, quomodo *Iris* eſſe poteſt? cum in Iride naturali Sol in guttis pluviæ Iridem conſtituat. Adtendendum ſemper eſt ad relationes rerum mutuas, plane ut in rerum natura. Hoc pacto cauſatum non poterit eſſe cauſa ſui. Sequitur ergo, Iridem non typum nec emblema, ſed Signum eſſe Chriſti, vel præſentiæ Solis juſtitiæ, qui rei vel boni ejus, cujus Iris ſymbolum eſt, ſc. ut ego putem, pacati & propitii Numinis, atque adeo pacis, ſecuræ tranquillitatis, & lætitiæ quin & Gloriæ ſpiritualis cauſa eſt, tum meritoria, tum efficiens; quemadmodum alia ratione Iride coronatus ſiſtitur Chriſtus Apoc. X, 1. in quem l. conf. B. EWALDUS, Amicus, dum viveret, Doctiſſimus & Suaviſſimus, *Embl. S. L. l.* p. 188. Utinam! qui animum adplicant ad Theologiam, ſive Emblematicam ſive Typicam, relationes rerum ſemper obſervarent, eoque ipſo ſibi caverent, ne ſolis aliquot convenientiis ducti in hanc aliamve ſententiam ruerent improvidi.

§. 7.

Ceterum, quæ pl. Rev. DORHOUT pro *ferro* ejusq. *uſu Caino jam cognito* protulit argumenta, vereor ut illis ſatis ſint, quibus cognitum eſt, Novi orbis aliquot incolas, vel univerſas in eo gentes nullam ante Europæorum adventum per multa ſecula ferri habuiſſe notitiam, & nihilominus beneficio vel lapidum vel concharum aliarumque rerum varia conſtruxiſſe utenſilia, affabre facta, & animantia jugulaſſe. Locus *Johannis* & quæ de ſignificatu verbi σφαζειν vel σφαττειν diſputavit, rem minime conficiunt. Cum enim generatim notet & primitive *interficere*, mirum non eſt vocem hanc quoque transferri ad *ſacrificia*: hinc improprie de Servatore dicitur, quod εις σφαγην ηχθη ως αρνιον, quodque voce-

vocetur αρνιον εσφαγμενον; minime enim cultro ferreo mactatus, sed in crucem actus est, Victima Deo gratissima. Pergulam inde pictorum adprobo, qui Cainum fuste pingunt instructum, ubi in innocentissimum fratrem sæviit. Qui denique ex *pellibus* animalium, quibus Protoplasti ab ipso Deo convestiti fuerunt, ferri usus demonstrari possit, equidem ego divinare nequeo, cum animal id, quod in signum fœderis Deum inter & primos Parentes sacrificio destinatum erat, procul dubio igne cœlesti ita consumtum fuerit, ut ex pellium reliquiis primis parentibus vestes sine ferro adatari potuerint: quod animal Taurum vel vitulum fuisse fecit maxime probabile Illustris *Matrona*, cui *Cogitationes de origine cultus Taurorum* debemus, præfixæ Parti III. *Panthei Aegypt*, quod Cel. JABLONSKIUS, Viadrinæ insigne olim Decus Academiæ, evulgavit.

Reliquis non immoror, quæ inter sunt, quibus pl. Rev. *Auctor* eruditionem suam optime probavit.

VI.

VI
NICOLAI BARKEY
OBSERVATIO
PHILOLOGICO EXEGETICA
AD
JEREM. XXXI, 22.
נקבה תסובב גבר

§. 1.

Dici non poteſt, quam mire ſe torſerint Interpretes in explicandis his aliisve locis, quæ in Oraculis Prophetarum occurrunt, feliciſſimam Novi Fœderis Oeconomiam pingentibus, ejusque cum reſtitutione Judæorum ex Captivitate Babylonica nexum monſtrantibus. Satis ex eorum conatibus apparet, quam lubrica quandoque ſit mens hominum, quam acute cernant, vel potius, quam ſint proni ſubtilia quævis, ubi nodus non eſt difficilis, exſculpendi, haud malo quidem animo, ſed minus prudenter, minusque felici ſucceſſu. Exemplo nobis ſit locus citatus ex Jerem. XXXI, 22 a plurimis Interpretibus de miraculoſa incarnatione Meſſiæ, ſeu de Virgine Maria, in utero ſuo Meſſiam, Filium Dei, conceptura, expoſitus. Ita habet plerorumque opinio. Teſtis ſit CALVINUS in *Comment. pag.* 377. *Chriſtiani*, inquit, *fere uno conſenſu hoc interpretati ſunt de Maria Virgine, & movit eos nomen miraculi: deinde forte*

nimis cupide arripuerunt, quæ viſa ſunt facere ad myſterium ſalutis noſtræ. Dicunt igitur hanc eſſe rem novam, de qua loquitur Propheta, quod Virgo geſtaverit utero ſuo Chriſtum Infantem, ſed ſimul Virum, quia ſc. plenus fuit Divina fortitudine, quamvis ſecundum carnem creverit & ſtatura & ſapientia & virtute. Sententia hæc tam late ſe diffudit, ut pauci occurrant Inſtitutionum Chriſtianarum libri libellive vel a celebratiſſimis Theologis exarati, in quibus hic locus non occurrat ut argumentum, omni exceptione majus, quo probare geſtiunt a Prophetis fuiſſe prædictam Meſſiæ incarnationem ex utero Virginis.

§. 2.

Non tamen huic interpretationi unusquisque Interpretum pollicem premit. Laudatus CALVINUS, expoſita communi Chriſtianorum ſententia, ita pergit: *Merito hoc videtur a Judæis, tamen illi etiam meo judicio non tenent genuinam Prophetæ mentem. Interpretantur hoc de populo Iſraelitico, quia erat tanquam mulier, quæ divortium fecerat a marito: Dicunt igitur, Foemina Virum amplexabitur, quæ ſcilicet alienata fuerat & ſeſe proſtituerat multis adulteris.* Vel, ut ait CLARIUS: *Iſraelitica gens, poſt longam deſertionem Sponſi, Jui Dei, & pietatis veræ neglectum, convertetur ad Dominum Deum ſuum, tanquam mulier ad Virum, ut hoc ſit Novum in terra, ut mulier, quæ paſſim aliis Viris ſe proſtituit, veteris mariti cupida, illum iterum ſui amantem obtineat.* Conferre poteſt, qui ſententiarum majorem adhuc diverſitatem cognoſcere cupit, Auctores in *Bibliis Criticis* & a M. POLO, & JOH. ERLMANNO *in Diſſ. ad h. l.* quæ inſerta eſt *Theſauri Theol. Philol. T. I. p.* 850. citatos, inter quos quoque videas, qui *fœminam* interpretantur *Iſraelitas* debiles & infirmos, qui circumdaturi eſſent *Virum* h. e.

in

in anguſtias redacturi hoſtes ſuos robuſtiſſimos ſ. *Babylonios.* Ita CALVINUS habet. Hos non moror, quia ſententia hæc nulla ſe commendat veriſimilitudine, eique hiſtoria Judæorum e Babylonia redeuntium e diametro adverſatur. Nec moror eorum ſententiam, quibus *fœmina* eſt *Eccleſia Chriſtiana*, quæ, licet coram mundo erit inſtar fœminæ debilis & infirmæ, tamen audebit *potentibus* ſuis perſecutoribus reſiſtere per confeſſionem fidei. Dilucide enim ſatis evinci poteſt, uti a Celeb. VENEMA oſtenſum eſt, hoc vaticinio prædictam eſſe vindicationem populi Iſraelitici ab exilio Babylonico & inſtaurationem civitatis & Eccleſiæ in terra Cananæa, cum felicitate ſtatus eorum & prærogativis, quibus in ea fruerentur terra, tum corporeis, tum ſpiritualibus in Meſſia *Diſſ. S. I, I, c. XI, §.* 13.

§. 3.

Alterutram igitur ex duabus prioribus ſententiam amplectendam eſſe exiſtimo. *Prima*, ut quamplurimos habet ſectatores, ita imprimis a CALOVIO, HACKSPANIO & ERLMANNO variis argumentis adſtruitur. Imo POCOCKIUM *in notis ad Maimonidis portam Moſis p.* 345. ſ. male habet, quod *Calvinus* dixerat, merito a Judæis rideri eorum ſententiam, qui hæc de Maria Virgine, quæ in utero ſuo Chriſtum geſtaverit, interpretantur, quod tamen Chriſtianos fere uno conſenſu feciſſe dicat; *ſiquidem mirum haud eſſe a Judæis explodi quamliket, quæ ad Chriſtianorum fidem ſtabiliendam faciat, interpretationem.* Mitto reliqua ipſius verba, nonnihil indignationis ſecum ferentia. Solummodo notamus, Chriſtianorum fidem de incarnatione Meſſiæ ſolidiſſimis niti rationibus & teſtimoniis, hoc licet Oraculum alio referamus, operamque omnino nobis eſſe dandam, ne demus Judæis aut in-

credulis, in regionibus Chriſtianis indies accreſcentibus, ridendi cauſam: e contrario, ut argumentis ad fidem noſtram ſtabiliendam utamur ſolidiſſimis, eaque ratiociniis fulciamus, deductis ex nexu vaticiniorum atque indole & ſignificatione verborum & phraſium, ut &, ſi quæ ſunt, ex uſu ſymbolorum vel emblematum, & parallelia aliorum oraculorum. Dicam ingenue quid ſentio. Communem Chriſtianorum ſententiam deferendam eſſe arbitror, & Judæorum doctiſſimo Magiſtro KIMCHIO ſubſcribendum. Judæi non ſemper delirant, nec ſemper, quia Judæi & in Sanctiſſimum noſtrum Servatorem injurii, derelinquendi. Audiendus eſt, dum oracula rite interpretatur, quisquis ſit, Tros Rutulusve aut Judæus Apella. Veritati unice & non perſonis aut genti litandum eſt. Ita autem KIMCHIUS, quem POCOCKIUS ſibi refutandum ſumſit, cujusque verba hoc modo tranſtulit: *Et quid eſt novum iſtud? quod fœmina teſobeb gaber. Mos enim mundi eſt, ut vir revertatur poſt mulierem, atque ita dixerunt Doctores noſtri ſ. m. Qui aliquid amiſit. redit ad illud*, (ſeu quærit illud) *quod amiſit; at tunc fœmina redibit ad* (ſeu convertetur poſt) *Virum ſuum, q. d. reverſuros Iſraelitas ad Dominum Deum ſuum, Ipſumque eos liberaturum.*

§. 4.

Videamus jam, quibus rationibus inducamur eundi in *Kimchii* partes, eorumque, qui eundem ſequuntur. Ante omnia autem exponenda ſunt tum Summa & nexus Vaticinii hujus, tum indoles vaticiniorum hujus generis, tum dictionis & verborum proprius ſignificatus & emphaſis, verborumque præcedentium grata Analogia. Ex his omnibus patebit, ni fallor, dilucide ſatis, non primam ſed ſecundam ſententiam præferendam eſ-

ſe

se, & hanc ipsam denique ex parallelo loco HOSEÆ confirmabimus.

§. 5.

Quod summam Oraculi attinet, nisi animum jam habeas præjudiciis occæcatum, eam facillimo negotio elicere licet. Quisq, illud legerit, non potest non in eam ire sententiam, promitti hic liberationem Israelitarum ex exilio suo vel captivitate Babylonica, reditum in Canaanem, instaurationem Hierosolymæ, Templi & fœderis Novi erectionem. Hæc omnia, certe pleraque, jam Cap. præcedente exposita & prædicta erant. Moris enim erat Prophetis, ut vaticinia sua, præsertim ea, quæ consolationis plena erant & augustissimam ex angustiis liberationem complectebantur, liberationem, inquam, humanis viribus superiorem vixque sperandam, Divino instinctu sæpius repeterent, vel dilucidius sive sponte, sive a quibusdam procerum vel sacerdotum ex ordine consulti, explicarent. Exinde varia occurrunt Vaticinia ejusdem fere sententiæ. Connectitur hanc ob rem Oraculum hujus Cap. cum præcedente verbis בעת ההיא, quæque ibidem generalioribus verbis proposita erant, fusius hoc cap, exponuntur.

§. 6.

Notandum autem est, hujus generis oracula, quæ restitutionem Israelis concernunt, ejus esse indolis, ut non quævis populi fata explicent, sed præcipua, quæ tum ejus reductionem & sequentem florentissimum ejus statum respiciunt, tum adventum Messiæ, quæque eundem comitaretur, Novi Fœderis pactionem. Præcipuam autem causam, quare hæc solum beneficia, satis Judæorum intermediis neglectis, memorentur & unum alteri jungatur, repetendam esse censeo ex sum-

mo liberationis eorum fine, nimirum, ut ſegregatus a gentibus maneret populus, ex quo oriundus erat Meſſias, Davidis ipſa proles, cui imperium in Judæos & gentes per Ipſum ſalvandas promiſſum erat. Liberatione enim Judæorum via paranda erat ad adventum Meſſiæ humilem, & per Ipſum erigendum Novum Fœdus. Liberabatur quidem populus Iſraeliticus ex exilio & cum eo Princeps ex familia Davidis, aſt regni Davidis aut ejusdem proſapiæ præter Serubabelem nulla aut exigua ſane erat ſpecies. Et quicquid de Serubabele in libris Eſræ & Nehemiæ, aut in oraculis Haggæi & Zachariæ dicitur, non niſi felicem reſtaurationis Templi exitum reſpicit. Hoc ipſi, Divina ope fulto, tribuitur ut prærogativa, ex qua laudem inſignem & præclarum nomen adepturus erat. Ceterum non niſi ut Præfectus Perſici Regis in Judæa conſiderari poteſt, cui tamen Deus Hagg. II, 24. teſtatus fuit, electum ſe eſſe ut Annulum ſignatorium fœderis cum Davide pacti, ſc. ex cujus proſapia certo certius proditurus eſſet Meſſias, Davidis ſemen. Cum vero Meſſias ſecundum Prophetas naſci debuerit humili loco, rebus domus Davidis collapſis, in liberatione Judæorum mutata fuit eorum, Politiæ ſaltim, & Status civilis forma, & poſtea ita mutanda erat, ut Regem vel Præfectum ex domo Davidica haberent neminem, donec tandem ex trunco ejus proſapiæ Rex ille & Princeps David oriturus erat, excitandus quaſi per miraculum, de quo Jer. XXX, 9. 21. qui imperio potiturus erat æterno, quique foret Fœderis Novi Auctor & Mediator. Quorſum hæc tendant, quemque uſum hæc obſervatio præſtet, ex ſequentibus patebit.

§. 7.

Adtendi quoque velim, prædictam ſemper eſſe oratione graviſſima liberationem Judæorum ex

ex Captivitate Babylonica. quippe quæ proximum tempus respicit, & mutationis rerum gratissimæ foret initium, uti c. XXX. XXXI: eandem autem insecuturas felicitates proponi stylo quidem eleganti & masculo, paucioribus tamen verbis & diversis phrasibus. Ita de contritione cordis Judæorum nihil cap. XXX. occurrit, quæ cap. XXXI, prolixe & graphice depingitur. De internecione Babyloniorum c. XXX, 11. 23. 24. prolixe differitur, & distincta eodem capite v. 21. adventus Messiæ ut Principis & Pontificis mentio fit; hæc autem omittuntur c. XXXI, & horum loco Propheta docet, tum Regiminis Divini formam mutatum iri non solum in eo, quod non amplius excindenda esset judicio Divino Respublica Judaica, nec insontes cum sontibus pœnis temporalibus puniendi; sed non nisi impium moriturum in iniquitate sua, illiusque tantum hebetandi dentes, qui comederit labruscam: verum etiam ita, ut antiquandum foret Fœdus Mosaicum, Novumque ei substituendum v. 29-34. Parcius c. XXX, 18. Propheta loquitur de restauratione Hierosolymarum, fusius autem c. XXXI, 38-40.

§. 8.

Ad nexum autem Vaticinii hujus quod attinet, frustra quærimus in eo ordinem Systematicum, quo unum ex altero deducitur, in Oratione tam gravi, ubi frequens repetitio fit, Sermonem hunc esse Dei, ubi jam alloquuntur gentes, jam vero oratio deflectitur ad Israelem, ubi variæ reperiuntur Rhetorum & Poëtarum figuræ, & crebro repetitur admonitio ad gaudia & jubila. Distinctionis tamen varii sunt indices. Generales tantum delibabo, accuratius Analysin texturus, si forte aliquando totum Vaticinium illustravero. Promittitur *primo* populo Israelitico Vindicatio ex

Captivitate & reſtitutio in poſſeſſionem terræ Cananææ, felicitatisque in ea inſignis; imo & gentibus hoc annunciatur v. 1-14. *Secundo* conſolatur Propheta eos, qui rem deſperatam eſſe lamentabantur, nullumque ſupereſſe auxilium cenſebant, qui contriti corde & pœnitentia ſeria ducti Idololatriam deteſtabantur, ſeque ad Dominum Deum Suum convertebant. His enim Deus promittit præſens auxilium & certam liberationem v. 15-20. & ut certiores redderentur de futura ſua felicitate, Propheta cum apoſtrophe Judæos reſipiſcentes adloquitur, & monet, quaſi jam tempus adeſſet, & dies ſalutis, ut ſibi ponant monſtrandarum viarum ex Babelis regno in Canaanem ſigna & lapides, quorum ductu omnis populus redire poſſit, nec negligant fatui ſplendidam hanc & commodam, quam Deus ipſis paraverat, occaſionem v. 21. 22. *Tertio*, accedit nova obteſtatio certitudinis promiſſorum implendorum per declarationem formularum & verborum, quibus ſibi invicem gratulaturi & benedicturi eſſent redeuntes jam, & urbes, agros ſuos & paſcua poſſidentes Iſraelitæ, gaudio pleni, v. 23-25. Viderat Propheta Divino indultu mutationem hanc gratiſſimam in ſomnio, Jam autem præ animi gaudio ſomnum ceſſaſſe declarat v. 26. *Poſt hæc evigilavi & vidi, & ſomnus meus mihi fuit dulcis.* Quæ ſequuntur, vel eodem in ſomnio videntur viſa eſſe Prophetæ, quorum facta adtenta ſomnii dulciſſimi recapitulatione reminiſcitur, vel in ſequente mox ſomnio. Ad eundem ſaltim ſcopum, eandemque liberationem, feliciſſimumque Judæorum ſtatum pertinent, ſc. Deum benedicturum eſſe Judæis, regiminisque Sui formam ita mutaturum, ut non niſi fontes luerent pœnas temporales, quod, ut ως εν παροδω notem, in altero Judæorum excidio maxime conſpicuum fuit, credentibus in Meſſiam, Regem Suum Davidem, ut ab interitu ſalvi eſſent, in oppi-

dum Pellam aliasque regiones deductis v. 27-30. Deum creaturum esse *Novum Fœdus*, in quo nemo dubius esse aut ignorare possit, quisnam esset Messias promissus v. 31-34. & tandem Deum conservaturum esse Gentem Judaicam in æternum, Urbemque Hierosolymam non solùm restaurandam sed etiam amplificandam, ejusque pomœria extendenda esse.

§. 9.

De Nexu itaque satis constat. Agedum voces singulas phrasesque expendamus, ut pateat, quam recte & concinne dicto Prophetæ illum, quem diximus, sensum tribuamus. Ad vocem גבר, quæ proprie *Virum fortem* significat, non opus est, ut hic multa notemus. Illi enim qui contrariam sententiam tuentur, & Messiam hic indigitari putant, eundem voci huic significatum tribuant necesse est, quem ipsemet hic innuo. Imo ipse Messiam hic intelligo potiore jure, non ut Infantem in utero Virginis debilem, sed secundum Divinitatem Suam ut Filium Dei & Angelum Fœderis, qui אל גבור *Deus omnipotens*, Jes. IX, 5. & præcipue Deut. X, 17, האל הגדל הגבר והנורא vocatur. Ille Israelem nomine Patris ex Ægyptiaca servitute liberaverat, in desertum duxerat, ut sponsam sibi spopondérat, æterno amore eam amaverat, & favore complexus erat ineffabili; nihil ad eam ornandum pepercerat, & ut ea tandem aliquando potiretur, eamque sibi in æternum jungeret, nihil parciturus erat, daturus vitam Suam humanam, quæ Ipsi in ejus visitatione assumenda esset.

§. 10.

Minime autem prætereundum esse censeo גבר quandoque fœminino sexui opponi. Id quidem respectu *fortitudinis* & *infirmitatis* jam a *Calvino* notatum est, verum etiam respectu *maritalis officii* circa fœminam sibi invicem opponuntur, vel

potius conjunguntur זכר *mas* & *fœmina*, uti patet ex Prov. XXX, 19. ubi unum ex quatuor mirabilibus eſt הרך גבר בעלמה, coll. quoad *partum*, qui mulieri ſoli proprius eſt, neque cadit in Virum גבר, Jer. XXX, 6. & c. XLIII, 6. XLIV, 20. Cel. SCHULTENSIUS P. in *Comment. ad Job. III*, 3. ait, *Contendo Virum* גבר *pro maſcula prole* זכר *rite poſſe poni ſtylo cothurnato, ut* ανηρ *pro* αρσην, *quo ipſo cum majore pondere orationis captatur fauſtum omen* ſc. fore, ut Infans maſculus evaderet Vir, qui magnam haberet poſteritatem. Sed quando conferri jubet hunc noſtrum locum, acceſſiſſe videtur ſententiæ oppoſitæ, quam eo ipſo ornat, quod Meſſias promittatur ut Infans, qui Se præſtiturus erat Virum, & ſemen viſurus Jeſ. LIII, 10.

§. II.

Ceteræ quoque voces cum phraſeos omni ambitu jam examinandæ ſunt. Et primo quidem concedendum eſt vocem נקבה, quæ fœminam ſive ſexum fœmineum deſignat, abſtracte conſideratam, æque parum præſidii & lucis noſtræ, quam alteri ſententiæ conferre. Uſurpatur enim de fœmina unaquaque, ſive ſit ex hominum ſive ex animalium genere, ſive nondum, ſive jam cognoverit virum. Vocatur autem נקבה ex notione *forandi* vel *figendi*, quam Cel. SCHULTENSIUS in *Comment. ad Job. III*, 8. explicitam dedit, quum fœmina, ut ait SCHINDLERUS, foramine, quo a maſculo diſcernitur, prædita eſt, & M. MARTINIUS, Nomen Illuſtris Lycei noſtri præclarum, in *Lexico Etymolog.* voce *fœmina*, inquit: *vox* נקבה *eſt a* נקב *quod eſt* τρυπαν *perforare, quia ad officium maternum pariendi opifex Deus eam parte corporis apertam eſſe voluit, ut & utero ſobolem concipere & in lucem mundi edere poſſet, qua de ordinatione Dei ſancte cogitandum*

dum loquendumque est, & cavendum, ne ullatenus per impuritatem violetur. Etymologia hæc, quantum illa præstet, quam COCCEJUS protulit, nemo non videt. Hæc quidem in genere recte se habent, si sexus Fœmineus seorsim spectetur. Dicunt quidem sententiæ adversæ Patroni vocem נקבה nuspiam in S. S. *collective de multitudine* aliqua aut de toto sexu fœmineo usurpari, sed semper designare *individuum* aliquod singulare, vel *vagum* vel *determinatum*, ut ex locorum inductione patet; hinc nullum aliud individuum præter B. Virginem hic intelligi posse. Liberalis ero & hoc concedam, licet ex eo, quod vox נקבה de fœmina, sive ex animalium sive ex hominum genere usurpetur, inferri possit, sexum totum fœmineum hac voce designari: non tamen illico concludendum est, nullum aliud individuum præter Mariam Virginem hic intelligi posse. Fœminam etiam hic intelligo ab aliis distinctam & *determinatam.* Fœmina modo in oratione Prophetæ determinata erat, prorsus ut *unum individuum* discernitur ab alio, sc. *Gens Israelitica*, ut passim, repræsentatur symbolo *fœminæ*; hoc ipso commate vocatur בת השובבה *filia rebellis* & commate 21. præcedente בתולת ישראל *Virgo Israelis.* Hæc ipsa filia rebellis, Virgo Israelis jam *Fœmina* nuncupatnr, & eadem est heic loci spectanda ut *Individuum*, singulari nomine notatum, distinctumque ab aliis gentibus, quæ singulæ quoque ut individuum aliquod spectantur. Ita, ne multis explicem, quod, ut in vulgus notum est, gentes ut fœminæ & filiæ considerentur, Gens Ammonitica vocatur eadem phrasi בת השובבה *filia rebellis* Jer. XLIX, 4. Cum itaque in eodem dictionis flumine de singulari filia & Virgine sermo sit, nihilque sit, quod nos ab eodem individuo discedere cogat, hanc ipsam innui jure meritoque censendum est.

§. 11.

§. 12.

Verum ulterius progrediamur. Ex notione radicis נקב autumare licet per נקבה præſertim indigitari fœminam vel jam nubilem, vel talem, quæ *Virum jam cognovit*. Notio hæc convenire videtur primario נקב ſignificatui, ita ut fœminam innuat perforatam, *virumque paſſam*. Saltim uterus Saræ gravidus dicitur מקבת בור *cavum vel foramen ciſternæ* Jeſ. LI, 1. in quem locum conf. Commentatorem, Metaphoram hanc verecunde tractantem. Imo, ut opinor, Vox hæc ad *filiam* & *Virginem Iſraelis rebellem* translata, aliud quid in receſſu habet. Mea opinione in oratione Prophetæ climax reperiri poteſt, quo ſumma populi Iſraelitici depravatio eleganter deſcribitur. Vocatur populus *primo* בתולת ישראל *Virgo Iſraelis*, & hac communi phraſi compellatur ad revertendum, ſatis diu quæ pœnam luit v. 21. *poſt filia rebellis*, quæ ſatis diu rebellis fuerat, בת השובבה v. 22. *denique* hæc ipſa ſiſtitur ut נקבה perforata virgo & filia, ſc. ut *proſtibulum*, vel filia, quæ non ſolum florem virginitatis amiſit, ſed etiam ſæpius ſæpiusque ſtuprum cuivis obtulerit & fœdiſſimo modo ſtuprata fuerit. Non opus eſt, ut doceam crimen Idololatricum talibus phraſibus in Oraculis Prophetarum depingi, iisdemque gentem Iſraeliticam ſæpius exagitari, cum hoc nemo ignoret. Unicum tantum locum ex ipſo Jeremiæ vaticinio excito, non ut fidem hujus rei faciam, ſed quia admodum ad rem præſentem facit. Ita ait Propheta c. III, 1. *Scortatatu es cum amatoribus multis, revertere tamen ad me, dicit Jehova. Tolle oculos tuos ad colles, & vide ubi non ſtuprata es: ſedisti ſuper viis ſicut Arabs in deſerto, hinc profanaſti terram ſcortationibus tuis & malitia Tua.* Merito dici-

mus

mus gentem Iſraeliticam proſtibulum, cum juxta FESTUM meretrices *proſtibulæ* dicerentur, quæ *quæſtus gratia in campis ante ſtabula ſedebant.* Hinc exprobatur Jehudæ cap. II, 28. *juxta numerum urbium tuarum ſunt idola tua.* Fateor quidem nullum mihi adeſſe locum ex ſacris aut aliis orientis ſcriptis, ex quo demonſtrare poſſem נקבה ſumi pro fœmina, cujus pudicitia adeo proſtituta & proſtrata ſit, ſed nondum deſpero, fore, ut viri in Orientali Litteratura verſatiſſimi talem mihi oſtenſuri ſint, cum ex notione רש נקב ſignificatus hic voci optime conveniat, & non minus ac חללה ex רש חלל ſignificatu, forte primario, dicat *fœminam perforatam* Lev. XXI, 7. Saltem ex CASTELLI & GOLII Lexicis conſtat apud Arabes نُاقِبٌ *morbum denotare, qui homini accidit ex multo decubitu.* Forte etiam AQUILÆ & SYMMACHO ſub hac voce *laſcivum quid* ſuboluit, dum נקבה per θηλειαν reddiderunt. Sic enim in ORIGENIS *Hexaplis*, quæ MONTEFALCONIUS edidit *T. II, p.* 332. lego: οτι εκτισε Κυριος καινον επ θηλεια. Nam ſecundum ETYMOLOGICUM M. laſcivum quid in hac voce obtinetur. Non piget locum adponere integrum: Θηλεια, απ τ θηλυ γινεται θηλυς, και απ τ θηλυς, θηλεια, η παρα τ θαλλειν και γενναν, οθεν και η υπομβρος νυξ παρα Σοφοκλει, θηλεια καλειται, θηλη δε εστιν ο μαθος. Θηλυτεραι δε γυναικες, Ιλιαδος Θ. v. 520. juxta HOMERI *Scholiaſten* αι προς τα αφροδισια καταφορωτεραι, ως προς συγκρισιν των αλογων ζωων, τα μεν γαρ αλλα, ωρισμενον εχει καιρον εν ω μιγνυνται, αυται δε διηνεκως πλησιαζουσι. Accedit, quod fere in omnibus linguis iſtiusmodi voces in utramque tam malam quam bonam partem ſumantur. Sic *fœmina* Latio, quin etiam

etiam linguis Vernaculis, licet in genere ſexum fœmineum indicet, quandoque tamen nota eſt *vilipendii* & *ignominiæ*, ſi in nexu orationis facta memorantur, quæ ignominiam & vilipendium merentur, quemadmodum negari nequit hoc in Vaticinio Jeremiæ fieri. Et hoc quidem reſpectu commode ſatis adhibetur hæc vox, juxta alteram ejus notionem, quam Cl. SCHULTENSIUS *l. c. p.* 58. 59. adſtruxit, qua ſiſtitur Gens Iſraelitica ut *fœmina*, quæ notis *vilipendii* & *abominationis compungi* merebatur, & execranda erat.

§. 13.

Videamus jam, quænam ſit futura, Sanctum Iſraelis, Virum hunc גבר inter & Iſraelem, proſtibuli nota compunctum, relatio. Dicitur נקבה תסובב גבר. Nihil aliud hac phraſi declarari, quam converſionem fœminæ vel virginis Iſraelis, Idololatria ſtupratæ, ad Deum Dominum & virum vel ſponſum ſuum Veterem, purumque & defæcatum ejus ac redintegratum amorem, ipſa verbi סבב evolutio docebit. Originariam verbi notionem nobis conſervarunt Arabes, qua denotat *Exarſit, accendit aut ſuſcitavit ignem.* Ita GOLIUS ſub شبب & CASTELLUS ſub שבב. Exinde ceteras notiones derivare licet, præſertim illas, quæ intenſiſſimum obtinendi aliquid deſiderium, ſtudiumque maximum re deſiderata potiundi inferunt, ſive id fiat bello, vi & armis, ſive illecebris & adfectu amoris ardente. Hinc Joſ. VI, 3. 4. 6. uſurpatur de circuitione urbis inimica, ut eam cingens occupet militum turma, quaſi eam ambabus ulnis amplexari cupiat. Eleganter itaque ὁ πανυ SCHULTENSIUS verba Job. c. XVI, 13. יסבבו עלי רבוי de obſidione ſumit vel amplexu inimico, & vertit: *Corona facta invadunt me jaculatores ejus*

ejus. Sed ab altera parte ſæpius adhibetur ad ſignificandum juvenilem, eumque eapropter *ardentem amorem;* ita شبّ eſt laudavit *formam mulieris, amorem erga eam commonſtravit.* hinc شبب & شبوب id eſt, *quo ſuſcitaturmagis ignis & res quævis vegetior & validior,* ſuſcitatur autem ignis amoris amplexu; imo omnia derivata huc collineant. Significatum hunc شبّ ex duobis locis comprobatum tibi ſiſto, quæ, pro quibus ipſi gratias ago maximas, ex ſcriniis Arabum mecum communicavit Collega conjunctiſſimus, nuper inauguratus Lycei noſtri Græcæ & L. L. o. o. Profeſſor, Cl. J. P. BERGIUS, qui ad juvandam eruditionem Orientalem generoſo igne ardet, Ita TOGRAJUS V. 20-23.

20. فالحب حيث العدي والاسد رابضة
* حول الكناس لها غاب من الاسل

21. نومّ ناشبة بالجزع قد سقيت
* نصالها بمياه الغنج والكحل

22. قد زان طيب احاديث الكرام بها
* ما بالكرايم من جبن ومن بخل

23. تبيت نار الهوي منهنّ في كبد
* حرّي ونار الغري منهم علي الغلل

Ver.

Vertit POCOCKIUS:

Atqui amica mea eſt, ubi ſunt inimici & leones cubantes
Circum latibula capreolarum, quibusque eſt ſylva ex haſtis.
Petimus educatam in receſſu vallis, cujus irrigatæ
Cuſpides aquis joci & nigredinis ciliorum.
Utique auxit ſuavitatem ſermonum (virorum) *generoſorum in ea*
Quod eſt in generoſis (fœminis) *metus & parſimoniæ.*
Pernoctat ignis amoris ab his (accenſus) *in jecore*
Sitibundo, at ignis hoſpitalitatis ab illis in collibus.

تبيت نار الهوي v. 23 *Codex Leidenſ.* (no. 1614) legit تشبّ نار الهوي ARDET *ignis amoris ſ.*

Et BORDA: *v.* 18.

والنفس كالطفل ان تهمله شبّ علي
حبّ الرضاع وان تفطمه ينفطم *

Anima eſt, ut infans, quem ſi ſibi relinquas, FLAGRABIT AMORE *lactendi, at ſi retrahas illum, ablactabitur.*

Imo

Imo vero verbum hoc סבב, dum in bonam partem usurpatur, fere semper adhibetur ad designandum benevolum amplexum, vel benevolentiam aut Regis, aut Patris, aut Sponsi protegentem & obumbrantem uti Ps. XXXII, 7. 10. XXXIV, 5. LXXI, 21, CXXV, 2. Deut. XXXII, 10. 1. Reg. VIII, 14. Nec minus sumitur de amore, honore & reverentia, quæ *Judici* aut *Regi* debetur, quem cingit, honorat & diligit populus, uti Gen. XXXVII, 7. Ps. VII, 8. XXVI, 6. 2 Sam. III, 12. Apprime autem ad rem facit, quod de *cultu* quoque usurpetur, qui Deo debetur, uti Hos. XII, 1. ubi exprobratur Israelitis, quod Deum *colerent fraudulenter* סבבני בכחש עפרים *Coluerunt me fraudulenter Ephraimitæ*, nam simul turpissimæ Idololatriæ se addixerant; vel uti totum hoc comma vertit & explicat Cel. SCHROEDERUS in *Observatt, Selectis ad Origines Hebr.* p. 11. *Ephraim perfidia tanquam indagine me cinxit & fraude domus Israelis. Etiam Juda adhuc ultro citroque vagatur cum Deo, & cum Sancto Fido.* Hæc si firmo nituntur talo, nihil est, ut opinor, quod obstat, quo minus verbum hoc in loco nostro ad amorem cultumque Divinum transferamus. Dicit itaque Propheta: Virgo Israelis, seducta ad rebellionem, quæ prostibulum egerat, Idolaque gentium finitimarum turpiter secuta fuerat, jam prioris & quidem legitimi mariti vel Sponsi memor, sc. Domini Dei sui, ad Eum reversura, Eumque sincero & tenerrimo amore amplexura est. Ipso soli, repudiatis gentium Idolis, constanter adhærebit & avelli non poterit. Est quoque notanda convenientia verbi סבב cum שובב in pihel a radice שוב, quia exinde elegans oritur paronomasia inter בת השובבה, quemadmodum Israel in verbis proxime præcedentibus ut filia rebellis sistitur, eodem modo uti sæpius vocantur Israelitæ in hoc vaticinio בנים שובבים *filii rebelles* Jer. III, 14. 22.

& hoc תסובב גבר, filia hæc, proſtibulum quæ egerat, *amplexabitur Virum legitimum & flagrabit amore Domini, Dei ſui.*

§. 13.

Quæ hic conciſe, mea ſententia, a Jeremia dicuntur, plenius & curatius ab HOSEA dicta eſſe autumo, & quia Hoſeas eodem utitur emblemate, hunc Hoſeæ locum aliquid conferre opinor ad comprobandam, quam dedi, verborum Jeremiæ explicationem, hoc magis, quia Jeremias, mihi ſaltem, in plerisque dictionibus & metaphoris viſus fuit imitator Hoſeæ. Exſtat locus *c. II*, 6. vel 9. Propheta exprobrat in capitis hujus principio fœdiſſimam eorum Idololatriam cum Gentium præſertim *Aſſyriorum* & *Aegyptiorum idolis*, & imaginibus Solis, Lunæ & ſiderum, quorum ope & influxu, gentium erroribus ſuperſtitioſis infecti, credebant ſe accepiſſe, *panem & aquam, lanam & linum, oleum & potum, ceteraque ad ducendam molliorem vitam neceſſaria.* Craſſiſſimum hunc errorem & fœdiſſimam Idololatriam vel nondum depoſuerant, ſed pertinaciter fovebant etiam, Judæi in Aegypto exulantes Jer. XLIV. Minatur & annunciat Hoſeas Judæis eapropter graviſſimam Numinis vindictam v. 8. *Idcirco Ecce Ego obſtruam viam tuam ſpinis, & obſepiam ejus ſepem & ſemitas ſuas non inveniet.* Indicat hiſce fore, ut variis calamitatibus & metropolis obſidione premerentur. Ita Judæi, præſertim KIMCHIUS, nec non aliquatenus ABARBANEL, & ex Chriſtianis RIVETUS & O. CELSIUS in *Hierobotanico p.* 212. 213, quem hoc imprimis nomine cito, quod adſegaverit locum ex *Alcorano*, ubi de uxore Muhamedis legitur, poſuiſſe illam in via, qua tranſiturus erat maritus, ſpinas & tribulos, ut pedibus in illa incidens caderet & pungeretur. Tales ſpinas & tribulos poſiturus erat Deus in ſemita Iſraelis Idololatrici, quin quoque eos obſepturus erat ſepe ſpinoſa, qua phraſi ſatis

satis commode intelliguntur non tantum obsidio Hierosolymarum, sed etiam Captivitas Babylonica, qua sepe spinosa circumdati, libera exeundi potestata privati, & sub potestatem hostium variis malis adflicti erant. Hæc expositio viam pandit ad eruendum sensum commatis sequentis. *Et sectabitur amatores*, procos suos, *sed non apprehendet eos, & quæret eos & non inveniet.* Laudo Paraphrasin KIMCHII postremam, eique adsentior. *Si de Assyriis & Aegyptiis, consectabitur eorum pacem & auxilium & non dabunt ei: Sin de sideribus*, Regina vel Exercitu cœli, *consectabitur Pseudoprophetas & eos, qui sideribus intenti sunt, ut consulat sibi sidera, atque illis adolebit, sed ei non proderunt*. Nimirum, quammaxime eos consectaturi erant, ut vel solverentur obsidione, aut removeretur sepes, quæ ipsos captivos tenebat, aut calamitas quæcunque, qua premebantur. Conferri hic velim quæ leguntur Jer. XLIII, XLIV. Jam eodem Propheta utitur emblemate, quo Jeremias ad designandum conversionem Israelitarum, vel potius propositum eorum revertendi ab idololatria ad Dominum, Deum suum. *Tum dicet: Vadam & revertar ad Virum vel maritum meum priorem, quia bene mihi fuit tunc magis quam nunc.* Recte iterum KIMCHIUS. *Sed hoc non dicet, donec exilium longo tempore pertulerit, ut in lege Deut. IV, 30. scriptum est. Nam si hoc antea dixisset, dum in terra esset, haudquaquam exulasset.* Hunc ergo locum Hoseæ dum conferimus cum nostro, quem explicitum dedimus, nonne idem fere dicit? si mater scortationum propositum suum exsequitur & vota sua solvit, quod Jeremias de filia rebelli prostituta testatur, נקבה תסובב גבר, vadet, & reversura est ad Virum suum priorem, Dominum Deum suum, quia bene ipsi fuit, tunc quando ipsi adhæsit, magis quam nunc.

§. 14.

Possem jam qualicunque huic Dissertationi

finem imponere, niſi occurrendum eſſet illis, qui in hac, quam eruimus, ſententia Prophetæ de converſione Judæorum ab Idololatria ad Deum, Dominum ſuum, non adeo magnificum quid exprimi cenſent, quale Propheta ipſe exponit, quando dicit כי ברא יהוה חדשה בארץ Nam, vel Profecto *creavit Deus Novum in terra.* Dicunt enim Converſionem ab Idololatria non eſſe *Novum* quid, quod Deus creavit. Sæpius Judæi in hiſtoria Regum Joſaph. Hiskiæ & præſertim Joſiæ introd. ut pœnitentes & renovantes cum Domino Deo ſuo fœdus. Concedo lubenter, converſiones hujusmodi nihil fuiſſe Novi vel inde ab eductione Iſraelitarum ex Aegypto; Verum obſervandum eſt חדש non ſemper innuere aliquid, quod abſolute Novum eſt, ſed quod *fulget*, cum juxta Cl. VRIEMOETIUM in *Adnotat. ad Dicta Claſſica*, V. T. T. II, p. 272. primigenium aliquod hujus vocis inveniatur in Arabico حدث ſenſu *poliendi ferrum*, & *micantem ita reddendi gladium cultrumve.* Opus autem Divinum, quo Judæi in Captivitate Babylonica convertendi erant, præ aliis converſionum eorundem exemplis revera quam maxime fulgidum fuiſſe nemo ignorat. Antea ſæpius puniti revertebantur ad Deum, ſed iterum iterumque redibant ad procos & amatores ſuos. Antea non æque omnes Idololatriam odio habebant, ſed plerique hypocritarum perſonam induerunt & fraudulenter egerunt Hoſ. XII, 1, Hæc autem converſio tantum non omnes ſpectabat Judæos, & Idololatriam ſaltem, propter quam diriſſima quæque perpeſſi fuerunt mala, ad hunc uſque diem flagrantiſſimo odio deteſtati ſunt. Revera itaque impletum eſt dictum Jehovæ Hoſ. II, 17. *Et removebo nomina Baalim ab ore eorum, nec memorabuntur ultra in nomine eorum.* Quibus autem obſtat verbum ברא, illi velim conſulant Cel. VITRINGAM in *Comment. ad Jeſaiam*

T.

T. II, p. 545. ubi docetur, verbum hoc usurpari de rebus, quæ *revelantur*, & VRIEMOETIUM *l. c. p.* 285. 286. verbum hoc occurrere de operibus potentissimis & mirandæ maxime providentiæ Divinæ, ut & de productione populi alicujus, & quandoque tantundem esse ac *producere* & *parare*. Imo conferant velim Jes. XLIII, 19. ubi Deus, reducturus captivos Israelis, hoc opus ut Novum quid proponit, quod Ipse facturus sit. Sunt fere eadem verba הנני עשה חדשה. Addo Jes. LXV, 17. הנני בורא שמים חדשים וארץ חדשה & v. 18. הנני בורא את ירושלם גילה ועמה משוש. Et hic quoque locus respicit reductionem Israelitarum ab Idololatria ad verum Numinis cultum & ex captivitate Babylonica in Cananem, qua via ad Novi Fœderis Oeconomiam parabatur & tandem ipsa aliquando producebatur.

§. 16.

Restat, ut Paraphrasin demus verborum Jeremiæ. Dabimus eam, postquam priora hujus commatis verba explicuerimus: עד מתי תתחמקין הבת השובבה. Verbum חמק apud Arabes *debilitatem rationis* innuit, est *mente laboravit*, *more fatui egit*, & hinc MAJUS vertit, *Quamdiu fatua eris?* Ex hac significatione prono alveo fluunt aliæ, quas inter est, *circumvagari*, quæ vulgaris Interpretatio est, *Quousq. circumvagaberis?* Qui enim fatuus est, circumvagatur huc & illuc, dubius hæret, divisusque est animo & ambigit quid ipsi agendum. Hanc notionem procul dubio respexit *Syrus*, dum vertit ܥܕܡܐ ܬܬܒܥܝ *Quousque dubia eris?* Est autem aliquando apud Arabes nonnihil *impudicitiæ* permixtum, dum تَحَنَّفَسَ dicitur, *quum quis se impudice gerit & cynædus est*, v. CASTELLUS, & خَنُوعٌ ex permutatione dialectorum est *mœcha* & *adultera*

juxta GOLIUM, Hoc modo duplex ſenſus in his verbis latet, ubi alter alteri ſubordinatus eſt. Primus, cum in præcedentibus Iſraelitæ moniti eſſent, ut populo ſigna conſtituerent, quibus adjutus viam in Canaanem invenire & redire poſſet, huc redit: Propheta, translatus quaſi per Spiritum Propheticum in tempora ultima captivitatis, ubi liberationis jam videri poterant præludia & anteambulones, videbat eos, non obſtante hac aſſertione & commonefactione, moras nectere, incredulitatem eorum nondum priori monito ſuperaverat, ſed quod ſibi proſpicerent, & appropinquante exercitu Perſarum hoſtili, tum hæc tum illa conſilia animo volvebant. Hinc ut fluctuantem eorum animum corrigat, fidemque in eorum cordibus excitet, inquit: Quousq. fluctuabis, morasq. tam longas nectes, Filia? quæ ob rebelli. erga Deum huc usq. in ſqualore captivitatis luxiſti? Deus Ipſe te reducturus eſt; hoc Novum profecto creaturus, quod Tibi, rebellis filia, non ſolum in poſſeſſionem tuam redibunt civitates tuæ, ſed etiam quod, relicta fœdiſſima Idololatria, Dominum Deum tuum porro amabis, teque Ipſi conſecrabis, qui Hieroſolymæ in monte ſancto habitabit, ubi tu Ipſi cultum debitum & reverentiam præſtabis. Si autem reddas verba, *Quousque Te ipſam ut adulteram proſtitues*? Propheta Judæos non diu captivos adloquitur, ex quibus adhuc multi Diis gentium & fœdiſſimo eorum cultui pertinaciter addicti erant, Fidem faciunt quæ leguntur Jer. XLIV. Hos præcedente ſermone monuerat, captivitatem eorumque ſummas anguſtias finem haud habiturum iri, niſi contrito corde Deum eſſent quæſituri: Hoc autem certum eſſe, fore, ut Ephraim tandem aliquando agnoſceret, Deum Iſraelis Unicum & Verum eſſe Deum, & repudiata omni Idololatria ſe ad Eum converteret, imo Deum reperiret gratioſum & miſericordem, qui reduceret eos in Cana-

anem

anem & in civitates illis hæreditario jure privas. Nunc objurgat eos & quærit, quamdiu ipsi in Apostasia permanere cupiant? Revertantur ocyus, ut promissa complementum suum sortiantur, quæ sola ipsi sc. Proph. solamen. Deus enim Nov. hoc pollicitus fuit, quod prostituta filia Israelis ad Dominum Deum suum sit reversura, Eique sincero amoris adfectu, profligatis omnibus procis, servitura. §. 16.

Quæ huc usque disputata sunt, forte adsensum Lectorum impetrabunt, nisi apud aliquos obstet citatio verborum commatis 15. a *Matthæo*, c. II. 17, 18. quæ satis diu crux fuit Interpretum, & quidem non sine causa sontica. Verum omnium optime, meo quidem judicio, hanc difficultatem solvit Cel. J. D. MICHAELIS in libro utilissimo Entwurf der typischen Gottesgelartheit §. 38. cujus cogitata apud ipsum legi velim & legi merentur. Et recte Vir idem Eruditissimus in *notis ad R.* LOWTHIUM *de Sacra Poësi Hebræorum p.* 181. monuit in capite *Jer.* XXXI, perpetuam fere ad historiam Jacobi allusionem dominari. Quum idem in variis vaticinii *Hoseæ* locis observaverim, præsertim c. XII. sicuti etiam frequentem liberationis Israelitarum ex Aegypto mentionem, quod non minus *Jeremiæ* familiare est, Jeremiam imitari Hoseam jam supra §. 13, dixi. conf. quoque Jer. XXXI, 20. cum Hos. XI. 8. 9. Ex hoc autem vaticinio cum idem Evangelista c. II, 15, citet verba Dei Hos. XI, 1, ex eodem fonte typico illam verborum translationem explic. esse censeo, hoc magis, quia hæc explic. scopum Evangel. ferit aut nulla, nullamque adcommodationem insinuat, sed reale potius typi complementum ostendit. * Sed hæc uberius explanare non est hujus loci, hinc manum de tabula. VII.

* Conf. quæ ad Hos. XI, 1. notavit S. V. HARENBERG Erklärung d. Offenb. Johanis p. 76. 99. 236.

VII.

EJUSDEM

ADDENDA

AD DISSERTATIONEM SUAM

DE

ASCHIMA

HAMATHÆORUM IDOLO

QUÆ

CL. I. F. I. p. 125. LEGITUR.

ad p. 129. l. 13.

Conf. *l'Hiſtoire Critique de la republique des lettres T. II. p.* 44.

ibid. l. 28.

Aperte id docet JAMBLICHUS *de Vita Pythagoræ c. 2. p.* 3. 4. cujus verba ex verſione *Ulr. Obrecht* ita ſe habent. *Quod autem colonia ex dictis locis adunata fuerit, non tantum Deorum cultus & ſacra ex iis regionibus una cum demigrantibus translata; verum etiam cognatæ familiæ, ſolennesque Samiorum feſtivitates indicio ſunt.*

ad p. 137. l. 25.

Adde JAMBLICHUM *l. c. c.* 3.

p. 137. l. 6.

Conf. PLUTARCHUS *de Iſide & Oſiride T. II, p* 356.

p. 139. l. 3.

De Byblo Syriæ v. *l'hiſtoire Critique cit, T. XV, A. XI.*

p. 141. l. 9.

In eadem ſententia videtur fuiſſe Nobil. Eques Anglicus TEMPLE in *les Oeuvres melees T. II, p.* 27.

p. 148.

p. 148. l. 27.

Conf. PLUTARCHUS *l. c. p.* 356.

p. 149. l. 23.

Conf. JABLONSKI *Pantheon Aegypt. P. II, p.* 88. 89.

p. 150. l. 29.

V. *hiſtoire Critique cit. T. III, p.* 77. *ſq.* Herodotum hoc in loco incredulitatis optimo jure arguit, & rationes ejus dubitandi explodit Nobil. Marchio d'ARGENS in *Memoires ſecrets de la rep. des lettres T. V, p.* 24.

p. 152. l. 7.

De fluvio *Ismenio* v. PLUTARCHUS *T. II, p.* 1148.

p. 154. l. 2.

Fertur etiam Cadmum litteras in Phœniciam & dein in Græciam intuliſſe. Inde eſt AUSONII *Burdigalenſis, Ep. IV.*

Aenigmatum qui cognitor
Fuit meorum, quum tibi
Cadmi nigellas filias.
Melonis albam paginam,
Nunc adſit.

ubi V. E. VINETUM, docentem *Ang.* POLITIANUN *Miſc. c.* 51. Cadmi *nigellas filias* de *litteris* interpretatum fuiſſe, & *Melonis albam paginam* de *papyro Aegyptiaca*, ita dicta, quia circa Nilum, qui Melo audit, creſcit, & *ex Aegypto in Syriam indeque in Boeotiam translata fuit.* Excerpta ex *Ang. Politiano* habet *hiſt. Crit. de la rep. d. l. T. IV. p.* 470. Imo ſuſpicari locus eſt, a Chemmitide, ſive regione, ſive Inſula, circa quam forte abundabat, papyrum dictam fuiſſe גמא. Vocem autem hanc *papyrum* ſignificare docet O. CELSIUS in *Hierobotanico T. II, p.* 137.

ibid. l. 12.

Niſi huc quoque transferre velimus Numen CHEMIIN, apud *Caraibas* in *America* cultum, quod idem eſſe cum Pane a Chemmitis Aegyptiis ſub nomine *Chemmis* culto putat JO. FRANC. LAFITAU,

Mœurs des Sauvages Americains comparees aux mœurs des premiers tems, qui liber primus est in der allgemeinen Geschichte der Länder und Völker von Amerika, Halle, 1752. 4. T. I. p. 61. Sed his ego abstinendum censeo, & quam maxime probo censuram B. J. L. MOSHEMII in *præfat.* ad librum perutilem Doctissimi HERM. CHRISTIANI PAULSEN zuverläßige Nachrichten vom Ackerbau der Morgenländer, Helmst. 1748. 4. dum *Lasitavium* in comparatione morum, rituum & religionis Americanorum cum moribus & religione Patriarcharum, (eadem autem fere est ratio morum & religionis Aegytiorum, Syrorum & Phœnicum vetustissimorum,) assimilat *Poétæ*, qui in Tragœdiis Veterum *Romanorum* introduceret Heroes, *more Gallico* cogitantes, loquentes, amantes, belligerantes & triumphantes.

p. 156. l. 11.

Exemplum præbet nomen fratris Davidis, quod tum שמעה, tum שמה legitur, observante Cl. KENNIKOTTO, diss. *de ratione textus Hebr.* v. T. *p.* 185.

ibid. l. 13.

Et *Syri* sæpius ת *Nun* ס omittunt. v. allgemeine Welthistorie T. I. p. 422.

p. 157, l. 18.

Ita ab Ancæo coloniam ex *Samo* Cephalleniæ ducente, urbs ab ipso pro Samo Cephalleniæ condita, *Samum* dicta fuit. v. JAMBLICHUS de *Vita Pythagoræ c.* 2, Et *Salamine Attica* nomen suum debuit *Salaminæ Cypriæ*, conf, SPANHEMIUS *de præstantia & usu Numism diss. IX.*

p. 159. l. 12.

OLDERMAN diss. *de fluvio Phrath. p.* 13.

p. 160. l. 28.

BENJAMIN *Tudelensis* in *Itinerario*, ait, juxta versionem Cl. C. l'EMPEREUR: *Ab urbe Kirjathaim unius diei itinere Hamam veni. Hæc, Hamath olim*

olim dicta, ripæ Jaboki imminet, sub ipso monte Libano. Tunc temporis magno terræ motu in ista civitate uno die periere quindecim hominum millia, uno inquam die, adeo ut Septuaginta tantum remanerent.

p. 161. l. 12.

Habetur hæc quoque narratio in HAYTHONIS *Itinerario.* In Ephemeridibus Gallicis, *Journal des Scavans* anni 1761. *M. Sept.* recensetur *l'Histoire de S. Louis par Johan, Sire de Joinville, les Annales de son regne par Guil. de Nangis, sa vie & ses miracles par le Confesseur de la Reine Marguerite, &c. Paris* 1761. *fol.* Dicitur ibi p. 10. 11. *Nous observerons, que M.* CAPPERONIER, qui editionem cum *Meloto* curavit, *nous a prie de faire remarquer trois fautes, qui se sont glissees dans ces notes. La premiere est a la page 31. Joinville parle de Soudant de Hamant, on a mis en note: c'est l'ancienne ville d'Apamee en Syrie. Au lieu d'Apamée il faut restituer Epiphania, qui fut appellée ensuite Hama, ville celebre, dans laquelle il y avoit un Sultan.* Errorem hic noto *Capperonierii*, confundit enim Epiphaniam Hamath cum Emesa vel Hems. p. 170. l. 20.

PLUTARCHUS de *Iside & osiride op. T. II, p.* 374. ait. Ωρον σιωθασιν καιμιν, προσαγορευειν, οπερ εστιν ορωμενον αισθητον γαρ και ορατον ο κοσμος. *Orum solent* KAIMIN *appellare, quod est,* VISUI EXPOSITUM *Est enim mundus res sensilis & visilis.* Si itaque *Kaimin* idem est ac *Akmin* vel *Chemmis*, tum habemus significatum *adparitionis.*

p, 171. l. 11.

Ita ex gr. Hungari se *Madschar* vocant, sc. oriundi ex urbe *Madschar* Circassiorum, & *Cirkassi* Ducem vel Principem suum *Schamchal*, quia ex Damasco Principes vel Præfecti mittebantur, ubi *Schamchal* idem est ac *Princeps Damasci.* v. Cel. MULLERI Sammlung Rußischer Geschichte, recens. in Göttinger gelehrten Anzeigen 1760. p. 364.

ibid. ad finem.

Præsertim huc spectat, quod sæpius nomen

Græcum, urbibus *Syriæ* impositum, eundem prodat significatum, quem nomen antiquum *Orientale*, vel *Aegyptiacum*, vel *Hebraicum*, vel alius linguæ tenet. Ita significatio *rs Baalbec*, ipso *Græco* nomine, quod post urbi huic datum fuit, exprimitur, ubi sc. *Heliopolis* dicta fuit, conf. allgemeine Welthistorie T. I. p. 378. & RENAUDOT, *Remarques sur une Inscription, qui se trouve a Heliopolis de Syrie, appellée communement Baalbec*, in *Memoires de Literature T. IV, p.* 252.

p. 176. l. 19.

Conf. de Arca, qui pleraque de hac urbe congessit Jac. MASSON in *hist. Crit. de la rep. d. l. T. IV, A.* 1. refutatus autem in eo, quod *Callimachi* locum ab hac urbe explicare voluerit, si quid video, recte ab Ampl. CUPERO *ibid. Art. XIV.*

Finem his addend. impono *duarum quæstion.* ad Eruditos, Litter. hujus generis fautores, propositione.

Prima est: quodnam est idolum SUMENAT vel *Sowmenat*, ab aliis *Lat* vel *Allat* dictum, in India, de quo legitur in der allgemeinen Welthistorie der neuern Zeiten T. II, p. 504. cultum illud fuisse in regno Sumenat, ab hoc idolo, quod describitur, denominato, & porro p. 505. cultum quoque illud fuisse ab Arabibus antiquis ex tribu Thakif cujus sedes sit Tayefa?

Secunda est, an malus Genius ESCHMEN vel *Kbaschom*, quem venerantur Persæ ex *Zoroastris* schola, cujus nuper mentionem fecit, ubi de Zoroastris libris & religione multa propinavit notatu digna M. ANQUETIL du PERRON, *Relation Abregée du Voyage, qu'il a fait dans l'Inde pour la recherche & la traduction des ouvrages attribues a Zoroastre a.* 1755-1759. inserta Ephemeridibus Gallicis, JOURNAL DES SCAVANS, *Juillet & Aout* 1762. & quidem Mensis Augusti p. 64. cum Aschima vel Esmuno aliquam cognationem habere possit?

TANTUM.

VIII.

VIII.

VERSIO
CAPITIS PRIMI GENESEOS
AMERICANA *
DIALECTO, QUÆ CIRCA BOSTONUM ANGLICANÆ COLONIÆ VRBEM VIGET.

NEQUTTA TASHIK - QUINNA NEGONNE OOSUKKUHWHONK MOSES NE ASOWEETAMUK
GENESIS.

1. v. Weske Kutchiſſik ayum God Keſuk kah ohke.

2. Kah ohke mô matta kuhkenauunneunkquttinnoo kah monteagunninno, kah pohkenum woskeche moonoi, kah nashananit popomshau wolkeche nippekontu.

3. Onk noowau God, wequaiaj, kah mo wequaj.

4. Kah wunnaumun God wequai ne en wunnegen: kan wutchadchaube-ponumun God noeu wequai kah noeu pohkenum.

5. Kah wutuſſowetamun God weqai keſukod, kah pohkenum wutuſſoweetamun nukon: kah mô

* Conf. Claſſis hujus Secundæ Faſc. I. p. 199. 202.

mô wunnonkooook kah memohtompog negonne Keſuk.

6. Koh noowau God Sepakehtamooud; nôeu nippekontu, Kah chadchapemooud, naſhauweit nippe wutch nippekontu.

7. Kah ayimup God Sepakehtamóonk kah wutchadchabeponumunnap nashaueu nippe agwu uttiyen agwu, Sepakehtamoonk kah nalhauen nippekontu uttiyeu ongkouwe ſepakehtamóonk, kah monko n nih.

8. Kah wuttidoweé tamun God Sépakehtamóonk kabukquash, kah mó wunnonkooook, kah mó moh tompog nahohtôeu kesukok.

9. Kah noowau God moémooidi nippe ut agwu keſukquashkah paſukqunnu, kah pahkemoidi nanabpeu, kah monko n nih.

10. Kah wattiſſoweé tamon God nanabpi ohke, kah môeémoo nippe wuttiſowetamun ketoh, wumaumun God ne en wunnegen.

11. Kah noowau tannekei okemoskeht, moskeht ſkannemunuook ſkannemunath meechummue mahtugquash meechummuook meechummuonk niſh noh paſuk neane wuttunnu Suonk ubbukumminuook &woskeche ohke kah monko n nih.

12. Kah ohke drannegenup moſket, kah moſket ſkannemennàook ikannemunaſh, nith noh paſuk neane wuttinnu Suonk, kah mahtug meechummuook, ubbuhkumminnooook wuhhogkut niſh noh paſuk neane wattinnuſſuonk, kah wumaumun God ne en wunnegen.

13. Kah mo wunnonkooook; kah momohtompog ſhwekeſukod.

14. Kah noowau God, wequanantéganuohettich ut wuſſepakehtamooonganit keſukquaſh, & pohſhettich ut naſhauwe keſukod, kah ut naſhauwe nukkonut, kah kukkinea ſuonganuhhettich, kah uttoocheyeuhettich, kah keſukod tuoowahhettich, kah kodtummooowuhhettich.

15. Kah n nag wequanantéganuóhettich ut ſepakehtamoowonganit wequaſumóhettig o hke onk mó n nih.

16. Kah ayum God neeſunaſh miſſiyeuaſh wequanantéganaſh, wequananteg móhſag nananumoomoo nukon, kah anogqlog,

18. Kah uppónuh God wuſſepakentamooonganit keſukquaſh, woh wequohſumwog ohke.

18. Onk woh wunnananúmunneau keſukod kah nukon, kah pohſhémoo naſhauen wequai, kah noſhaueu pohkenum, kah wuronawmun God ne en wunnegen.

19. Kah mo wunnonkooook kah mo mohtompog yaou quinukok.

20. Kah noowau God moonahettich nippekóntu pomómutcheg pomantamwae kah puppinſhauuſſog pumunahettig ongkouwe ohket woſkeche wuſſé pahkeht amooonganit kaſukquaſh.

21. Kah kezheau God matikkenunutchéh pootabpoh, kah niſh noh pomantamóe óâaſ noh pompâmayit uttiyeug moonacheg nippekontu niſnoh paſuk neane wuttinnaſſuonk kah nis noh oonuppohwhunin puppinſhaoſh, niſnoh paſak neane wuttinnuſſuonk, kah wu maumun God ne en wunnegen.

22. Kah oonnumoh mahhog God noowau, mishéneetuonittegk, kah muttaanook, Ka numwapegk nippe ut kehtohannit, kah pupinſhaſog muttâanhettig ohket.

23. Kah mò wanonkooook, kah mo mohtompog napannaaudthaſhikquinukok.

24. Koh noowau God, paſoowaheonch ohke óâas po nantomwaeu niſh nog paſuk neane wuttinnaſin neetaſhog pamayechig kah puppinaſhimwog ohkekontu, niſh noh paſak neane wuttinnuſſin, kah monke n nih.

25. Kah âauau God pupinnaſhimwoh ohkekontu neane wuttinniſſuonganoo, Kah neetaſa neane

ane wuttinuſſuonganoo, ka niſh noh paumavit woſkeche ohkekontu neane wuttinnuſſuonganoo kah wumaumun God ne en wunnegen.

26. Kah noowau God, ayeuontah woſketomp neanſeog & kutogqunneunkquſſuonkanunnonut, kah nanawunonah namohſog kehtohhannet, kah puppinſhauſog keſukqut kah puppinathimwuſſog, kah wame ohke, kah niſh noh ôâas pomompagit woſkeche ohket.

27. Kah kezheau God woſkeetompuh ut nehenwonche wuttinnuſſuonganit, wuttinnuſſuonganit God wuttinne kezheuh nahoh, woſketomp, kah mittanwoſſis ukkezheuh nahog.

28. Onk oonanumuh nahog God, kah wuttanuh nahog God, mſhéneetuonitteg monagk kah muttaanoogk ohke, kah mooſteoooogk, kah nanaunnook namohſog kehtohhannit, kah pupinſhauſſog mamahchekeſukqut, kah wame puppinaſhimwuſſog paumayitcheg ot woskeche ohket.

29. Kah noowau God: kuſſeh kittinnummaunuwoo niſh noh moſket ſkannemunnuook ſkannemunaſh uttiyeu woſkeche wome ohket, kah niſh noh matug Hannegkuk meechum ubbuhkuminoooook ubbuhkumi naſh woh kummeechumwoo.

30. Onk wame puppinnaſhimwog ohkekontu, kah wame puppinſhaar mamahchekeſukqut, kah niſh noh uppumompagen pomantog ohket, woh meechwog niſh noh oshquashqui moskeht, kah mônkô n nih.

31. Wannaumun God niſh noh teaug mahche kezteunk, kah Kuſſch mo ahche wannegen, kah mo wanonkoooook & momohtompog nequtta audtashikquinukok.

PSAL. I.

Up Bookum Pſalmes.

1. Wunanumau miſſinnin noh matta aonk Wuſſuwonganit matchetou aſuh matta neepauook, ummâyeuout matcheſéaennog, aſuh matta apegk wutappuonganit mamanowontam waenin.

2. Qut wuttinnoowaonganit Jehovah wuttapeneaumooonk, kah wuttinnoowaonk miſſantam keſukodtaeu kah nukkonaeu.

3. Kah ogqueneunkquſſu mehtugqut ahketeamuk ut kiſhke ſepupogqut, noh ummeechummuonk uppaudtunk nehenwonche uttoowutchu: kah ooneepog matta piſh nookſhaunooh, kah wo me uttoh aſit miſſégen.

4. Matta neane matchetukeg: qut ogqueneunkquſſuog woſſadteaumunit, uttiyeu toounontog waban.

5. Newutche matta neepauoóg matcheetupanatogig wuſſittumooonganit; aſuh matcheuſſecheg ut um mukkinneonganit wunnom waeuſſecheg.

6. Ne wutche oowahtheoun Jehovah ummayaſh ſampweſecheg: qut ummayou matcheetupanatogig piſh awakompanómoo.

Errata
in Classe Secunda.

Pag. 70. l. 19. *lege* opibus l. 27. stetissent in-concussiæ p. 71. l. 13. hasce, p. 78. l. 11. eos ut p. 80. l. 3. instar. p. 82. l. 11. acceptam, p. 83. l. 5. impios p. 98. l. 8. Rehabeamum p. 108. l. 20. Hierosolumæ p. 109. l. 7. prælium p. 110. l. 24. plures: p. 146. l. 27. æmulationem *ibid.* Israelis l. 28. exstructam p. 198. l, 5. Professoris p. 207. l. 207. l. 18. adtenderunt p. 209. l. ult. Chronologia p. 213. l. 28. ut p. 214. l. 7. παρα l. 21. inesse l. 22. hæc solidam p. 217. l. *penult.* Obversantur p. 220. l. 14. nondum l. 24. Hagaram p. 221. l. 9. vicus Chebron p. 223. l. 22. & hæc est ratio, p. 225. l. 3. specialorem p. 228. l. 13. Aphetos, p. 229. l. 4. Obversantur p. 231. l. 21. Ipsa vero p. 245. l. 12. Origenes l. 16. Asterisсos p. 246. l. 2. curaverat p. 255. l. 18. σαββατων p. 256. l. 1. Sero p. 258. l. 3. superventurum, p. 262. l. 17 Quod *ib.* caro l. 19. Spiritu p. 265. l. 15, quæ p. 266. l. 4. enatum non fuit p. 269. l. 1. Ammonii p. 272. l. 1. historiæ. l. 12. guttarum lustrabimus l. 13. quibusdam l. 17. factus in, p. 276. l. 7. Interpretes l. 15. δικαιοτερες p. 289. l. 20. ωδε p. 290. l. 28. negligunt p. 302. l. 6. Samuele, p. 304. l. 14. Giambularius p. 307. l. 3. scripserit, p. 314. l. 16. detonsi l. 22. attulerunt p. 318. l. 7. ædificiorum, p. 326. l. 22. Thomæ. p. 327. l. 17. ante. p. 328. l. 9. aliique p. 332. l. 21. damnandam p. 333. l. 22. profecta l. 24. convicti ex p. 338. l. 12. Almeloveen p. 349. l. 8. si p. 365. l. 22. non credidisse, p. 370. l. 4. arbitrantur l. 18. μειζον p. 371. l. 22. notum p. 377. l. 22. superflui p. 396. l. 4. Parens l. 12. Græcæ & L. L. p. 401. l. 16. declarantibus p. 409. l. 5. Paulo p. 419. l. 35. qua, p. 425. l. 1. exstare, p. 428. l. 9. partem, p. 436. l. 12. wetstenius, p. 441. l. 9. redolentia, p. 468. l. 16. in recessu, p. 481. l. 12. παρελκειν, p. 484. l. 15. ελαβομεν, p. 530. l. 25. כל, p. 533. l. 13. חרבו.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres
KODAK Color Control Patches
©Eastman Kodak Company, 1997
Kodak
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
© The Tiffen Company, 2000
KODAK Gray Scale
C
Y
M
Kodak
LICENSED PRODUCT
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19